
FRIDERICI BARTSCIJ BRAUNSBERGENS IS DE SOCIETATE IESU, IN...

Friedrich Bartsch







Domus Prof. Rom. Soc. Jesu

FRIDERICI BARTSCII BRAUNSbergensis de Societate IESV,

IN EVANGELIA ADuentus, & quæ sequuntur, Dominicarum COMMENTATIONES.

Ad eos potissimum qui inter Hæreticos degunt, iuuandos ordinatæ.

Cum indice triplici; Scripturarum, quæ passim explicantur, Rerum præcipuarum, & Euangeliorum Dominicalium quæ hic tractantur.








Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

CRACOVIÆ.

In Officina Nicolai Lobij. Anno Domini, 1607.



IHS


ILLVSTRISSIMO AC REVE-rendissimo in Christo Patri ac Domino,

D. PETRO TY-LICKI, DEI GRATIA

EPISCOPO CRACOVI-ensi ac Duci Seueri-ensi. &c.

FRIDERICVS BARTSCIVS salutem & fœlicitatem æternam.

DVM primum hunc ac felicem tuum ingressum in amplissimũ hunc Regni totius huius Episcopatum Cracouiensem, boni omnes tibi gratulantur, faustaque acclamatione ac comprecatione excipiunt: merito ne mihi quidem cunctandum ratus sum amplius, quin & ego tibi occurram, vnaque cum amplissimis votis pro salute tua ritè conceptis; hasce meas lucubrationes, quasi operarum mearum primitias quasdam tibi offeram, nunc demum vtcunque perfectas.

Nam cum iustis ex causis facilè agnoscerem absque certo aliquo ac condigno patrono in lucem hanc, minimè mihi prodeundũ esse,

esse, hac quali quali operâ mea; mecumque ipse propterea dispicerem, ecquis potissimũ ei mihi deligẽdus foret, tu præ omnibus primo quasi intuitu in oculos mihi incurristi. Nec id immerito. Ecclesiasticus enim labor est, & Ecclesiastico igitur etiam protectore aliquo communiendus. Quis vero authoritate Ecclesiastica in Regni Poloniæ te maior? quis vicinior eo in genere mihi?

Duplex quidã dignitatis gradus in Episcopis nostris est ãplissimus. In Ecclesia quidẽ Pastoralis, in Regno vero Senatorius. In vtroque ita hactenus emicas, vt (si minimũ dicam eo in genere) cum primis Regni totius comparari possis.

Nec longa mihi probatione opus est. In luce enim versatus es semper in vtraque ista vocationis tuæ parte, atque in conspectu Regni totius: vt non aliunde tibi dignitatis tuæ testimonium vllum petendum sit, quam ex ipso communi Regni totius sensu.

Et quidem vt de Pastorali tuo munere primùm memorem, quantum illud est, quod Regis Sigismundi Tertij, & Prudentissimi, & religiosissimi, & eiusdem sagacissimi morum ingeniorumque in familiaribus suis inquisitoris æstimatorisque, iudicio studioque paucissimis his annis ita nominatus fueris Episcopus, vt prout proxima sese obtulit occasio, per omnes prope gradus eo in genere te traduxe-

traduxerit, nec ante constiterit quam in isto Cracouiensi, omnium in Regno hoc amplissimo (vna Archiepiscopali vocatione, excepta) te statuisset? An non eo ipso testimonium virtuti atq; existimationi tuæ præstitit, quale vel maximum desiderari posset?

Sed maius tamen illud est, quod à re ipsa sumptum est. Simul enim ac te Episcopum esse sensisti (quod in Culmensi Prussiæ Episcopa tibi primum fuit) ea subito animi contentione, ea industria constantiaq; te ad omnes eius muneris partes rite procurandas applicuisti, vt breuissimo tempore, & templa bonaq; Ecclesiastica plurima per hæreticos occupata, ac multis retro annis detenta, eripueris recuperaueris q; (quod ante te tentatum quidem fuerat, in Pomesaniensi præsertim administratione, at minimè perfectum) & eadem viris Sacerdotibusq; idoneis ac religiosis, diœcesinq; adeò tuam prope totam, ornaris repleuerisq; & disciplinam simul Ecclesiasticam passim collapsam magna ex parte reformaueris restitueris q;; & tale deniq; specimen omnis Episcopalis industriæ dederis, vt te vicini tui Episcopi, etiam eo in munere exercitatissimi, fuerint admirati.

Memini eo in genere, cum illo ipso tẽpore (vix autem annum vnum vel alterum tum in functione ista Episcopali tu exegeras) ego

ras) ego

ras)ego aliquando ad Illuſtriſs: ac Reuerendiſs: Epiſcopum Cuiauienſem, bonæ memoriæ Hieronymum Comitem à Rozdrazew, in Pomeraniam, diœceſis ipſius partem tuæ viciniſsimam, fuiſſem euocatus; poſtquam ille de varijs, quæ ad cultum Dei amplificandum pertinerent, mecum variè contuliſſet, interq; alia etiam in tui mentionem incidiſſet: mirifice prædicaſſe efficacem illam diligentiam tuam, adeoq; inter alia mihi confirmaſſe, te vnum ſibi videri, qui in ipſis initijs ſuis, etiam magnos & exercitatos Epiſcopos exæquaueris, ſibiq; adeò ipſi formam quaſi oſtenderis omnis induſtriæ paſtoralis. Nimirum ex re ipſa & effectu hæc metiebatur. Nam breuiſſimo tempore multa te in tuo Epiſcopatu iam conſecutum eſſe ac re ipſa præſtitiſſe agnoſcebat, in varijs Eccleſiæ tuæ ruinis reſtituendis, qualia ipſe in ſuo, ſumma contentione longè pluribus annis necdum ſatis efficere potuiſſet. Hæc ille. Et qualis ille, quantusq; Epiſcopus? Tantus certè, vt quiſquis eum norit, (norunt autem etiam nũc Regni huius incolæ maiores prope vniuerſi) is grauius de iſta tua functione teſtimonium vix poſsit expectare.

Iam verò etiam de altera illa dignitatis tuæ parte, Senatoria inquam, quantum in ea præſtiteris, quid attinet multa dicere? cũ conſtet Regno toti, non Epiſcopali ſolum
nomine

nomine, ſed grauiſsimo etiam Vicecancellarij Regni munere, in eam te aſcitum, & quidem id quoque grauiſſimo Regis iudicio, cũ tu in paſtorali iam illa cura defixus totus, minime omnium ea de re cogitaſſes: quin etiam cum tergiuerſareris, maximorum virorum conſilio ſuaſuq; (inter quos ſat ſcio eundem illum, quem nominaui, Reueren: Roſdrazeuium fuiſſe) quaſi adactum atque impulſum. Sed omnium maximum illud eo in genere eſt, quod cum non ita multo poſt ad Varmienſem Eccleſiam eſſes tranſlatus, cuius adminiſtrationem ſimul cum ſigilli officio ex Regni legibus gerere non liceret; & deſiderarent tamen, non Rex Sereniſs. ſolum, ſed plurimi etiam Senatorum Regni, vt ea tibi quoque functio protraheretur, (vt quam Reſp: cum primis ſalutarem Regni periculoſiſſimis temporibus hiſce agnouiſſet) primũ quidẽ Rex ipſe magno conſilio Eccleſiæ illius collationẽ non ante tibi detulit, quàm comitijs Regni, quæ tum agebantur prope ſolutis. Vnde fiebat vt ſaltem ad proxima ſequentia comitia, liceret ſimul etiam Vicecancellarij obtinere iſtam dignitatem. Iis vero poſt annum vnum denuo indictis, communi Regni totius conſenſu diſpenſatum fuit, vt ſic quoque longius in vtraq; illa, ad iterum alijs annis conſecutura comitia, functione perſeuerares. Talis tantaq; Sereniſs. Regis,

talis omnium ordinum Regni de ſingulari tua in rebus magnis gerendis, riteq; admini- ſtrandis prudentia, diſcretione, induſtria o- pinio fuit, tanta approbatio geſtorum tuo- rum.

Et hæc quidem ſunt publica tua. Illa me propius concernentia, quod Societatem to- tam noſtram, ſingulari ſemper fauore, ſtudio, protectione complexus ſis; quod me ipſum, ex quo cognouiſti (nouiſti autem complu- res ante annos) nunquam non beneuolentia peculiari ſis proſecutus; quod deniq; meos e- tiam, patriamq; meam vniuerſam, cum eius Epiſcopũ ageres, omni paterna cura ac pro- uidentia (breui licet tempore illis tuo opta- tiſsimo patrocinio frui fuerit datum) foue- ris, colueris, ornaueriſq;. Nec longa opus habent hæc quoque ſingula probatione. Nã quod ad Societatem noſtram attinet, res ipſa teſtatur, nullius te hactenus Eccleſiæ curam geſſiſſe, in qua non vel introduxeris eam primus (quod in Culmenſi factum) vel an- te te introductam, tum annuis copioſis Eleemoſynis auxeris, (quod in Varmieñ:) tum omni neceſſario alio auxilio pro viribus promoueris. Quin etiam Regno hoc toto Poloniæ latiſsime diſperſa Societas, non po- teſt non gratiſsimo animo & agnoſcere, & profiteri, totis illis ſeptem octoue annis, qui- bus Vicecãcellarij in aula Regia munere fun- ctus fu-

ctus fuiſti, in omnibus difficultatibus ſuis (quas interim permagnas paſsim varie experta fuit) non facilem ſolum aditum ſibi ſemper ad te patuiſſe: verum etiam nunquã acceſiſſe, quin vel conſilia opportuna neceſſitatibus ſuis, vel auxilia etiam idonea inuenerit.

Ego vero cum meis quid multa prædicem? Hic certe ipſe fœtus meus, qui nunc in lucem inter primos prodit, diu adhuc in tenebris latuiſſet, ac forſitan ſitu prope euanuiſſet, niſi tua ſingulari beneuolentia ac liberalitate, quaſi obſtetricante quadam manu, eductus atq; promotus fuiſſet.

Accipe igitur Præſul ampliſsime, hũc qualẽ qualem laborẽ meũ, accipe in tuorum erga Societatem noſtrã totam meritorũ monimẽtum, accipe gratiſſimi animi noſtri teſtimoniũ perpetuũ, accipe meæ particulariter obſeruantiæ erga te pignus: & qui inter varia alia tua erga me merita ſingularia, etiam huic ipſi opellæ meæ maximo fuiſti auxilio, vt lucem tandem hanc aſpiceret, eandem quoque & in poſterum vna cum Authore ipſo, & Societate adeò noſtra vniuerſa, ad finem vſque ſolita iſta tua benignitate fouere perge. Nos vero Deum interim ſupplicibus votis precabimur; vt & ingreſſum iſtum tuum in Epiſcopam hanc, fœliciſsimum tibi

esse velit, ac cum tibi ipsi, tum Ecclesiæ isti toti ac Reipublicæ Polonæ, cum primis salutarem: & inde in plurimos annos te nobis ac bonis omnibus conseruet florentem incolumemque. Datum Cracouiæ ad S. Petrum. 1. Martij, 1607.

Illustriss. ac Reuerendiss. D. V.

humilis in Christo seruus,

Fridericus Bartscius
de S. I.

PRÆFATIO AVTHORIS AD LECTOREM, INstitutum proprium operis huius & vsum explicans.

QVoniam tibi candide lector omnis nostra deseruit industria, nec quicquam æquè nobis in votis est, quam vt vsui esse tibi ad salutem nostri conatus queant: opera precium existimamus, ante omnia totius huius nostri instituti rationem tibi reddere, atque ob oculos ponere cogitationes in eo nostras, quo tanto inde facilius, eum quem optamus fructum, decerpere queas.

Commentationes in Euangelia anni totius, eo potissimum accommodatas, vt vna cum pietatis Christianæ informatione, etiam hæreseon nostri sæculi fœditas summa, ac pernicies inde patescat; in lucem proferre meditamur, earumque hic tibi specimen quoddam damus primum, vnde periculum fiat, ecquid sperandum nobis sit de fructu, si ad finem vsq; laborem eum perducamus. Hæreseon fœditas.

Deligere eam visum est materiam, vt ipsum Dominicarum occurrentium tempus atque Euangelia, occasioni essent tibi talia nobiscum fusius expendendi. Fit enim ferè ex more iam, vt Dominicis festisq; singulis, ea maximè optemus & legere & intelligere, quæ occurrentis pro tempore Euangelij historia nobis meditanda subministrat: ideoq; etiam operam dedimus cum primis, vt ita tractaremus singula, vt ex ipso præsenti Euangeliorum textu, propriè eruta nataq; viderentur, quæ disputamus. Euangelia occurrentia

Explicamus singulis diebus vnam aliquam Catholicæ doctrinæ partem fusè; eo fine vt simul & falsitatem ostendamus errorum contrariorum, & momentum: quo tanto & facilius ab omnibus & alacrius fugiantur; vtque eo ipso plenius etiam, & prudenti cuiuis satisfaciamus, & simul excitandæ quoquo modo Christianæ deuotioni inseruiamus. Ne tamen ipsa inde prolixitas tædium pariat festinanti, conamur quam distinctissime distribuere Longior rerum tractatio.

stribuere

stribuere omnia, in capita etiam, paragraphos, ac numeros quasi articulorum, singula partientes: Vt eo facilius si quis forte intelligentior, ex Vno aliquo Verbo (Vt fit) aliquando perceperit sensum totum; aduertat quomodo transilire possit iam percepta, & Vnde sibi nouum inchoet legendi caput.

Summariū cuiusuis disputationis.

Eandem ob causam, non in margine solum summā adscribimus singulorum propè articulorum; sed & ipso initio tractationis cuiusuis, totius discursus argumentū enarramus paulò prolixius, ita Vt lector occupatus, Vel ex eo solo, capita totius rei præcipua omnia haurire sibi possit: illa post modum sola in textu ipsô latius percursurus, quæ ad propositum suum aptiora iudicarit. Quæ quidem & ipsa, quo reperiat commodius, numeros in margine Vbiuis adnotauimus, qui singula, quo loco essent inuenienda, commonstrarent.

Adiunximus postremò post expletam disputationem quamuis, paræneses quasdam ad diuersos, eo fine, Vt omni ita generi hominum, aliquid adferre possemus emolumenti. Primum in ijs Euangelicum (Vt nunc Vocamus) lectorem quemuis alloquimur, ob oculos ipsi ponentes, quanti sit ponderis res ipsa atque error præsens, de quo agitur, in quo ipse Versatus est hactenus: Vt eo citius ad Catholicam Veritatem sibi animaduertat reuertendū. Inde Vero ipsos etiam Ministros, errorum omnium satores, petimus; periculum ijs summum quod adeunt, tantis suis fucis deceptionibusque demonstrantes: Vt desinant porro malefacere, nec tot homines in perditionem seducentes, damnationem sibi suam pergant in immensum amplificare. Tertio denique loco ad Catholicos conuertimur, ex præsenti Euangeliorum occasione, eos etiam peculiariter aggredientes; ac breui aliqua earum rerum, quæ acriores ad Vita emendationem pro tempore stimulos addere possint, exaggeratione, excitantes: Vt ita non in fide solum sua confirmentur & ij, sed mores etiam ipsi suos componere in Dei timore condiscant.

Parænesis ad lectorem Euangelicū.

Ad Ministros.

Ad Catholicum Lectorem.

Iniuimus consilium hoc, eo etiam fidentius, Vt siquidem

quidem omnia quis, quæ scribimus ad longum percurrere, vel nolit vel nequeat; saltem aliquid habeat sibi propositum, quod ex vtilitate ipsius esse queat. Vnde & repetenda tali occasione nonnulla fuêre, paulo frequentius; quæ vt vt fortasse omnia legentibus, tadij non nihil adferre possint: ijs tamen qui peculiariter ea solum inspicere velint, quæ sibi vsui esse queãt, necessaria erãt futura.

Ad extremum vt Catholicis etiam verbi diuini prædicatoribus aliquam seorsim adferremus commoditatem; placuit varios locos controuersos sigillatim annotare, simulque quatenus huc pertineant ostendere, ac paulò etiam quandoq; plenius, vel explicare, vel confirmare, qui occasione, tum præsentium, tum Euangelij præterea totius, in disputationem venirent: vt ita & ipsis syluam suppeditaremus paulò ampliorem, circa quam suam inde industriã, pro captu necessitateuè suorũ, latius exercerent. Annotatio Locorum.

Porrò in omnibus his eam secuti sumus, vel confirmandæ Catholicæ veritatis, vel oppugnandæ contrariæ prauitatis rationem; quam accommodatissimam Septentrioni huic nostro, tam infecto, ipsa docti experientia, indicauimus fore. Non multum vel sola Ecclesiæ Catholicæ authoritate, vel Conciliorum Oecumenicorum decretis; vel Pontificum maximorum responsis, vel Doctorum antiquissimorum numero consensioneuè, vel similibus alijs sacræ Theologiæ firmamentis, pugnamus. Vnis maximè sacris literis nitimur, rationibusq;, siue ex ijsdem ipsis, siue ex quotidiano rerum cursu, omnium oculis patenti, siue ipsorummet demum Ministrorum professionè desumptis. Non quod non aliorum etiam illorum & omnium, & singulorum summum censeamus esse momentum, ad quamuis in fide controuersiam dirimendam cõponendamq;, summum pondus: sed quod eo nos deduxerit temporum horum iniuria, vt quos vnice hic iuuare contendimus, apud eos minima omnium passim sit illorũ authoritas; hæc vero sola talia, quæ ne ipsi quidem negare vel audeant, vel possint. Iis ergo etiam tantum hic à nobis dandum fuit, vt ipsis vel maximè, cum abundè nobis suppe-

bis suppeteret necessaria, nos potissimũ accõmodaremus.

Habes lector amice consilium totum nostrum, atque ex eo ipso simul illud facilè intelligis, quid ijs simus responsuri, qui vel de nimia nos prolixitate forsitan sint accusaturi, vel superuacui laboris cuiusdam damnaturi, post tot tamque eximia plurimorum Doctorum opera, quæ scripta iam extant in materia eadem. Et prolixi sumus (vti diximus) sed ijs duntaxat qui vacare possint tantæ nostræ prolixitati; & breuissimi nihilominus, (vti ostendimus,) ijs quibus legere omnia nostra vel non libeat, vel forte per occasionem non sit concessum.

Nihil porrò noui quidem scribimus (neque enim ij sumus qui tantum de nobis præsumamus, quasi quidpiam, quod ante nos nemo dixerit, primi in medium adferamus) attamen ea quæ damus, nouo quodam vti vides, damus condita modo, ita vt vel eo ipso nomine, minimè improbari queant. Simillimum nos mundum, in isto maximè Aquilone nostro tam corrupto, iudicamus ijs infirmis; qui ex stomachi infectione laborant, quique inde sæpè, prout cibus quisque est saluberrimus, ita eum maximè auersantur. Quibus propterea si consuli debeat, necesse est, vt ijdem cibi subinde mutentur, non tam ipso genere suo, quam alia atq; alia condiendi ratione, vt vel sic tandem modus inueniatur, quo ea quæ saluti sint futura, etiam placita efficiantur. Eadem igitur & nos secuti sumus consilia, atq, ideo in hanc nouam formam, & quantum quidem nos sciamus, necdum vlli vsitatam, salutarem Catholicæ veritatis doctrinam digessimus, sperantes sic fore, vt aliquid saltem vtilitatis ad salutem, cuipiam adferremus.


Tu interim candide lector fruere labore nostro. si placet: sin minus, saltem animum, commodare saluti tuæ syncere cupientem, æqui boniq; consule. Neque turbere, si quandoq; paulò acrius inuehi videamur in nouorum horum Euangelismorum satores Ministros, tanquam impios totos, ac meros animorum hostes proditoresq;. Non enim tam personam hic cuiusquam petimus,

quam

quam Ministerium ipsum impietatis; neque vt agrè faciamus cuiquam, sed vt vel sic, si possibile sit, excitemus duriora corda seductorum. Ideoque ne quidem si Minister sis ipse, qui ista legis, habes quod contra nos inde iure tumultueris. Te enim ipsum etiam propterea seorsim alloquimur, tui vt te periculi summi in ea professione tua commonefaciamus. vt vel sic monitus, resipiscas in tempore, ni perire in sempiternum velis.

Quod superest Deum precamur, vt hos tibi conatus nostros, quisquis es, saluti: sibi vero honori esse velit. Quod si assequimur, amplissimum fructum laboris huius nostri retulisse nos existimabimus: sin minus (vt tenuissimæ sunt vires nostræ, & quæ vix polliceri sibi quicquam singularis frugis de se audeant) illud tamen nos eximie solatur, vnum illud syncere nos in omni studio isto nostro spectasse, vt alicui saltem bono Ecclesiæ esse possent, quæ damus.

VALE.



Facul-

Facultas Superiorum.

EGo Decius Striuerius Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Poloniæ: potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt Discursus siue Commentationes in Euangelia Dominicarum Aduentus, duæ item aliæ in Dominicam infra octauam Natiuitatis, & in Dominicam Quinquagessimæ R. P. Friderici Bartscij Societatis nostræ, grauium, Doctorumq; virorum iudicio examinatæ & approbatæ, typis excudantur. In quorum fidem, has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloq; munitas dedimus. Warszauiæ 4. Aprilis. 1606.

Decius Striuerius.

DOMINICA I.
Prima Aduentus.

Habet discursus tres: Primum breuiorem, occasione initij Epistola diei, Hora est iam nos de somno surgere, *de Temporum Ecclesiasticorum distributione. Alterum longiorem, ex occasione Euangelij secundùm vsum Romanum, de propria Iudicij extremi ratione. Tertium, ex occasione Euangelij iuxta vsum antiquum Septemtrionalium Ecclesiarum, de Aduentu Domini toto mansueto & humili.* Matth: 21.

DISCVRSVS PRIMVS,
De varietate Temporum in Ecclesia.

Demonstratur, iure optimo seruari in Ecclesia Temporum variam distinctionem, inaniterq́; eam à Ministris oppugnari.

SVMMARIVM DISCVRSVS TOTIVS
De Temporibus.

VAriam temporum differentiam obseruat Ecclesia, nihil verita inanes Ministrorum oblocutiones. 1.
Quia non veritas ea in re, vel Mathematicorum, vel Iudæorum superstitiones approbat; sed il- 2.
lud quærit, partim vt ita honestè, & secundùm ordinem omnia fiant in mysteriorum diuinorum 3. 4
commemoratione; partim vt ædificationi simplicis populi consulatur.

Et ordo verò bonus, non potest non, vti omnis, ita etiam in Temporum distributione laudari, cùm ipse etiam Christus, in omni sua vita eum sit studiosè consectatus; & vtilitas inde duplex non parua, pro ædificatione piorum merito expectatur.

5 Primum quidem inſtructio ſimplicium in præci-
puis fidei Sacramentis. Deinde verò etiam ſingularis
quidam ſenſus nouæ deuotionis, ordinata rerum diui-
narum commemoratione excitatus. Quorum vtriq;
ipſa etiam rerum experientia atteſtatur.

6. Neque repugnat huic quicquam, quod vel omni
hora æquè vigilandum doceant ſacræ literæ, vel ex-
preſsè tempora, & menſes, & annos obſeruari vetent:
Nam & Temporum partitio, nihil aliud eſt, quàm
multifaria ad vigilandum excitatio, & Iudaica eorum
7: obſeruatio vetita eſt, non Chriſtiana, Quæ tempora
ſacra, & appellat & efficit: quia ea diuinis myſterijs
particulariter, pia iſta obseruatione dedicauit.

9. Denique temporum obſeruatio, & ipſo genere
ſuo laudabilis eſt, & pars quædam prudentiæ, nec viti-
oſa vnquam, niſi ex circumſtantijs vitioſis. Quin ve-
riſsimum eſt, in ſacris huiuſmodi temporibus, ipſum
etiam Deum, ac ſalutem nobis eſſe viciniorem; quàm
10. alijs. Miniſtri verò dum ſuſtulêre Tempora omnia ſa-
cra, non aliam induxere reformationem in Eccleſi-
am, quam in aliena marſupia fures inferre, & latro-
nes, ſolent.


Sequitur ipſe Diſcurſus.

THEMA.

Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Rom: 13.

De varia Temporum differentia in Eccleſia Catholica, toto paſsim anno obſeruari conſueta.

1. Diuerſa in Eccleſia tempora.



VM ſacrum Aduentus Dominici Tempus ingreditur Eccleſia, eo ipſo initium facit, omnis illius differentiæ quam toto paſsim anno, in varia temporum diſtri-

butione

butione obseruat. Ideò enim tanquam diei cuiusdam noua nunc exordium faciens, illis Pauli omnes suos alloquitur: Hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. *Ideò in officijs suis diuinis atq; Ecclesiasticis, tanquam nouum annum quendam ingrediens, omnia innouat, & à capite resumit, itâq; disponit omnia, vt primaria totius anni consequentis tempora reliqua, huic quasi principio, certo modo connexa, faciat subseruire. Hinc nimirum paulò pòst lætißima Natalitia Festa, ordine concelebrat. Inde Septuagesimæ ac Quadragesimæ sacra, hoc est, Pœnitentiæ tempora exercet, ad condignam mortis Dominicæ commemorationem suos disponens: Inde Paßionis ipsius Dominicæ dies: Inde gloriosæ Resurrectionis Domini, & quæ ei annexæ sunt, festiuitates peragit. Ad extremum, inde vsque ad decursum anni totius, commune quasi peregrinationis humanæ spacium decurrit, donec tandem ita anno vertente, in eandem Dominici Aduentus celebritatem, ordo solennis iterum recurrat. Propria itaq; hîc occasio est, hanc ipsam dierum varietatem, & obseruationes sacras, contra prophanam temporum omnium confusionem nostri seculi Ministris vsitatã ac propriam, partim explicandi, partim defendendi.*

Rom. 13. 11.

2. MINISTRI *nostri temporis communiter omnes, piam huiusmodi Ecclesiæ ordinationem oppugnant, vario tamen impietatis & differenti gradu. Mennistæ cum toto ferè variorum generũ Anabapti-*

2 Sententia Ministrorũ.

baptistarum grege, penitùs omnem temporum differentiam aspernantur, ita vt nec certa quidem vlla festa aut Dominicas celebrandas censeant, tanquam Deo peculiariter sacras: Caluinistæ verò Puritani, Dominicas quidem retinent, cæteras tamen omnes festiuitates abyciunt, etiam Natalis Domini ac Paschatis sacri, & Pentecostes festa. Lutherani verò paulò mitiùs, sola festa pleraq; sanctorum, ac propriam Aduentus, & Septuagesimæ, Quadragesimæq; rationem, quo ad Diuinorum officiorum, & luctus ac Pœnitentiæ ordinem, sustulêre: retentis nihilominus nominibus etiam temporum eorundem, nec non & Euangeliorum serie, ab antiquo in Ecclesia Catholica obseruata. Omnium istorum vnus prætextus est, ne contra B. Pauli monita facere videantur, qui Galatas reprehendens: Quomodo, *inquit*, conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis? Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut ego, quia & ego sicut vos, fratres obsecro vos. *Hîc enim videtur Apostolus omnem simul temporum obseruationem tollere, inter infirma & egena elementa, quibus frustra seruiatur, connumerare, ac suo denique exemplo commonere, ne quid tale à piis vspiam suscipiatur. Sed vt totum hoc, quale sit, pleniùs intelligamus, primùm quidem in quo propriè sit, & qualis hæc temporum distributio in Ecclesia, docebimus. Deinde quã ea & rationi omni, & scripturis sacris conueniens sit, ostendemus.*

Ministrorũ prætextus. *Gal: 4. B 10.*

Multi-

Multifariam tempora obſeruari poſſunt. Eccleſia ea in re, ordinem & ædificationem ſpectat.

3. *VAria poteſt eſſe temporum certorum obſeruatio, non omnis vitioſa, imò aliqua Chriſtianiſsima.* 3. *Primùm obſeruat tempora, & horas, & momenta Mathematicus iudiciarius, quia propter varias ſtellarum coniunctiones & decurſus, certam temporibus certis energiam, etiam in actus humanos & liberos ineſſe credit. Et hæc impietas eſt pridem à Domino damnata, tãquam gentilium propria; æquè atque ipſa ſignorum cœleſtium ſuperſtitioſa obſeruatio, reprobata eſt:* Iuxta vias gentium, *inquit, apud Ieremiam Dominus,* nolite diſcere, & è ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt. *Et apud Iſaiam:* Stent & ſaluent te augures cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. *Secundò obſeruat dies certos, & tempora, & Nouilunia, & annos, Iudæus, tanquam ex lege Moyſi, vim aliquam ſaluandi habentia, & ideò etiam ad ſalutem conſequendam nunc neceſſaria. Et hæc ſuperſtitio eſt, à Paulo potiſsimum tota paſsim Epiſtola ad Galatas exploſa, tanquam à Chriſti religione aliena:* Euacuati enim, *inquit,* eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpê iuſtitiæ expectamus. *Tertiò denique obſeruat certa tempora Eccleſia, certis fidei ac primariis myſteriis celebrandis deſtinata, vt*

1. Obſeruatio temporum Mathematica.

Hier: 10:2.

Iſa: 47. 13.

2. Obſeruatio temporum Iudaica.

Gal: 5. 4.

3. Obſeruatio temporum Chriſtiana.

ta, vt decenter omnia, & ædificationi Christianæ apta, ac secundùm ordinem fiant, quæ factu sunt necessaria. Et hæc vera prudentia est Christiana, à Spiritu sancto dictata, qui author est omnis boni ordinis, vt contra omnis confusionis is qui princeps est tenebrarum, & loci illius vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: Omnia, *inquit Paulus*, honestè & secundùm ordinem fiant in vobis. *Et ibidem*: Omnia ad ædificationem fiant. *Et alibi*: Omnia tempus habent, *inquit scriptura*, Tempus plantandi, & tempus euellēdi quod plantatum est, Tempus flendi, & tempus ridendi, &c. *Deniq; D. Paulus particularem Christianæ sapientiæ partem in eo ponit, vt sua temporis ratio habeatur*: In sapientia, *inquit*, ambulate ad eos qui foris sunt redimentes tempus. *Et*, Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

1. Corin. 14. 40. 1. Corin. 14. 26. Eccl. 3. 1. Col. 4. 14. Ephes. 5. 11.

Ita videmus in omni benè instituta domo, singula munia, certa habere tempora, certas horas, vt omnia ordinatè fiant. Certas, inquam, esse horas surgendi, incumbendi, laborandi, edendi, feriandi. Ita ipsimet aduersarij, etiam qui maximè Ecclesiæ Catholicæ refugiunt instituta, tamen certa sibi tandem tempora, suis deuotionibus & conuentibus publicis definiunt, quibus vel ad conciones audiendas, vel ad alia diuina officia conueniant. Nec potest non extremæ cuiusdam accusari dementiæ, qui diuinis in rebus solis, certum ordinem temporum asperne- tur,

tur, qui in humanis omnibus ſolet eſſe, & vtiliſſimus, & laudatiſſimus. Nam & ipſe Saluator noſter in tota œconomia ſalutis noſtræ, nil ſine certa temporum diſtributione, orſus eſt. Noluit comparere in carne, niſi poſtquam venit plenitudo temporis, à ſe præfiniti: Vbi, *inquit Paulus,* venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. *Noluit per miracula manifeſtare ſe mundo, etiam benedicta matre ſua intercedente, niſi poſtquam venit hora ſua:* Quid mihi, *inquit,* & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea. *Noluit opus redemptionis noſtræ per paſſionem conſumare, niſi hora ſua:* Nemo, *inquit,* apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. *Denique nihil omnium quæ erant officij ſui voluit præſtare, niſi certo tempore à ſe præfinito:* Meum tempus (*inquit quibusdam Hieroſolymitanum iter ſuadentibus*) nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. *Si omnis temporum obſeruatio, Chriſti legibus eſt contraria, quomodo ipſe tàm ſtudioſus eſt temporum obſeruator, vt ne horulæ quidem ſpacium, ſibi in conſiliis ſuis patiatur immutari?*

Chriſtus ipſe ordinis temporum obſeruator.

Gal: 4. 4.

Ioã: 2. 4.

Ioã: 8. 20.

Ioã: 7. 6.

4. *Porrò vnum illud, quod diximus, propoſitum eſſe Catholicæ Eccleſiæ, in omni ſuo temporum diſcrimine, quod tenet, vt omnia ſecundùm ordinem, & ad ædificationem fiant in nobis: id ex ipſo temporum proceſſu & denominatione, ac myſteriorum fidei in iis celebratione, facilè demonſtrari poteſt. Nunc Aduentus tempus agimus, mox Natalitia,* 4.

inde Ieiuniorum, postea Paßionis, ac demum Resurrectionis, Ascensionis, ac sancti Spiritus demißionis consequentur.

Naturalis is processus mysteriorum diuinorum fuit: nec poterat ergo quicquam ordinatiùs ad ea annuè in Ecclesia obeunda institui, neque vlla alia causa erat, propter quam eadem serie, qua omnia hæc inter se gesta fuêre, ac mutuo consecuta celebrarentur in Ecclesia: nisi quia id ipse rerum ordo naturalis exposcebat. Itaq; ex iisdem etiam mysteriis denominationem suam tempora singula habent. Præsens hoc, quod hodie inchoamus, sacri Dominici Aduentus nomen sortitum est, quoniam in eo fidelium memoriæ recolendum proponitur, atque identidem iteratur, quicquid ad Aduentus huiuscemodi celebrationem legitimam pertinet, quomodo, inquam, pridem Saluatoris Aduentus promißus, quomodo inde ab antiquis patribus variè expectatus, quomodo tot sæculis certo consilio diuino dilatus, quomodo à Baptista præcursore denunciatus, ac demonstratus fuerit, aliaq; his consimilia, atque eodem spectantia. Ex simili postmodum occasione etiam Natalitia festa denominationem suam habent, & ita cõsequenter cætera pleraq; vniuersa.

Aduentus tempus vnde dictum.

Duplex in Ecclesiastica temporum obseruatione insignis vtilitas.

5. 5. NEque fraudatur in his, singulari quodam ædificationis fructu, quem quærit Ecclesia. Eo enim ipso ex ordine temporum, tàm aptè constituto, duplicem

plicem simul vtilitatem ad animarum salutem cumprimis exoptatam consequitur: quorum primus in instructione est rudis plebeculæ Christianæ, de primariis fidei mysteriis ac maximè necessariis ad salutem: Secundus in eiusdem ad omnem deuotionem, ac pietatis exercitium excitatione. Nulla alia ratione faciliùs simplex populus imbui doctrinæ Christianæ partibus primariis potest, quam si sensim eæ ipsi, ac quam fieri poßit ordinatißimè instillentur: nulla æquè ratione excitari humanus animus, quam si pondus mysteriorum fidei, certo ordine ipsi proponatur inculceturúe. Ita enim vsu venit, vt & faciliùs penetretur rerum magnitudo in singulis, & animus noster (qui facillimè nauseat etiam in optimis, si eadem ipsi perpetuò obiiciantur) ordinata tali temporum succeßione, subinde ad eadem, tamquam noua redeat, iisdemq́; longè ardentiùs afficiatur.

Rudis plebeculæ instructio.

Pia animorum ad deuotionem excitatio.

Similis animus humanus est, in communi maximè populo, vitreis illis vasculis, quæ infernè quidem capacia satis sunt, at supernè angustißimo orificio, ac quasi collo constringuntur, quibus propterea si quemuis liquorum paulò simul superinfundas copiosiùs, totum communiter effluit; sin sensim instilles, totum sensim concipitur: ita commune vulgus, si simul ei ac nullo ordine certo ingerantur diuinorū mysteriorum momenta, minimè capax eorum comperitur; sin ritè ac pedetentim obiiciantur, capacißimum. Ita, simile vulgus omne, suapte natura populo illi Iudæorum, qui licet, vt scriptura loquitur panem de cœlo sibi præstitum comederet suauißimū,

Simile.

Simile.

Sapien: 16 C 20.

atque omne delectamentum in se habentem, tamen quia eundem comedebat continuò, eo paulatim deuenit tædij, vt primùm quidem quereretur dicens; Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi, nisi manna. *Postmodum verò etiam expressè murmuraret:* Deest, *inquiens*, panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. *Talis, inquam, ferè conditio omnis animi vulgaris. Etiam efficacißima fidei nostræ mysteria, si semper, simulq; & indistinctim ipsi obijciantur eadem, paulatim insipida ei fiunt tota, & quasi insensibilia. Varietate nimirum leuandus est, vt ita certis quibusdam interuallis, quasi recens ad eadem reuertatur.*

Num. 11, 6.

Num. 21, 5

Totum verò id, in piis, diuinus iste in Ecclesia Catholica obseruatus ordo operatur. Docet quidem id ipsa rerum experientia. Nemo enim est inter Catholicos, tàm simplex rudisue, vbi huiusmodi ordo distinctè ac sedulò seruatur in Ecclesiis, qui non eo ipso, mysteriorum eorum fidei, quæ iis obeuntur, distinctißimam cognitionem facilè assequatur. Ita nemo est piorum Catholicorum; qui non mirificè afficiatur alternata ista diuinorum mysteriorum celebratione, qui non, inquam, & Aduentus Dominici tempore, nouo quodam sensu, Incarnationem Domini recolat, ac quasi animo persentiscat, & similiter Natiuitatem in Nataliciis, Itidem acerbißima crucis tormenta in Paßione, & ita de reliquis. Nouus in his paßim deuotionis excitatur ardor, noua conuersionis & Pœnitentiæ studia, noua omnis pietatis exercitia

Experientia Ecclesiæ quotidiana

ercitia, vbi vel mediocriter pastores animarum, officio suo desungi nouere. Quorum omnium contra vix quicquam animaduertitur iis in locis, in quibus religiosa ista Ecclesiæ Catholicæ exulat disciplina.

6. N*Eque verò est quod quenquam hîc moueat illud, in speciem quale quale: Omni hora, omniq; die nobis æquè in rebus diuinis vigilandum esse, ideóque nulla temporum opus esse distinctione:* Vigilate enim, *inquit Dominus*, quia nescitis diem neque horam. *Quasi dicat, semper propterea, & omni omnino die atque hora vigilate. Nempè enim aliud est, officiũ nostrum esse, vt semper in rebus diuinis vigilemus, nec ea in re vllā expectemus temporũ differentiam; aliud, quod ad idem officium præstandum, nos diuersimode etiam varia temporum distributione excitemus. Nouit Ecclesia officium illud esse nostrum, sed eadem vt pia mater, simul probè agnoscit, eodem in officio præstando imbecillitatem nostram. Ideóque ad eam subleuandam, meritò omni, qua potest, ratione connititur, etiam diuersa temporum, dum ita expedire iudicat, adhibita partitione. Ita enim etiam Patremfamilias cœlestem, diuersa horarum obseruatione in operariis suis conducendis, vsum fuisse didicit, dum alios tertia, alios vel sexta, vel nona, vel vndecima etiam, horis diuersis euocauit, vt quos vna fortè hora minus paratos inuenisset, paratiores inueniret saltem altera. Denique si Angeli essemus, quorum vnus idemque est animi status perpetuus, nullis talibus subsidiis egere-*

6.
Omni hora Vigilandum

Matth: 25. 13.

Temporum partitio, ad vigilandum excitatio est.

egeremus. Nunc quia homines sumus, qui pro naturali carnis infirmitate variè distrahimur; varia etiam & omni humana ratione excitari, & adiuuari debemus. Vnum autem ex potissimis humanæ industriæ adminiculis, est ordo legitimus in rebus agendis obseruatus.

Iudaica temporum obseruatio à Paulo interdicta.

Ad illa Pauli ad Galatas facilis ac plana est responsio; à Iudaicorum temporum obseruatione ibi Apostolum nos deterrere, dierum scilicet in Sabbathis, mensium in Nouiluniis, temporum in Quinquagesima, siue Iudaicæ Pentecostes, ac septimi mensis solennitatibus; annorum in septimi annî, similiumq; aliorum remissione. Patet hæc Pauli mens, ex toto Epistolæ illius decursu. Nil enim aliud æquè vrget in ea Paulus, quàm vt Galatas, à pseudoapostolis iam propè persuasos: legis Mosaicæ vnà cum circumcisione obseruationem, esse necessariam ad salutem, ab ea persuasione auocet, tanquam quæ omninò repugnet officio Christianæ vocationis. Itaq; etiam Patres plerique omnes antiqui, de Iudaicis obseruationibus ista interpretantur. Ita enim Chrysostomus in eum locum scribens, vnàq; & Hieronymus, & Augustinus ibidem. Vnde ex eo concludere non esse seruandam Christianam temporum differentiam Christianis, quia Iudaicorum temporum exoleuit obseruatio: tantundem est, ac si concludas templa nulla esse vel ædificanda, vel colenda Christianis, quia Iudaici templi prophanatus est vsus; ita ieiunia nulla, conuentus populi ad diuina officia nullos, quia etiam Moyses habuit suos in his statos ritus,

qui

qui sunt sublati. Denique vt piis illis Pauli monitis satisfaciamus, satis est nos cum Iudaicis cæremoniis in his, in quantum talia sunt, nihil habere commune. Id quod luce clariùs est, Ecclesiam nec habere, nec omninò habere velle.

7. *Ad extremum illud fortè alicui moueat scrupulum, quod Ecclesia huiusmodi temporum sacrorũ differentiam, sacram vocat. Communis enim illa Ecclesiæ phrasis est, vt sacrum vocet tempus hoc Aduentus Dominici, ita sacrum tempus Quadragesimæ, sacrum Passionis, & ita de reliquis, ipsos etiam festos suos dies, sacros censeat. Videtur ergo existimare, ipsi tempori aliquam inesse sanctitudinem, ac propterea præ cæteris obseruare tempora certa, quia præ cæteris ea sacra esse iudicet, in quod superstitioni proximum esse apparet. Cuius enim sanctitatis capaces sunt dies, & vna præsertim præ aliis? quando quidem in omnibus æque sol oritur, ac per meridiem vergit in occasum, vt vicißim oriatur, nullo sanctiore ortu præ cæteris exhibito. Sed facilis responsio est,* 7. Tempora qui vel fiant vel dicantur sacra in Ecclesia.

Reuera enim sacra sua censet tempora Ecclesia, eaq; ita appellat, sed propterea sacra, non quia ipsa in se præ cæteris quicquam habuerint sanctitatis, sed quia ea ipsa Ecclesia sacrauit, Deoq; particulariter ad obeunda diuina mysteria dedicauit. Ita septima olim dies, siue Sabbathum sacrum, quia à Deo sacratum, & cultui suo dedicatum, cum alioqui dies esset aliis per omnia similis, ita omnis hostia olim boum, vitulorum, arietum, agnorum, & similium,

um, ſacra, & carnes eorum ſacræ, non quòd bos ipſe, vel beſtia quæuis alia in ſe, præ alijs ſui generis, ſancta foret: ſed quia altari Domini deſtinata ac conſecrata. Seruat ergo propter ordinem officiorum diuinorum aptum, ædificationemq́ inde fidelium procurandam, Eccleſia certa tempora, eaq́; ſacra vocat, non quia ſacra ea præ reliquis anni temporibus inuenerit, ſed quia eo ipſo, quo ſacris talibus vſibus ea applicauit, ſacra ea fecit, ſiue Domino conſecrauit. Vereq́; iam reus eſt temeratæ rei ſacræ, quicunque huiuſmodi tempora ſacra temerariò auſu (vt ſacrilegi iſti Miniſtri noſtri) violauerit; non minùs quàm reus olim, quicunque carnes boum, aliarumúe hoſtiarum ſacrarum, poſtquam ſacrata fuêre altari, temeraſſet.

Annotatio locorum, qui occaſione horum, quæ diximus, de temporum diſtinctione aptè ad fidei Catholicæ confirmationem tractari poſſent.

NOn hîc agimus de tota latitudine earum Quæſtionum, quæ occaſione temporis ipſius præſentis, primæ, inquam, Dominicæ Aduentus, ſatis commodè tractari queant ad fidei profeſsionem, vel Catholicam corroborandam, vel hæreticorum oppugnandam: ſed eorum duntaxat, quæ tractatu hoc noſtro ſuperiore vel explicatæ iam ſunt, vel implicitè certè continentur. Idque eo fine, vt ita Catholicus concionator faciliùs, quaſi in tabula vna breui, ſimul expoſita varia conſpiciat, ex quibus ſibi deligat, quæ vſui eſſe poſsint. Eandem porrò rationem, & in ſequentibus Dominicis, tractatibusq; ſingulis Dominicarum communiter obſer-

obſeruabimus; ſeorſim inde, ſi qui alij loci præterea in Euangelijs occurrant, apti ad eum finem, annotaturi.

Igitur de varia temporum differentia in Ecclesia, quatenus nos de ea diſſerimus, aliquot occurrunt loci diuerſi.

Primus locus.

8. *TEmporum obſeruatio, ex ipſo genere ſuo bona eſt, & ad prudentiæ virtutem pertinet, nec niſi ex circumſtantiis annexis fieri ſolet vitioſa. Quod bona ſit, ex illa vniuerſali ſpiritus ſancti enunciatione facilè deducitur:* Omnia tempus habent. Eccli 3.
Item ex generali omnis negotiationis humanæ conſideratione. Vix enim eſt ars vlla, vix vlla occupatio humana, quæ non aliquam ſimul temporum viciſſitudinem obſeruationemq́; annexam habeat, ſi benè fieri debeat. Ergo quod Mathematica *obſeruatio à* Deo *in* Prophetis *reijciatur, id aliunde habet.*

Non ſcilicet id inde eſt, quia obſeruatio temporum eſt; ſic enim ipſa etiam anni in menſes, menſium in dies, dierum in horas diſtributio Mathematica, eorundemq́; ſcientia varia naturalis ex obſeruatione temporum profluens, mala foret, quia temporum differentiam concernit: ſed quia nimium tribuit temporibus, eamq́; ex ijs futurorum præſcientiam quærit, contra Dei voluntatem, quæ nulla eis ineſſe poteſt. Ita quod Iudæorum nunc tempora vetita; non id ex genere ſuo eſt, (alioquin enim ne ſub antiquo quidem teſtamento, licita fuiſſet eorundem cuſto-

custodia, id enim quod ex ipso genere suo illicitum est, perpetuò illicitum censeatur necesse est) sed quia iam euacuata sunt tempora illa in Christo, prout omnes cæremoniæ aliæ legis, ideóque eo ipso inania reddita. Quòd, si etiam salus ijs, more Iudaico, modo quæratur, etiam perniciosa iam foret omnis obseruatio talis. Cùm igitur Ecclesia saluberrimum finem habeat in sua temporum vicißitudine, vti docuimus, sibi propositum: non potest non optimum censeri ea in re consilium ipsius.

Secundus locus.

Certis tẽporibus vicinior est nobis prę alijs Deus, non ex ipsa temporum ratione, sed ex pia dedicatione ab Ecclesia facta, maioribusq́; tum pietatis studijs vsitatis.

9. P*Articulariter verò occasione illius, quod docuimus, quo sensu tempora alia præ aliis sancta dicantur, fiantúe in Ecclesia; & illud hîc tractari potest, quomodo de certis quibusdam temporibus suis videatur asserere Ecclesia; quasi vicinior, tum nobis sit Dei gratia, Deusúe ipse, quàm aliis.*

Et eo quidem modo loquendi vti Ecclesiã, clarum est. Nam & de hoc ipso Aduentus tempore, Dominica præsenti illud nobis occinit: Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. *Et tertia Dominica aliud illud:* Gaudete in Domino semper, &c. Dominus enim propè est. *Eademq́*

In Epistola diei.

Philip: 2.

demq́; die etiam illud: Propè eſt iam Dominus, venite adoremus. *Sed & eodem ex capite, nunc diligentiorem quandam à nobis exigit rerum diuinarum procurationem, quam alias. Inde enim hodie concludit:* Ergo hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. *Inde poſtea:* Ergo venite adoremus. *Ita etiam de tempore ſacro Quadrageſimæ:* Ecce: *inquit nunc* tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. *Et de eodem:* Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dū propè eſt. *Ex iiſdem cauſis tum quoque concludit acriùs rebus diuinis, ac pœnitentiæ inſiſtendum. Nimirum veriſſimum iſtud eſſe credimus non commemoratione ſolùm, ſed & re ipſa.*

In Epiſt:
Matutin:
Inuitat.
1. Cor: 6. A
Iſa. 55. 6.

Verè, inquam, propior nobis talibus temporibus eſt Deus, ſaluſq́; noſtra præ aliis: non eo ſolùm modo, quo, quia nunc Dominicæ Incarnationis memoriam agimus, qua ſalus nobis parta eſt; quantò viciniores ſumus feſto Natiuitatis, tantò propiores ſimul ſaluti ipſi, per eam allatæ, per eandem commemorationem effici videmur. Sed & quia verè tali tempore præ aliis faciliùs copioſiùſq́; dona gratiæ ſuæ communicat Deus.

Prouenit id, non ex eo, quaſi Deus, temporum eorum aliquam peculiarem rationem habeat præ cæteris: ſed propter ſtudium quoddam pœnitentiæ nouum ac ſingulare, quod iis temporibus paſſim viget in piis. Quo quidem non poteſt non piiſſimus Deus, cùm id habeat gratiſſimum, viciſſim & ipſe noua quadam copia & facilitate in Eccleſiam dona ſua

diffundere. Certum habemus ex ſcripturis ſacris;
Pſ:118.155 *prout* longè eſt à peccatoribus ſalus; *ita*, pro-
Pſ:144.18 pè eſſe Deum omnibus inuocantibus eum in
veritate *: itemq́; prout longè eſt à corde & cogitatio-
nibus impiorum Deus; ita propè eſſe ijs qui quærunt*
Iacobi 4.8 *ipſum.* Appropinquate enim Deo, *inquit Ia-
cobus*, & appropinquabit vobis. *Et Dominus*
Matth: 18. 20. *ipſe :* Vbi duo vel tres ſunt congregati in no-
mine meo, ibi ſum in medio eorum. *Nec
minùs certum eſt & illud, ex ipſa rerum experien-
tia, tempore hoc ſacro Aduentus, plurimorum cor-
da in Eccleſia, myſteriorum fidei maximorum, quo-
rum memoria agitur, meditatione excitata, magno
quodam feruore rapi præ alijs temporibus, in omne
exercitium pietatis. Quomodo non ergo viciſſim
etiam ipſe Dominus, noua quadam benignitatis ſuæ
oſtenſione, ad omnem gratiam communicandam tum
intentus? Quod ſi inter Principes huius mundi, dum
natales ipſorum dies celebrantur, quo quiſq; eorum
eſt locupletior liberaliorq́;, eo etiam copioſiùs tum
munera ſuis variè largiuntur. Quid de Rege Re-
gum Domino Chriſto, omnium & ditiſsimo, & beni-
gniſsimo, ſentiendum erit? dum videt Eccleſiam non
ſolùm ipſum natalem ſuum diem, omni deuotione
peragere, ſed & tanto tempore prӕterea (Aduentus
inquam) ad eum debitè celebrandum, ſe ſuoſq́; dili-
gentiſsimè comparare.*

*Denique, videmus omni alia in re, quæcunq;
rationabili obſequio dedicantur ab hominibus Deo,
ita viciſsim affectum reddere Deum, vt benigniſsi-
mè ea*

mè ea aspiciat, seq; ijs præsto esse in gratia ostendat. Ita enim dum corpora nostra offerimus iuxta scripturæ monita, Deo hostiam viuentem, sanctam, placentem, *habemus vicißim singularem corporum nostrorum custodem Deum. Ita in* [a] *Eleemosynis*, [b] *in orationibus, in quauis alia* [c] *oblatione antiquorum, paßim testatur scriptura*, in odorē suauitatis, *ea admissa à Deo, hoc est, ostendisse vicißim, benignè se cōplecti sacrificia huiusmodi, Deū.* Rom:12. a Phil.4. b Psal:140 2. c Gen:8.21.

Ita in locis semel dicatis Deo, paßim ipse se conspiciendum suis olim obtulit Deus, vt Abrahæ in [d] *Bethel, vbi ante ei aram construxerat, vt* [e] *Iacob ibidem, vt Moysi paßim in tabernaculo. Templo verò postmodum erecto, atque ad eum finem dicato, vt orationes ibi suas ad Deum funderent fideles, ita benignè oblectatus est Deus, vt & promißionem adiunxerit: adfore se ibi perpetuò suis:* Et erunt, *inquit*, ibi oculi mei & cor meum cunctis diebus. *Quidni igitur etiam in tam pia temporum consecratione, quæ Ecclesia diuinis beneficijs maximis, omni cum pietate ac reuerentia recolendis, rationabilißimo obsequio dedicauit, eandem sibi Dei benignitatem vicißim propinquißimam polliceatur? Hæc igitur explicanda hac occasione sunt populo Catholico, & studiosiùs etiam inculcanda, vt ita annuas huiusmodi Ecclesiæ obseruationes, & amplectatur feruentiùs & diligentiùs etiam ijs se accommodando sectetur.* d Gen:12.8 Gen:12.8. e Ge:28.19 Gen:35.9. f 3. Reg.9. 8.

Tertius Locus.

Miniſtri in ordinem redegere tempora ſacra in Eccleſia, eo modo quo fures ditiorum marſupia ſolent reformare.

10. 10. E*T quoniam Miniſtri noſtri omnem communiter huiuſmodi differentiam ex Eccleſia ſuſtulère, idq́; reformanda Eccleſiæ ipſius nomine: commoda hîc occaſio eſt, inſignem ſimul diaboli fraudem ſimili*
Simile. *in prætextu oſtendere. Nempè reformarunt in his apud ſuos Eccleſiam Miniſtri, eo modo quo fures ac latrones ſolent ditiorum marſupia in ordinem redigere, vt nihil ſcilicet in ijs remaneat boni, iuxta il-*
Ioā: 10. 1. *lud Chriſti de ſimilibus*: Qui non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, fur eſt & latro. *Et mox*: Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet.


Tollunt bona omnia Miniſtri ex Eccleſia. *Suſtulerunt ſacrum tempus Aduentus, & vnà cum eo pulcherrima deuotionis excitandæ in populo Chriſtiano præſidia, inter quæ etiam quotidianam illam deſideriorum antiquorum Patrum, quibus illi Chriſti exoptabant Aduentum, repetitionē in Miſſa, quam Rorate vocamus, recoli ſolitam; & quicquid præterea piè à maioribus inuentum fuit, ad acuenda hoc tempore ſtudia pietatis aptum. Suſtulerunt æquè & ſacram Quadrageſimæ obſeruationem, vnà cum omni ieiunio, omniq́; præterea alio apparatu*

Pœni-

Pœnitentiæ nostræ exercendæ, quibus prout nunc, ad dignè recolendam Christi Domini Natiuitatem; ita tum ad Paßionem eiusdem, debita cum animi, vel puritate, vel gratitudine obeundam, suos Ecclesia præparabat. Sustulêre quicquid præterea boni in temporibus ritè ab Ecclesia antiqua distributis, variè per annum totum, ad exercitandam fidelium pietatem fuerat constitutum. Itaq; & Rogationum sacros dies ad iram Diuinam precibus abstinentiaq; singulariter auertendam introductos, aboleuêre: & sacra Quatuor Temporum ieiunia, precesq; ad Ministrorum Ecclesiæ omnium ordinum legitimam salutaremq; institutionem à Deo obtinendam, ordinata, extinxêre. Quin & Feriæ sextæ singularum Hebdomadarum piissimam obseruationem, ad frequentandam Dominicæ Paßionis memoriam, piissimè institutam, abrogauêre. Sustulerunt, inquam, ista Ministri, tanquam superstitiosa.

Sed quid tandem boni eorum loco ipsi substituêre? Hoc enim demum legitimè reformare fuisset, ea quæ deprauata sunt corrigere, hoc est, mala quidem tollere, at meliora iis subintroducere. Isti verò infœlices, sub titulo tam specioso, hoc reformationis, bona quidem mera, imò optima Ecclesiæ studia sustulere, & interim nihil subintulere nouum melius. Itaq; etiam effectum videmus in ipsis, non alium quàm quem reformatio talis requirebat. Vbi olim singularis quædam innouatio sentiebatur animorum, ad omne studium deuotionis, & in Aduentu hoc, & in Quadragesima: nunc eorum vix etiam iis memoria

Nil boni substituunt Ministri in Ecclesia.



ria superest, imò continua fere plerisq; vel Martinalia sunt, vel Bachanalia, vel certè qualia ijs Martinalia, talis Aduentus, talia & Domini Natalitia festa, qualia Bachanalia, talis & Quadragesima, tales & Paßionis dies, tale denique & Pascha Resurrectionis. Frigus animorum perpetuum, nullus vnquam sensus pietatis nouus, nullus abnegationis sui, vel mortificationis feruor nouus, nullum pœnitentiæ studium nouum. Antiqua denique veteris Adæ studia omnia perpetuata, Sed hæc de hisce.

SEQVITVR DISCVRSVS ALter, ex Euangelio, secundùm vsum Romanum.

EVANGELIVM LVC: XXI.

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris præßura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores. cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas: ita & vos cùm

cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt Regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

DISCVRSVS ALTER,
De propria Iudicij extremi ratione.

Demonſtratur, Miniſtros noſtri ſeculi articulum de Extremo Iudicio Chriſti, extremè deformaſſe, adeóque quantùm in ipſis eſt, eneruaſſe penitùs.

SVMMARIVM TOTIVS DISCVRSVS.

DE ipſa Iudicij extrema eſſentia hîc agimus. Ea tota circa examen operum humanorum verſabitur, vt bonis quidem præmia, malis verò ſupplicia debita decernantur. 11. 12. 13. 33.

Id Chriſtus ipſe docuit, id Apoſtoli, id Prophetæ, id omnis Chriſtiana ratio dictat.

Soli infœlices Miniſtri id totum pernegant, non verbis quidem, ne nimis abſurdi videantur: ſed ipſa tamen Euangeliſmorum ſuorum primariorum profeſſione. 14.

Pernegant, inquam, primum quidem bonorum operum iudicium; dum partim negant vllum opus bonum vſpiam reperiri poſſe, quod iudicium illud ſuſtinere queat (ita enim Lutherus, ita Caluinus, ita Melanchton, ita omne Euangelicorum vulgus, ita ratio ipſa in Euangeliſmis ipſorum fundata, docent) partim nullam iuſtitiam cuiuſquam propriam & adhærentem agnoſcunt, ſed in ſola Chriſti iuſtitia impu- 15. 37.

 tata

tata suos requiescere iubent. Id quod testatissimum
35. est professionis omnis istorum caput: partim ne necessaria quidem esse opera ad salutem prædicant, nec
pertinere longiùs quàm ad vitam istam præsentem
37. posse: partim denique mercedem in cœlis omnium
æqualem fore contendunt.

16. 17. Si indubitatum est, opus bonum nullum in omni
34. rerum humanarum natura reperiri posse: ratio ipsa
dictat, inane fore examen, quod de eo instituatur.
Nec enim nisi stultissimus quisque inquisitionem talium sibi indiceret: nec fieri etiam omninò in vllo iusto
judicio potest, vt quæ veræ mala sint opera, propter
cuiusquam alterius dignitatem, præmio ipsa digna
pronuncientur. Eademque ratio est, si indubitatum
35. est, nihil opera necessaria non esse saluti, vel mortalem hanc vitam non excedere.

18. Ita si certum est, nullam vspiam esse cuiquam iusti-
36. tiam propriam coram Deo, sed solam vnam Christi
sanctimoniam omnibus imputatam: non nimùs certum erit, solius Christi sanctitati coronam iustitię omnem ritè adiudicari posse; non propriæ cuiusquam.
ideòque ne examinandam quidem venire propriam
vllam, vt præmium ei detur. Eadem ratio est, si cer-
37. tum est omnium in cœlo mercedem æqualem fore.

Pernegant secundum, Malorum, inquam, operum
19. condemnationem, dum partim omnem arbitrio humano libertatem, in rebus vel iustificationis, vel peccatorum penitùs ademêre. (id quod commune est Ministrorum omnium, ac proclamatissimum dogma) partim docent Deum etiam ipsa mala malorum opera in peccatoribus absoluta sua voluntate ac potentia plene operari. Id quod & Lutherus initio cum suo Melanchtone certò docuêre, hodiéque Caluinistæ omnes profitentur, ita educti à Primariis Ministris suis, Caluino, Beza, Zuinglio, &c.

20. 21. Si nulla est homini libertas arbitrij etiam in peccatis; nihilo potest eum magis punire Deus in ijs, quàm
canem

canem suum rabidum quiuis, quem ipsemet vinclis 22.
exsoluisset, vt obuios læderet, vel pueros, amentes, 38.
phreneticos quosuis, dum rationis limites excedunt.

Si plenè operatur omnia Deus, etiam mala in malis; 23.
nihilo magis potest punire quenquam ob mala sua ip- 24.
se, quàm Pædagogus quiuis clientem suum, cuius di- 39.
gitis manu sua ductis, ipse turpissimas quasque formas
in charta aliqua depinxisset.

Quàm verò turpis error iste Ministrorum? Tur- 25. 26.
pissimus quidem certè: 1. Quia ipsam Iudicij essen-
tiam ita sustulêre. 2. Quia in ipsis primis fidei Chri-
stianæ Elementis ita errauêre. 3. Et id totum, in ipsis
primis ac maximis Euangelismis suis inclûsere.

Nec minùs perniciosus error iste, quia in causa Iu- 27.
dicij omnium grauissima, primum statũ ipsum Quæ-
stionis totum inuertêre. Tum firmamenta eius omnia
eneruauêre, opera, inquam, bona, quibus solam substi-
tuêre fidem. Et tandem ne ipsam quidem fidem inte-
grè satis suis definiuêre.

Denique etiam periculosissimus error idem, quia 28.
sic quoque quos in extremum iam discrimen salutis
traduxere, perpetuis demulcent consolationibus, nec
cogitare satis de tanto periculo patiuntur. Ergo hora
est iam tandem nos de somno surgere, ac tenebriones
istos, tenebrarum Ministros, omni studio deuitare.

Sed & Ministri ipsi meritò resipiscant in tempore, à 29. 30.
tanta rerum fidei deprauatione. Id enim ni faciant, &
in extremam necessariò cadent die illa rerum omni-
um suarum confusionem, & in condemnationem ma-
ximam ac triplicatam.

Quisquis verò Catholicæ hactenus fidei professor 31. 32.
est, & meritò perseueret: sed meritissimo nunc aures
præbeat obsequentes piæ matri Ecclesiæ; partim le-
niter monenti, partim terribilem ad id iudicij tubam
intonanti, vt à somno surgentes omnes, vel opera te-
nebrarum abijciamus; (ob diem scilicet iam præsentẽ,
& ne in exteriores tandem tenebras alioqui corrua-

mus) vel arma lucis induamus ad principem, scilicet, tenebrarum repellendum; vtque in æternam tandem lucem ingrediamur.

Sequitur ipse discursus.

THEMA.

Tunc videbunt filium hominis, venientem in nube, cum potestate magna & maiestate.
LVC: XXI.

Ministri nostri sæculi, Articulum de extremo Iudicio Christi extremè deformauerunt.

11. 11. *CErtum est hoc loco Christum de eo Aduentu suo loqui, quo, vt in Symbolo Apostolico nos credere profitemur:* Venturus est iudicare viuos & mortuos. *Propria ergo hîc occasio est, articulum fidei de extremo iudicio ritè ac Catholicè explicandi, quamq́; is extremè deformatus sit, à nostri temporis Ministris demonstrandi.*

Tria hoc in Euangelio ea de re potissimùm nobis expendenda proponuntur. Primùm, ipsa iudicij essentia, quæ paucis illis verbis thematis loco à nobis propositis, insinuatur: Tunc videbunt filium hominis, &c. *Secundò, signa horribilia, ac planè stupenda, quæ immediatè iudicium illud præcedent, idq́; mundo instare denunciabunt. Ea ipso Euangelij initio describuntur.* Erunt, *inquit*, signa in sole, & luna, &c. *vsq́; ad illa*: Et virtutes cœlorum moue-

mouebuntur, &c. *Tertiò, effectus proprius, quem in animis piorum causare debeat, efficax instantium istorum portentorum meditatio. Is illis continetur:* His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra, &c. *Pleraq; ista omnia extremè à Ministris nostris sunt deprauata, sed nos hîc primùm solùm, vt quod potissimùm est, pro hac vice examinabimus. Idq; vt faciliùs intelligatur, primùm quidem, quid ipsa habeat in eo veritas Catholica ostendemus; tum quid hæresis corruptelarum ei asperserit declarabimus.*

Tota extremi Iudicij Quæstio, sententiaque circa opera hominum, vel bona, vel mala, diiudicanda versabitur, vt præmia sua bonis, pœnæ verò malis decernantur.

12. *Omnis iudiciorum essentia, circa id quòd in ijs propriè in quæstionem venit, ritè constituendum, versatur. Et huius ergo, etiam extremi Iudicij Christi ratio propria, tota in simili earum rerum, quæ in controuersiam in ipso vocabuntur, iusta discretione ponatur necesse est, quodq; inde consequens est, tum demum substantiam Iudicij eiusdem, veram, ritè didicerimus, si quid in eo propriè controuersum futurum, quidue examinandum sit, ac tandem decernendum, intelligamus. Quod quidem si inuersum penitus Ministrorum hæreticorum doctrina inuenerimus, & ipsam certè iudicij substantiam (quantùm quidem in ipsis est), penitus euersam facilè intelligemus.* Substantia iudicij cuiusuis in quo fit.

Id ve-

Iudicium extremum tot.

Id verò habet Catholica veritas, & omnis scriptura sacra confirmat, forè totum quod quisq; hominum olim gesserit in corpore suo, siue bonum, siue malum. Totum, inquam, iudicium illud in eo erit, vt quæ quisq; in corpore degens, vel bona fecerit, vel mala, examinetur, ac secundùm eadem opera, sua vnicuique merces, vel bona, vel mala constituatur; pro bonis, inquam, operibus, merces bona, & vita æterna; prò malis verò merces mala; & damnatio perpetua: pro multis bonis ac magnis, merces multa & magna; pro paucis bonis, ac paruis, merces parua & modica: vti contra pro malis multis, grandis pœna; pro paucis minor. Hæc veritas Catholica & ab antiquis primùm Prophetis denunciata est, & ipsius Christi Iudicis ore, acq; prædicatione Apostolorum eius, postmodum vnanimiter confirmata.

Ita Christus Matt. 16, 27.

Christus ipse de hoc suo ad iudicium aduentu loquens: Filius, *inquit*, hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. *Idem alibi*: Ecce venio citò; & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua. *Et iterum alibi*: Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, *(filij Dei)* & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionẽ iudicij. *(siue damnationis.) Deniq; & ipsam sententiæ suæ extremæ futuram formulam nobis aliquando expressit*: Venite, *inquit*, benedicti Patris mei possidete paratum vobis

Apoc. 22. 12.

Ioan. 5. 28.

Matth. 25.

bis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. *Et contra:* Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c. *Ita Christus: ita post Christum Apostoli:* Ita Apostoli Scimus, *inquit Paulus*, quia iudicium Dei est secundùm veritatem, &c. *Et mox*: Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurisas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti Iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius, ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati ira & indignatio. *Ita idem alibi*: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. *Ita alibi*: Vnusquisq; propriam mercedem accipiet, secundùm laborem suum. *Et mox*: Si quis superædificat super fundamentum hoc *(quod est Christus)* aurum, argentum, lapides pretiosos, &c. vniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit, si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet, &c. *Ita rursum alibi*: Vnusquisque onus suum portabit. *Et mox*. Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim

Rom: 2.A

2. Cor.5.B

1. Cor.3.B.

Gla. 6.B

enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quo- niam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.

Ita Prophetæ.

Hæc Apoſtoli, eademq; longè antè prædixêre Prophetæ: Ego Dominus, *inquit apud Hieremiam Spiritus ſanctus*, ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum. *Et apud eundem*: Reddam eis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm facta manuum ſuarum. *Ita apud Iſaiam*: Dicite iuſto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. *Et mox*: Aſtat ad iudicandum Dominus, & ſtat ad iudicandum populos, &c. *Ita apud Sapientem*: Cuncta quę fiunt adducet Dominus in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit. *Ita apud Prophetam Regium*: Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. *Et longè antè Iob*: Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet ei. *Ita hac de re omnis ſcriptura ſacra, tàm noui, quàm antiqui teſtamenti.*

Hier: 17. 10
Hier: 25.
Iſa: 3. 10.
Eccl: 12. 14.
Pſal: 61. 13
Iob 34. 11.

Ita omnes Chriſtiani.

Eſtq; hac ipſa apud Chriſtianos omnes tàm certa & indubitata veritas, vt nemo inueniatur, etiam inter quoſuis hæreticos (de communi hæreticorum populo loquendo) qui non id ipſum penitus perſua-

ſum

sum habeat, se ita credere; quiúe, si ab eo quæratur, quid in iudicij illius extremi examen venturum credat, non incunctanter respondeat: iuxta opera sua vnumquemq; ibi iudicandum, ac mercedem suam recepturum.

13 *Neque verò solùm illud his ex scripturæ testimoniis certum est in genere, vnumquemq; ibi ex operibus suis iudicandum; verùm etiam particulariter pro bonis operibus, gloriam cœlestem, ac præmia in ea æterna pijs decernenda, æquè atq; impijs pro sceleribus ipsorum pœna inferni æterna, ac pro pluribus maioribusúe illis, plura ac maiora in eo tormenta definientur. Patet id primùm ex eo, quia alioqui verum non esset, vnicuiq; secundùm opera sua ibi reddi mercedem: sed malis duntaxat pro malis pœnam, non autem pijs pro bonis præmia. Deinde pleræq; istæ scripturæ id expressè annotant, vt cùm Ecclesiastes æquè bona iudicanda ac mala hominum asserit; & Paulus relaturum quemq; propria corporis siue bonum gesserit, siue malum; vt dum Isaias disertè, iusto benè futurum asfirmat, quia fructum adinuentionum suarum comedet: & dùm iterum Paulus, eum qui seminat in spiritu, vitam æternam messurum docet; eum qui benè ædificat supra fundamentum fidei in Christum, mercedem secundùm laborem suum habiturum: eos, qui secundùm patientiam boni operis incorruptionem quærunt, vitam æternam accepturos asseuerat. Dum ipse ad extremū Christus, non aliam causam adiudicati à se, pijs regni cœlestis exprimit, quam quod bona egerint, quod; inquam,*

Non minùs præmia bonis, ac pœnæ malis decernentur.

inquam, in egentes benigni fuerint, esurientes pauerint, sitientes potauerint, nudos vestiuerint, & ita de reliquis. Deniq; de pijs loquitur etiam B. Ioannes in Apocalypsi, dum beatos eos in sempiterna illa requie, nec nisi propter opera sua futuros, prædicat; idq; se peculiariter literis mandare iussum

Apoc: 14. 13. *ad perpetuam rei memoriam, testatur.* Et audiui, *inquit,* vocem de cœlo dicentem mihi, Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modò iam, dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. *Vides propterea ijs denunciari requiem, quia opera eorum ipsos sunt consecuta, vt requiem ijs eam illic præstent. Hæc igitur indubitata hîc est veritas Catholica & Christiana.*

Ea Iudicij Extremi pars, quæ est circa opera bona electorum, penitus sublata est à Ministris: dum 1. omnia opera etiam bona, peccata esse docent: 2. nec aliam iustitiam Christianã vllã quàm imputatã admittunt.

Omne iudicium operum sublatum à Ministris.

14. AT *verò Ministri nostri sæculi totum hoc, quicquid diximus, penitùs nouo suo Euangelismo deformauêre, ita vt vix quicquam hîc simplicibus suis sectatoribus reliquum fecerint, præter nudam opinionem, se, eadem cum ijs, quæ diximus, nobiscũ credere. Mirum id videri potest cuiquam, nos ita asseueranter asserere, cùm nemo videatur esse omniũ, qui totidem verbis tale quid doceat, imò qui fortè*

non

non constanter neget verbis, se ista negare: sed tantò maior fraus laruati istius Euangelij censenda est, quod ea quoq;, quæ certißima ijs sunt, & ex primis ipsorum principijs necessariò consequuntur, tamen verbis affirmare vix audeant; tantò verò maior etiam impietas, quæ ea etiam, à quibus abhorrent suaptè natura christianæ aures omnes, tamen primis fidei suæ fundamentis, tanquam christianißima includat.

Dico itaq; Ministros plerosq; omnes nouorum Euangelismorum omnium, & penitùs negare, pijs vllam cœlestis regni partem, pro bonis operibus, in extremo Christi iudicio adiudicandam; & ne impijs quidem pro malis operibus perpetuam damnationem irrogandam concedere posse. Istis verò ita negatis, quid restat, nisi vt totum simul articulū hunc de iudicio inuersum asseramus? Dico porrò hæc pleraq;, non tàm verbis eos ita docere; quia nimium absurdi comparerent Christianis auribus; quā (quod nobis satis est) re ipsa & indubitata præcipuorum Euangelij sui articulorum prædicatione, quæ nihil istorum compatitur, prout à Catholicis ex verbo Dei certißimo docetur. Singula videamus, ac primò Primùm:

15. *Certum est primùm plerisq; Euangelicorum Ministris omnibus, ita penitus vitiatam esse peccato originali naturam humanam, vt nil iam ex ea, etiam in pijs vspiam prodire poßit, non extremè coram oculis diuinæ maiestatis fœdatum ac contaminatum. Itaq; Lutherus in articulis fidei suæ art: 32.* 15. Omnia opera etiam bona in peccatis numerant Ministri. Lutherus.

 Etiam

Etiam iustum in omni opere suo bono peccare asserit. *Et in assertione articulorum eorundem art*: 32. Omne opus etiam bonum peccatum esse mortale ex ipsa natura sua, veniale fieri ex misericordia Dei. *Ita Caluinus in Antid*: *Concil: Trident*: *Sess*: 6. c. 11. Non sunt, *inquit*, tantopere exagitandi, qui dixerunt, quælibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æterna potiùs damnatione, quàm premio vitæ digna esse. *Idem in Institutionibus suis lib*: 3. *cap*: 14. §9. Nullum, *ait*, à sancto exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem. *Hæc ille. Et Philippus Melan. in loc. com: an:* 21. *titulo de peccato*: Consequitur itaq; *inquit*, omnia hominum quantumuis laudabilia opera planè vitiosa esse, & morte digna peccata. *Idemq; ferè habet in Confess: Augustana art:* 6. *& in Apologia eius Titulo: de impletione legis. Hæc primarij Euangelisinorum doctores. Nec dissentit ab iis communis vulgi opinio, dum passim, si infirmitatis humanæ apud eos fiat mentio, se fatentur ita imbecilles esse ad bonum, vt nil nisi peccare omni momento possint, in omni opere & conatu suo.*

Caluinus

Philippus

Vulgus Euangelicū.

Sed & omnis eodem tendit ea, quæ de singulis est operum generibus, circa quæ occupari homo fidelis potest, doctrina istorum. Etenim quodcunq; ex homine vllo etiā iustissimo, & maximè fideli, proficisci potest opus, id necessariò ad horum trium generum aliquod referendum est. Vel enim in flagitiis ma-

Omne genus operū fidelis peccatū

is manifeſtis occupatur, vt ſi deficere incipiat iuſtus, & ad peccandum reuerti, ſiue prout Ezechiel loquitur: ſi iuſtus ſe auertat à ſua iuſtitia, & iniquitatem faciat, ſecundùm omnes abominationes, quas operari impius ſolet: vel circa tentationes peccatorum auertendas repellendaſúe verſatur, vt ſi vir pius à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, prout Iacobus loquitur, Omni conatu reſiſtat aduerſus peccatum repugnando: vel denique circa ea, quæ ex genere ſuo bona ſunt, vt ſi idem prout B. Paulus loquitur, Secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærat: puta ſi orationibus inſiſtat, ſi ieiunijs vacet, ſi Eleemoſynis alienæ inopiæ ſubueniat, ſi ſimilibus alijs pietatis operibus varijs exerceatur. Nihil horum omnium reliquum fecêre Euangeliſmi iſtorum; quod non ex ipſa ratione doctrinæ ſuæ æterna damnatione dignum decreuerint iam, declarauerintq́;. Ezech. 8. 24. Iac. 1. 14. Rom. 2. 7.

Et de primo quidem operum horũ genere idem in confeſſo eſt, apud omnes etiam chriſtianos. Nam & ipſe iampridem apud Ezechielem loco citato ſententiam de ijs tulit Deus: Si inquit, *iuſtus*, fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius, quas fecit non recordabuntur. In præuaricatione, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit; in ipſis morietur. Peccata ipſa Ezech. vt ſupra

De ſecundo vero, certum item iſtis eſt magiſtris, omnem etiam in primis motibus concupiſcentiam, Pugna contra peccata

& titillationem ad peccandū, quantumuis illi resistatur, iam peccatum esse ex genere suo verum, ac maledictioni obnoxium, vtpote directè, secundùm ipsos, repugnans illi præcepto legis diuinæ: Non concupisces *Quidquid autem tale est, damnationi obnoxiū est.* Maledictus enim omnis, qui non permāserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. *Cùm ergo nulla esse pugna spiritualis posit, vbi non primi, saltem aliqui ad peccandum motus existant sentianturúe, (ij ipsi enim sunt quibus repugnatur, alioqui vbi illi nulli sunt, ne pugna quidem est vlla) consequens est, ne sine damnatione quidem existere vllam pugnam spiritualem posse.*

Gal: 3. 10.

Opera bona

Porrò de tertio illo operum genere isti nihil dubitant; quin in omni conatu humano, quantumuis laudabili, vt nihil aliud deficiat, tamen præcepto dilectionis diuinæ (quod totum penitus cor; totam animam, totam mentem, omnem fortitudinem nostram, secundùm ipsos requirit, Angelica quadam perfectione) contraueniatur. Cùm igitur hoc etiam præceptum legis sit, & quidem primum omnium & maximum: in omni ergo opere etiam bono, legis diuinæ, & quidem præcepti maximi transgreßio, & consequenter maledictio, siue damnatio admixta erit. Hæc itáque indubitata est hîc doctrina Ministrorum nostrorum.

Solā iustitiam imputatam agnoscunt Ministri.

Nec minus indubitatum est Euangelicis plerisque omnibus, alterum illud ex primo isto, consequens, nullā inesse pijs inhærentem iustitiam posse, sed

ſe, ſed totum id quo iuſti coram Deo nominamur, extrinſecū eſſe, imputatam ſcilicet Chriſti, & donatam pijs iuſtitiam, obedientiamq́, quam ipſi tanquam à Deo ſibi promiſſam fide apprehendāt, ſibiq́ applicēt. In eo communiter omnes Lutherani, omnes Caluiniſtæ conueniunt. Nec longa id probatione opus habet. Hoc enim eſt, quod docent, dum fidem ſolam iuſtificare docent (id quod totius iſtorum Euangeliſmi fundamentum eſt) hoc quod docent, dum omnem operum iuſtitiam coram Deo pernegant, quo vix quicquam eſt decantatum magis. Hoc denique quod ex proximo eo, quem diximus, articulo, neceſſario concluditur. Si enim quicquid moliuntur, etiam piiſſimi quique inquinatum eſt totum, nullus profectò in homine reliquus eſt veræ atq; inhærentis iuſtitiæ locus. Neque enim poſsibile eſt, in eadem ſimul anima, & veram adeſſe inhærentem iuſtitiam, & veri nominis peccatū, nihilo magis quam lucem cum tenebris, album cum nigro, ignis formam & aquæ, posſibile eſt ſimul in eodem ſubiecto conſpirare.

Si, vel omnia opera hominum, etiam piorum peccata ſunt, vel nulla iuſtitia propria cuiuſquam, ſed ſola imputata Chriſti: nullum ergo Iudicium extremum Chriſti de operibus bonis piorum fieri poteſt.

16. *AT vero his poſitis luce clarius conſequitur, nullum primum bonorum operum iudicium vel fore, vel eſſe omnino poſſe, particulariter verò*

 id quod

id quod paulò antè, primo loco diximus, nullam regni cœlestis partem secundùm ea in iudicio extremo bonis cuiusq; operibus adiudicandam; idque ex vtroque istorum, quod adduximus fundamento.

Inane omne iudiciū operū quæ nulla sunt.

Primum enim, ad quid operum bonorum examen, si certum est ex ipsis fidei Christianæ elementis seu principijs primis, vt isti volunt, nullum omnino, nec existere re ipsa, bonum opus in toto hominum genere, nec esse omnino posse? Quomodo enim ei adiudicabitur mercedis nomine quicquam vitæ æternæ, quod nunquam fuit, nusquam est, nullibi potuit esse: Imò verò quomodo non omne iudicium illud, quo ad talia, inane? non superuacaneum? non consequenter apud prudentes nullū? An quisquam vnquam, etiam inter homines iudices (nisi planè stultissimus) iudiciū indixit de facinore aliquo, siue ad præmia ei decernenda, siue ad supplicia, quod certum tamen & ipsi erat, & mundo toti, neque vnquam admissum esse, neq; vnquam admitti à quoquam omnino potuisse? Ludionum quidem ludicra nobis imaginari talia possumus, aut hystrionum comœdias, vt si quis tribunal conscendat, vt ei, qui vel Danubium epotauerit, vel Oceanum ipsum exhauserit desiccaritue, vel Alpes omnes vndiquaque coæquarit, suam mercedem cōstituat; aut si quis Pygmæum aliquem in Iudicium vocet, quod digito solem contigerit contaminaueritue; aut Icaromenippum illum Luciani, quod alis sibi aquilarum adaptatis, ad Lunæ Solisue domicilia vsque conuolando, communem rerum cursum inuerterit, aut alia quæ-

1.

2.

ria quævis his similia ociosorum hominum figmenta. At verò in Dei iudicio, illo præsertim extremo, & toti rerum naturæ adeò formidabili, quis talia audeat vel nominare?

Et quem tandem ob finem Christus bonorum huiusmodi operum, secundùm Euangelismum inquam doctorum horum, æstimatorum, examen ad iudicium suum aduocabit? Num vt mercedem ijs retribuat? Verißimum id quidem iuxta Catholicam, vt vidimus, veritatem: at inane secundùm Ministros nostros, cùm nihil reperiri talium bonorum vspiam queat, nihil quod non, vt Caluinus loquitur, iustam mereatur opprobrij mercedem. Quid ergo? an fortè, vt resciat ipse Christus, si fortè aliquo saltem in angulo mundi extremo, quicquã boni latuerit, quod illuc vsque omnium effugerit conspectum? At si etiam Ministri nostri ex doctrina Euãgelij Christi, se certißimos esse dicunt, nil vspiam tale inueniri posse, vt quid inani labore Dominus se fatigaturus credatur? Vt quid, inquam, illud inquirat Christus indicto ad id iudicio omniũ hominũ vniuersali, quod inueniri nusquam possè, iam ipsis istis Ministris, vt fide indubitata credendum reuelauit? Quid ergo? An fortè propter nos homines totum id examen instituetur, scilicet, vt ostendat toti mundo Deus, quam nihil penitus in operibus vllis humanis fuerit integrum, nihil bonum? At primùm, ne tali quidem iam manifestatione opus esse potest secundum istos, si sola quæritur. Iam enim docent Ministri idipsum per scripturas sacras pridem mũdo de-

do declaratum, omnia, scilicet, omnino opera bona, etiam sanctissimorum hominum, similia esse panno menstruatæ mulieris. Idq; scire fideles iam omnes,
Ioan. 3. 18 *& qui credunt. Porrò infidelis,* & qui non credit, iam iudicatus est, *vt inquit Dominus. Deinde verò nihil ad propriam iudicij formam tuendam, de qua nos loquimur, facere talis manifestatio potest. Certè enim longè aliam, iudicij illius, in operum bonorum examine nobis describũt rationem scripturæ, vti vidimus, quam quæ in sola illa defectuum, qui in ijs fortè fuissent, manifestatione consistat. Etiam enim mercedem pijs reddendam à Christo vnicuique iuxta opera sua, vti docuimus, literæ sacræ testantur.*

17. 17. *Vnum verò hîc etiam restat, quod dicere fortè queant, sed & illud tale, quod ne ipsum quidem quicquam ad rem faciat. Nempè licet bona iustorum opera reuera immunda sint omnia, ideóque secundùm iustum Dei iudicium (quia mortalia etiam peccata) non præmio digna vllo, sed solo supplicio sempiterno: attamen ex singulari Dei misericordia, ac propter imputatam pijs Christi iustitiam venialia facta, imò etiam suã eo intuitu mercedem habitura. Atq; eam ob causam meritò etiam in iudicium à Christo extremum adducenda. At quicquid tandem sit de tali virtutum Christi imputatione, illud certum est, non amplius in vllo iusto iudicio consequi inde posse, quam vt ne pœna pijs ex defectu tali operum ipsorum decernatur, Nullo verò pacto vt præmium etiam ijs æternum pro ipsis attribuatur.*

Iis quæ verè peccata sunt nullo iure præmium decerni potest.

Id quod ex simili humanorum iudiciorum cursu fit clarißimum. Fieri enim potest in iudicio aliquo supremo, reum quempiam siue furti, siue adulterij, siue homicidij, seu quorumcunque aliorum scelerum, in gratiam boni alicuius viri a debita sceleribus pœna absolui: vt si Rex, vel ad Filij sui vnici, vel cuiusuis principum suorum, optimè de se meriti intercessionem, eam gratiam cuiquam faciat. Ita fieri potest, vt ob insignia aliqua maiorum in Remp: merita, posterorum delictis quibuscunque venia aliqua detur. Tali in casu verum foret, & absq; vlla iniuria quandoq; fieri posset, vt merita iusti vnius, alteri impio imputarentur, atq; in iudicio subuenirent. Sed vt propter vllam talem alienæ virtutis imputationem, etiam ipsa illa rei illius furta, adulteria, homicidia, & similia scelera, præmio digna censeantur, & re ipsa remunerentur, ita vt pro pluribus quidem sceleribus, furtis, inquam, adulteriis, homicidiis, similibusq; excessibus, plura ac maiora præmia aßignentur, pro paucioribus minora, cùm ex se, vt in Confessò est, non nisi iustam opprobrij mercedem omnia meruerint, id verò in nullo iudicio, nisi fortè iniquißimo vsu venire posset. Quanto ergo minùs de iustißimo Christi in extremo illo die iudicio, & quod totum, vt Paulus loquitur, fiet secundùm veritatem, id affirmari debet? Etenim aßimilari quidem hoc in genere solent opera piorum annulo cuipiam aureo, suopte genere non adeò pretioso, qui tamen dum pretiosißima illi aliqua innectatur gemma, ad immensum quoddam precium poßit assurgere,

Rom: 2. A
Opera Catholicorum similia annulo & gemmæ.

 surgere,

Simile. *ſurgere. Eodem enim modo cum bona electorum opera ex ipſa ratione ſui, non niſi humana ſint, nec digna oculis diuinæ maieſtatis: attamen propter inhabitantem pios Chriſtum, ac cooperantem eius gratiam, in maximam dignitatem prouehuntur, vtpote meritorum Chriſti, quorum infinitum eſt pretium, partem iam eo ipſo ſortita. Vnde illud porrò conſequitur, nihil alienum eſſe à ratione, quod ſecundùm Catholicam veritatem, etiam rigido ac iuſtiſsimo iudicio Chriſti, vitam æternam iis pro præmio adiudicandam credamus.*

At verò ſecundùm impium iſtum Miniſtrorum Euangeliſmum, nil tale aſſeri omninò poteſt, ſic enim opera ipſorum omnia, non modò parui alicuius valoris non ſunt, qui additione maioris cuiuſpiam amplificari poſsit; ſed & ſuaptè natura nullius, quin demeriti etiam infiniti (vtpotè mortalia peccata omnia & gehennæ incendiis digna) quæ propterea nulla admixtione meritorum quorumcunq; reddi preciosiora ipſa poſſunt: Fimus, inquam, ſunt in oculis Dei, ſpurciſsimus ex ipſo genere ſuo, non aurum. Vnde quamcunq; iis gemmam adnectas, eam quidem tali innexione deturpare poteris, at illum nunquam inſigniter exornare. Sentina ſunt, lacunæue fœtidiſſima, non vnguentum; vnde quoſcunq; iis offundas odores, vt mitigare fortè poſsis fœtorem illum, quo minùs officiat, attamen vt illa ipſa fœditas gratum ſpiret odorem, nunquam efficere, abominationes ſunt in oculis Dei, & Angelorum omnium, ſterquilinia ſunt, non gratus quiſpiam animorum decor:

Opera Miniſtrorum ſimilia fimo, & gemmæ.

Similia.

aut

aut ornatus. Vnde panno aliquo quidem pretioso obtegere ea poßis, atq; ex oculis intuentium subtrahere: at vt ipsa propterea etiã turpitudo eorum speciosa reddatur, nunquam præstare. Nimirum quæ ex ipsa natura sua mala sunt, atq; corrupta, nisi priùs ipsa emendentur in seipsis, atq; ab intrinseca illa sua corruptione restituantur, nulla adiunctione extrinsecus facta, reddi bona ipsa possunt. Ita & opera bona istorum omnia, cum radicitus peccata sint; vt vt intelligi poßit, quod obtegi aliqua meritorum Christi imputatione queant, ne imputentur ad damnationem, attamen vt ipsa quoq; propterea mercede censeantur sempiterna digna. & tali quæ ab ipso iustißimo iudice Christo, in extremo ipsius iudicio omnium æquißime, iis iure adiudicetur, fieri nullo pacto potest. Sed hæc quidem hactenus de primo illo istorum Euangelismo, quo omnia omninò etiã iustorũ opera, in mortalium peccatorum numerum reiecêre.

18. *Neq; verò multo minùs extremo examini illi, quo ad bonorum operum iudicium, vulnus, altera illa doctrinæ suæ parte, de Imputatiua sola iustitia imposuere, imò verò etiam ex ea articulum isthunc penitus labefactauêre. Etenim non nisi iustitiæ debetur corona iustitiæ (vt eam Paulus nominat) quam iustus iudex in illa die attribuet reddetuè piis. Qualis igitur iustitia, talis & iustitiæ merces: Propria, inquam, illic qui cum iustitia apparebit, propriæ etiam iustitiæ suæ accipiet mercedem: propriam qui habuerit nullam, sed alienam solam sibi imputatam; propriæ accipiet mercedem nullam, sed alienæ solius sibi imputatæ.* 18.

Iustitiæ corona
1. Tim: 4. E 8.

At re-

Iustitia imputata aliena est.

At verò secundùm istos, nulla cuiquam propria & inhærens iustitia est, sed solius Christi propria, quæ inde per fidem apprehensa, singulis accepta feratur. Christi, inquam, humilitas, Christi patientia. Christi castitas, Christi obedientia, Christi virtus omnis. Solius igitur & Christi virtus & iustitia, illic suam ita coronæ retributionem accipiet, & non opera propria cuiusquam. Secundùm opera, inquam, iusta Christi tantùm, ita iudicabitur iustus omnis, & non secundùm propria sua opera quisquã, cùm ita propria sua iusta ac bona opera, non habeat quisquam.

Dicent fortè secundùm sua quemq; propria iustitiæ opera iudicari, dum secundùm imputatam Christi iustitiam iudicatur; eò quòd postquam fide talis iustitia nobis applicata est, nostra iam verè facta sit propria ipsa iustitia Christi. At id nihil ad rem est, de qua agimus. Vt vt enim hoc concedatur, quod de imputata tali ratione iustitia afferunt (de quo certum nobis est falsissimum esse, sed hîc non est disputandi locus) tamen id longissime abest ab ea fide, quam suprà docuimus in scripturis sacris de hoc iudicij articulo planissime contineri. Nunquã enim certe fieri potest vlla imputatione, vt quæ reuera alius fecerit non ego, ea ita mea fiant, vt gessisse ipse ego sentiar in veritate, non alter ille. Licet enim tali ratione præmium meritumúe alieni operis, alteri possit referri acceptum, atq; eatenus etiam opus alienum ei reputari in bonum: nunquam tamen ipsum opus alienum ac personale, eo pacto alterius

fieri

fieri proprium ac personale potest. At scripturæ sacræ non aliam agnoscunt iudicij illius vltimi legitimam formam, quam vt in ea propria cuiusq; ac personalia opera, siue bona illa, siue mala, in quæstionem vocentur. Secundùm opera, inquam, sua quemq; propria iudicandum eæ docent non Christi: hoc est, vt B. Paulus loquitur, secundùm propria corporis sui, prout gesserit quisque siue bonum, siue malum, non secundùm ea quæ gessit Christus: vel vt alio in loco loquitur, Prout quisq; ipse ædificauerit super fundamentum fidei in Christum, vel aurum, vel argentum, vel lapides pretiosos, aut contra, lignum, fœnum, stipulam; non prout ea ædificauit in vita sua Christus. Id quod & ipse expreßiùs Dominus explicat, dum se tandem pijs regnum à Patre paratum addicturum dicit; quia ipsi esurientes pauerint, egentesue omni misericordiæ genere prosecuti fuerint: non autem quia iudex ipse talis olim in egenos fuerit, cuius pietatem per fidei iustitiam imputatam, suam fecerint ipsi. Confirmatur verò id etiam inde magis, quia dum scriptura testatur, vnicuiq; ibi reddendam secundùm opera sua mercedem: non minùs id de bonis secundùm opera sua bona, atq; de malis, secundùm opera sua mala, intellectũ cupit. Vno enim eodemq; tenore loquitur, & de bonis, & de malis: Reddet vnicuiq; secũdũ opera sua. Vno eodemq; tenore apud Paulum: Vt qui ædificauit suprà Christum aurum, argentum, lapides pretiosos, mercedem accipiet: ita qui ædificauit lignum, fœnum, stipulam, detrimentum

Iudicium extremum personalia opera cuiusque examinat.

2.Cor:5.10

1.Cor:3.12

Mat.25.E

*tum patietur. Atqui mali non damnabuntur, nisi secundùm opera quisq; sua, & propria mala, non imputata aliorum. Neque enim portabit in iustissimo illo iudicio quisquam peccata non sua, ne patris quidem iniquitatem filius, aut filij parens: (nisi forte eiusdem peccati simul vterq; fuerit complex) sed summa æquitate quisq; ibi onus proprium suum feret. Id quod etiam ratio dictat iusti iudicij ac veri cuiusuis: (*Scimus autem, *inquit Paulus*, quia iudicium Dei, est secundùm veritatem in eos qui malè agunt*) Et Christus in extrema sua sententia, seu damnatione malorum, diserte exprimit. Ergo idem iudicium est etiam de pijs.*

Rom: 2. A

Apoc. 14. C 13.

Atque hoc idem illud est, quod etiam D. Ioannes confirmat, dum in Domino morientes beatos prædicat, vt vidimus, eò quòd amodò iam conquiescere debeant à laboribus, non Christi fide apprehendendis, sibiq; applicandis, sed proprijs sustinendis atque exantlandis; eò quòd opera ipsorum, (illuc vsq; nimirum elaborata, non à Christo, sed ab ipsismet) ipsos consequantur. Manet ergo tandem conclusum, etiam ita secundùm nouos Doctores istos extremi Iudicij articulum, quod ad bonorum operum remunerationẽ attinet in electis, penitus fœdatum, imò sublatum esse: cùm quale propriæ cuiusuis iustitiæ instituendum examen veritas docet diuina, isti omninò non ferant, imò ipsis primarijs confessionis suæ articulis, penitus excludant. Cumq; ea pars iudicij illius primaria longéque maxima futura sit, vtpote ipsos Dei electos omnes communiter concernens; quan-

quanta vel in eo solo deformatio articuli huius totius erit censenda?

Ea Iudicij extremi pars, quæ est circa opera mala reproborum, admodum deformata est à Ministris: dum docent, partim non nisi seruum arbitrium in homine iam superesse; partim Deum omnia directè operari in reprobis opera eorum, etiam mala.

19. *At verò, ne alteram quidem illam Iudicij partem, & quæ damnatos potissimùm attingit de malorum operum condemnatione satis integram sibi reliquêre. Iudicabit Dominus impium quemq; in iudicio illo secundùm impietatem suam, vt reddat ei malum, secundùm quod opera eius mala promeruêre:* Iudicabit verò in æquitate, *vt Paulus inquit, reddens vnicuique quod suum est, siue* vt iustus iudex, *vt alibi idem. At ea Ministrorum doctrina est, quam Euangelicam ipsi vocant, de operibus hominum malis; vt nullo eis iusto iudicio vlla decerni pœna possit, ne dum iudicio filij Dei, quod omnium iustissimum æquissimumq; est futurum.* 19. Iustus Iudex Deus. Act. 17. 31. 2. Tim. 4. 8.

Etenim nil Ministri hominibus residuum fecêre in operibus ipsorum, vel pessimis ac maxime pudendis, quod reuera pœnam vllam iure mereri possit. Quòd si verum est, neque in iudicium ergo Christi vllum opus tale, hoc est, iusta pœna condignum venire poterit, neque vlli ita hominum quicquam mali, secundùm demeritum operũ eius reddi. Magnum Nil iure damnabile in operibus, si Ministris credimus.

est,

id quod paulò antè, primo loco diximus, nullam regni cœlestis partem secundùm ea in iudicio extremo bonis cuiusq; operibus adiudicandam, idque ex vtroque istorum, quod adduximus fundamento.

Inane omne iudiciū operū quæ nulla sunt.

Primum enim, ad quid operum bonorum examen, si certum est ex ipsis fidei Christianæ elementis seu principijs primis, vt isti volunt, nullum omnino, nec existere re ipsa, bonum opus in toto hominum genere, nec esse omnino posse? Quomodo enim ei adiudicabitur mercedis nomine quicquam vitæ æternæ, quod nunquam fuit, nusquam est, nullibi potuit esse: Imò verò quomodo non omne iudicium illud, quo ad talia, inane? non superuacaneum? non consequenter apud prudentes nullū? An quisquam vnquam, etiam inter homines iudices (nisi planè stultissimus) iudiciū indixit de facinore aliquo, siue ad præmia ei decernenda, siue ad supplicia, quod certum tamen & ipsi erat, & mundo toti, neque vnquam admissum esse, neq; vnquam admitti à quoquam omnino potuisse? Ludionum quidem ludicra nobis imaginari talia possumus, aut hystrionum comœdias, vt si quis tribunal conscendat, vt ei, qui vel Danubium epotauerit, vel Oceanum ipsum exhauserit desiccaritue, vel Alpes omnes vndiquaque coæquarit, suam mercedem cōstituat; aut si quis Pygmæum aliquem in Iudicium vocet, quod digito solem contigerit contaminaueritúe; aut Icaromenippum illum Luciani, quod alis sibi aquilarum adaptatis, ad Lunæ Solisue domicilia vsque conuolando, communem rerum cursum inuerterit, aut alia quæ-

ria quauis his similia ociosorum hominum figmenta. At verò in Dei iudicio, illo præsertim extremo, & toti rerum naturæ adeò formidabili, quis talia audeat vel nominare?

Et quem tandem ob finem Christus bonorum huiusmodi operum, secundùm Euangelismum inquam doctorum horum, æstimatorum, examen ad iudicium suum aduocabit? Num vt mercedem ijs retribuat? Verißimum id quidem iuxta Catholicam, vt vidimus, veritatem: at inane secundùm Ministros nostros, cùm nihil reperiri talium bonorum vspiam queat, nihil quod non, vt Caluinus loquitur, iustam mereatur opprobrij mercedem. Quid ergo? an fortè, vt resciat ipse Christus, si fortè aliquo saltem in angulo mundi extremo, quicquã boni latuerit, quod illuc vsque omnium effugerit conspectum? At si etiam Ministri nostri ex doctrina Euãgelij Christi, se certißimos esse dicunt, nil vspiam tale inueniri posse, vt quid inani labore Dominus se fatigaturus credatur? Vt quid, inquam, illud inquirat Christus indicto ad id iudicio omniũ hominũ vniuersali, quod inueniri nusquam posse, iam ipsis istis Ministris, vt fide indubitata credendum reuelauit? Quid ergo? An fortè propter nos homines totum id examen instituetur, scilicet, vt ostendat toti mundo Deus, quam nihil penitus in operibus vllis humanis fuerit integrum, nihil bonum? At primùm, ne tali quidem iam manifestatione opus esse potest secundum istos, si sola quæritur. Iam enim docent Ministri idipsum per scripturas sacras pridem mũdo de-

do declaratum, omnia, scilicet, omnino opera bona, etiam sanctissimorum hominum, similia esse panno menstruatæ mulieris. Idq; scire fideles iam omnes, & qui credunt. Porrò infidelis, & qui non credit, iam iudicatus est, *vt inquit Dominus. Deinde verò nihil ad propriam iudicij formam tuendam, de qua nos loquimur, facere talis manifestatio potest. Certè enim longè aliam, iudicij illius, in operum bonorum examine nobis describũt rationem scripturæ, vti vidimus, quam quæ in sola illa defectuum, qui in ijs fortè fuissent, manifestatione consistat. Etiam enim mercedem pijs reddendam à Christo vnicuique iuxta opera sua, vti docuimus, literæ sacræ testantur.*

Ioan. 3. 18

17. 17. *Vnum verò hîc etiam restat, quod dicere fortè queant, sed & illud tale, quod ne ipsum quidem quicquam ad rem faciat. Nempè licet bona iustorum opera reuera immunda sint omnia, ideóque secundum iustum Dei iudicium (quia mortalia etiam peccata) non præmio digna vllo, sed solo supplicio sempiterno: attamen ex singulari Dei misericordia, ac propter imputatam pijs Christi iustitiam venialia facta, imò etiam suã eo intuitu mercedem habitura. Atq; eam ob causam meritò etiam in iudicium à Christo extremum adducenda. At quicquid tandem sit de tali virtutum Christi imputatione, illud certum est, non amplius in vllo iusto iudicio consequi inde posse, quam vt ne pœna pijs ex defectu tali operum ipsorum decernatur, Nullo verò pacto vt præmium etiam ijs æternum pro ipsis attribuatur.*

Iis quæ verè peccata sunt nullo iure præmium decerni potest.

Id quod ex ſimili humanorum iudiciorum curſu fit clariſſimum Fieri enim poteſt in iudicio aliquo ſupremo, reum quempiam ſiue furti, ſiue adulterij, ſiue homicidij, ſeu quorumcunque aliorum ſcelerum, in gratiam boni alicuius viri a debita ſceleribus pœna abſolui: vt ſi Rex, vel ad Filij ſui vnici, vel cuiuſuis principum ſuorum, optimè de ſe meriti interceſſionem, eam gratiam cuiquam faciat. Ita fieri poteſt, vt ob inſignia aliqua maiorum in Remp: merita, poſterorum delictis quibuſcunque venia aliqua detur. Tali in caſu verum foret, & abſq; vlla iniuria quandoq; fieri poſſet, vt merita iuſti vnius, alteri impio imputarentur, atq; in iudicio ſubuenirent. Sed vt propter vllam talem alienæ virtutis imputationem, etiam ipſa illa rei illius furta, adulteria, homicidia, & ſimilia ſcelera, præmio digna cenſeantur, & re ipſa remunerentur. ita vt pro pluribus quidem ſceleribus, furtis, inquam, adulteriis, homicidiis, ſimilibusq; exceſſibus, plura ac maiora præmia aſſignentur, pro paucioribus minora, cùm ex ſe, vt in Confeſſo eſt, non niſi iuſtam opprobrij mercedem omnia meruerint, id verò in nullo iudicio, niſi fortè iniquiſſimo vſu venire poſſet. Quanto ergo minùs de iuſtiſſimo Chriſti in extremo illo die iudicio, & quod totum, vt Paulus loquitur, fiet ſecundùm veritatem, id affirmari debet? Etenim aſſimilari quidem hoc in genere ſolent opera piorum annulo cuipiam aureo, ſuopte genere non adeò pretioſo, qui tamen dum pretioſiſſima illi aliqua innectatur gemma, ad immenſum quoddam precium poſſit aſſurgere,

Rom: 2. A

Opera Catholicorum ſimilia annulo & gemmæ.

Simile. surgere. Eodem enim modo cum bona electorum opera ex ipsa ratione sui, non nisi humana sint, nec digna oculis diuinæ maiestatis: attamen propter inhabitantem pios Christum, ac cooperantem eius gratiam, in maximam dignitatem prouehuntur, vtpotè meritorum Christi, quorum infinitum est pretium, partem iam eo ipso sortita. Vnde illud porrò consequitur, nihil alienum esse à ratione, quod secundùm Catholicam veritatem, etiam rigido ac iustissimo iudicio Christi, vitam æternam iis pro præmio adiudicandam credamus.

At verò secundùm impium istum Ministrorum Euangelismum, nil tale asseri omninò potest, sic enim opera ipsorum omnia, non modò parui alicuius valoris non sunt, qui additione maioris cuiuspiam amplificari possit; sed & suaptè natura nullius, quin demeriti etiam infiniti (vtpotè mortalia peccata omnia & gebennæ incendiis digna) quæ propterea nulla admixtione meritorum quorumcunq; reddi preciosiora ipsa possunt: Fimus, inquam, sunt in oculis Dei, spurcissimus ex ipso genere suo, non aurum. Vnde quamcunq; iis gemmam adnectas, eam quidem tali innexione deturpare poteris, at illum nunquam insigniter exornare. Sentina sunt, lacunaue fœtidissima, non vnguentum; vnde quoscunq; iis offundas odores, vt mitigare fortè possis fœtorem illum, quo minus officiat, attamen vt illa ipsa fœditas gratum spiret odorem, nunquam efficere, abominationes sunt in oculis Dei, & Angelorum omnium, sterquilinia sunt, non gratus quispiam animorum decor

Opera Ministrorum similia fimo, & gemmæ.

Similia.

aut

aut ornatus. Vnde panno aliquo quidem pretioso obtegere ea poßis, atq; ex oculis intuentium subtrahere: at vt ipsa propterea etiā turpitudo eorum speciosa reddatur, nunquam præstare. Nimirum quæ ex ipsa natura sua mala sunt, atq; corrupta, nisi priùs ipsa emendentur in seipsis, atq; ab intrinseca illa sua corruptione restituantur, nulla adiunctione extrinsecus facta, reddi bona ipsa poßunt. Ita & opera bona istorum omnia, cum radicitus peccata sint; vt vt intelligi poßit, quod obtegi aliqua meritorum Christi imputatione queant, ne imputentur ad damnationem, attamen vt ipsa quoq; propterea mercede censeantur sempiterna digna. & tali quæ ab ipso iustißimo iudice Christo, in extremo ipsius iudicio omnium æquißime, iis iure adiudicetur, fieri nullo pacto poteſt. Sed hæc quidem hactenus de primo illo istorum Euangelismo, quo omnia omninò etiā iustorū opera, in mortalium peccatorum numerum reiecêre

18. *Neq; verò multo minùs extremo examini illi, quo ad bonorum operum iudicium, vulnus, altera illa doctrinæ suæ parte, de Imputatiua sola iustitia impoſuere, imò verò etiam ex ea articulum iſthunc penitus labefactauêre. Etenim non niſi iuſtitiæ debetur corona iuſtitiæ (vt eam Paulus nominat) quam iuſtus iudex in illa die attribuet reddetué piis. Qualis igitur iuſtitia, talis & iuſtitiæ merces: Propria, inquam, illic qui cum iuſtitia apparebit, propriæ etiam iuſtitiæ ſuæ accipiet mercedem: propriam qui habuerit nullam, ſed alienam ſolam ſibi imputatam; propriæ accipiet mercedem nullam, ſed alienæ ſolius ſibi imputatæ.* 18.

Iuſtitiæ corona.
1. Tim: 4.
E 8.

At ve-

Iustitia imputata aliena est.

At verò secundùm istos, nulla cuiquam propria & inhærens iustitia est, sed solius Christi propria, quæ inde per fidem apprehensa, singulis accepta feratur. Christi, inquam, humilitas, Christi patientia. Christi castitas, Christi obedientia, Christi virtus omnis. Solius igitur & Christi virtus & iustitia, illic suam ita coronæ retributionem accipiet, & non opera propria cuiusquam. Secundùm opera, inquam, iusta Christi tantùm, ita iudicabitur iustus omnis, & non secundùm propria sua opera quisquã, cùm ita propria sua iusta ac bona opera, non habeat quisquam.

Dicent fortè secundùm sua quemq; propria iustitiæ opera iudicari, dum secundùm imputatam Christi iustitiam iudicatur; eò quòd postquam fide talis iustitia nobis applicata est, nostra iam verè facta sit propria ipsa iustitia Christi. At id nihil ad rem est, de qua agimus. Vt vt enim hoc concedatur, quod de imputata tali ratione iustitia asserunt (de quo certum nobis est falsissimum esse, sed hîc non est disputandi locus) tamen id longissime abest ab ea fide, quam suprà docuimus in scripturis sacris de hoc iudicij articulo planissime contineri. Nunquã enim certe fieri potest vlla imputatione, vt quæ reuera alius fecerit non ego, ea ita mea fiant, vt gessisse ipsu ego sentiar in veritate, non alter ille. Licet enim tali ratione præmium meritumúe alieni operis, alteri possit referri acceptum, atq; eatenus etiam opus alienum ei reputari in bonum: nunquam tamen ipsum opus alienum ac personale, eo pacto alterius

fieri

fieri proprium ac personale potest. At scripturæ sacræ non aliam agnoscunt iudicij illius vltimi legittimam formam, quam vt in ea propria cuiusq; ac personalia opera, siue bona illa, siue mala, in quæstionem vocentur. Secundùm opera, inquam, sua quemq; propria iudicandum eæ docent non Christi: hoc est, vt B. Paulus loquitur, secundùm propria corporis sui, prout gesserit quisque siue bonum, siue malum, *non secundùm ea quæ gessit Christus: vel vt alio in loco loquitur, Prout quisq; ipse ædificauerit super fundamentum fidei in Christum, vel aurum, vel argentum, vel lapides pretiosos, aut contra, lignum, fœnum, stipulam; non prout ea ædificauit in vita sua Christus. Id quod & ipse expreßius Dominus explicat, dum se tandem pijs regnum à Patre paratum addicturum dicit; quia ipsi esurientes pauerint, egentesue omni misericordiæ genere prosecuti fuerint: non autem quia iudex ipse talis olim in egenos fuerit, cuius pietatem per fidei iustitiam imputatam, suam fecerint ipsi. Confirmatur verò id etiam inde magis, quia dum scriptura testatur, vnicuiq; ibi reddendam secundùm opera sua mercedem: non minùs id de bonis secundùm opera sua bona, atq; de malis, secundùm opera sua mala, intellectũ cupit. Vno enim eodemq; tenore loquitur, & de bonis, & de malis:* Reddet vnicuiq; secũdũ opera sua. *Vno eodemq; tenore apud Paulum: Vt qui ædificauit suprà Christum aurum, argentum, lapides pretiosos, mercedem accipiet: ita qui ædificauit lignum, fœnum, stipulam, detrimentum*

Iudicium extremum personalia opera cuiusque examinat.

2. Cor. 5. 10

1. Cor: 3. 12

Mat. 25. E

quanta vel in eo solo deformatio articuli huius totius erit censenda?

Ea Iudicij extremi pars, quæ est circa opera mala reproborum, admodum deformata est à Ministris: dum docent, partim non nisi seruum arbitrium in homine iam superesse; partim Deum omnia directè operari in reprobis opera eorum, etiam mala.

19. AT *verò, ne alteram quidem illam Iudicij partem, & quæ damnatos potissimùm attingit de malorum operum condemnatione satis integram sibi reliquêre. Iudicabit Dominus impium quemq; in iudicio illo secundùm impietatem suam, vt reddat ei malum, secundùm quod opera eius mala promeruêre*: Iudicabit verò in æquitate, *vt Paulus inquit, reddens vnicuique quod suum est, siue vt iustus iudex, vt alibi idem. At ea Ministrorum doctrina est, quam Euangelicam ipsi vocant, de operibus hominum malis; vt nullo eis iusto iudicio vlla decerni pœna possit, ne dum iudicio filij Dei, quod omnium iustissimum æquissimumq; est futurum.* 19. Iustus Iudex Deus. Act 17 31 2. Tim: 4 8

Etenim nil Ministri hominibus residuum fecêre in operibus ipsorum, vel pessimis ac maxime pudendis, quod reuera pœnam vllam iurè mereri possit. Quod si verum est, neque in iudicium ergo Christi vllum opus tale, hoc est, iusta pœna condignum venire poterit, neque vlli ita hominum quicquam mali, secundùm demeritum operũ eius reddi. Magnum est, Nil iurè damnabile in operibus, si Ministris credimus.

est, quod dicimus de Euangelismo istorum, sed idem verißimum, id quod cuiuis etiam manifestum fieri facile poterit, modò rem ipsam expendere libeat paulò nobiscum exactiùs.

Ministrorũ sententia.

Nimirum duo quædam habent Ministri isti, vel omnes, vel magna certe ex parte, inter prima doctrinæ suæ capita, ex quibus omnis operum humanorum omnium ad pœnam reatus, ruat necesse est. Quòd si pœnæ reatus in ijs est nullus, certè ne iudicium eorum quidem vllum in damnationem institui iuste potest. Primùm illud in eo est, quòd nullum superesse velint homini, etiam gratia Dei adiuto, liberum arbitrium, ad nulla, vel bona, vel mala facienda coram Deo. Alterum verò in eo, quòd Deũ, ita plenum in actus humanos omnes sibi reseruasse docent dominium: vt in pessimis etiam hominum facinoribus nihil prorsus fiat, quod non ipse Deus, & antequam fiat, ita ab æterno fieri voluerit decreueritq́; & cùm iam in executionem ventum est, non imperet opereturq́; planè idem ipse; non solùm animum humanũ ad id inclinando, sed & opus ipsum malum exequendo per hominem, eodem modo, quo artifex quiuis, per instrumenta artis suæ, perficit opera sua.

Libertas arbitrij omnis negata à Ministris.

Primùm illud docent communiter omnes primarij Euangelismorum Ministri. Ita enim Lutherus lib: de seruo hominis arbitrio. Ita Melanchton in Loc: com: de libero arbitrio. Ita Martinus Kemnicius in examine Concilij Trident: Seß: 6. Ita alij eiusdem farinæ Ministri.

Alte-

Alterum verò etiam ipse quidem olim Lutherus cum suis inuexit, vt videre est in assertionibus articulorum eius art: 36. itemq; apud Melanchtonem in octauum cap: ad Romanos, primæ æditionis: Sed Caluinus postmodum cum Symmystis suis, longe etiam clarius constantiúsq; asseruit, propagauitq;, atq; in hunc etiam diem studiose tuetur. Legat de his, qui fusè sententiam istorum explicatam desiderat, quæ ea de re, ex ipsorummet publica confeßione variè affert Illustriß: Cardinalis Bellarminus Tom: 3. Controuersiarum, vbi de peccatis agit lib: 2. de peccati, scilicet, causa in genere, cap: 30: Etiam mala opera in malis operatur Ministris Deus.

Vnum solùm illud obseruetur hac in quæstione diligentiùs, cum secundùm Ministros hos, longè aliud sit, quærere vtrum reuera Deus, eo modo, quo diximus, operetur omnia in omnibus, etiam mala in malis; & vtrum propterea Deus, vel ipse peccet, vel peccati debeat author dici: hoc secundùm quidem penitus omnes negare, atq; omnibus modis à se suspicionem eam doctrinæ amoliri, se scilicet, peccatorũ Deũ authorem facere, primum tamen illud libenter concedere, plerosq; quos nominauimus omnes. Itaq; Zuinglius primùm de his: Vnum, *inquit*, atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantùm Dei est authoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est; quantũ autem hominis est, crimen est, scelus est. *Ita Caluinus.* Cùm iusta de causa licet nobis ignota, à Domino procedunt, quę ab sceleratis hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi rerũ Zuingl. l. de prouiden. ad Princ: Cattorum Philip: art. 30. Cal. lib: de æter. Dei prædestin.

prima causa sit eius voluntas, peccati tamen esse authorem nego. *Idem verò alterum illud de plena Dei, etiam in malis operatione in Institut: clarissimè asserit, vbi hæc inter alia sunt eius verba:*

Lib: 1. Institut. C 17.

Vbi in memoriam reuocant pij, totam improborum cohortem, sic omnibus partibus manu Dei tanquam fræno cohiberi, vt nec concipere vllum aduersus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandũ, si maximè moliantur, digitum mouere queant, nisi quantùm ille permiserit, imò nisi quantùm ille mandauerit, nec compedibus eius tantùm teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda fræno cogi, habent vnde se prolixè consolentur. Nam vt Domini est illorum furorem armare, & conuertere, destinaréque quo libuerit, ita & modum finemq; statuere, ne pro sua libidine licentiosè exultent. *Hæc ille, æquè Domino tribuens continere à malis, atq; in mala scelestos armare, conuertere, destinare, mandare, &c. Ita Beza eadem de re agens, cùm dixisset homines*, mera esse instrumẽta Dei, facere omnia quæcunq; faciunt etiam mala, ex æterna Dei prædeterminatione: *tandem Dei operationem in ijs explicans (Aphorismo 22.)* Sic autem agit, *inquit*, per illa instrumenta, *(homines scilicet)* Deus, vt non tantùm sinat illa agere, nec tantùm moderetur euentum, sed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atque adeò, quod omnium est maximum, etiam

Beza responsione ad Sebastian. Castaba: de æterna prędestinatione.

tiam

tiam creet, vt per illa agat, quod constituit. Quæ omnia, ait, rectè agit Deus, & sine vlla iniustitia.

Porrò quod ad eam quæstionem attinet, quam nos hîc tractamus, satis nobis est accipere hoc ipsum quod dant isti, confitenturq́; se docere. Neq; enim ad rem eam, quam hîc agimus quicquam pertinet illud concludere, sitné propterea author peccati Deus, peccans ipse in hominibus an secus? Illud solùm concludendum nobis est, nullo iusto iudicio pœnas pro malis hominum operibus, secundùm istos, vllas à Deo posse irrogari, id quod etiam absq; altero illo clarißimè inde, vt videbimus, euinci potest: sed singula ista expendamus.

Si nulla pollent arbitrij libertate homines coram Deo, nullum potest esse eorum peccatum, quod iustam ab ipso iudicij damnationem mereatur.

DIco primùm: si liberum arbitrium in moralibus nullum est, ne pœna quidem vlla coram Deo dignum opus quoduis, ne dum à Deo ipso inflicta pœna eaq; æterna dignum esse posse. Ideóque ne iudicium quidem de ijs fore diuinum, quia id non nisi iniquißimum institui posset. Facilè hoc intelliget, qui illud primùm considerat, nulli delicto in humanis deberi pœnam vllam, nisi quod cum ratione potuerit declinare homo, nec tamen declinarit. Talis enim demum error, crimen propriè est, & in tali igi- 20. Nil pœna dignum est, quod ex arbitrio non fit.

 tur

tur demum proprius pœnæ reatus. Patet id ex communi omnium rerum humanarum cursu.

Homo corruens.

Ruit fortè homo quispiam ex alta aliqua specula, & socium hominem suo lapsu opprimit, nemo eum iurè propterea homicidij reum agat, & pœnæ homicidium consequentis, nempè quia non ratione peccatum ab eo fuit, sed casu.

Puer peccans.

Ita eripit rem alienam puer infans, ac nec dum rationis compos. Nemo eum propterea furti accersat sciens, nemo ad suspendium postulet, nemo laqueo suffocandum pronunciet, nempè nec dum capax doli est, vt arbitrio suo fugere malum potuerit. Si qua ei flagellatio imponenda; ad cautelam magis in futurum imponetur, quàm vt præteriti peccati pœnam luat.

Amentium delicta.

Idem iudicium de ijs est, qui vel emotæ sunt mentis per insaniam, vel in morbo grauiore rationis vsu, per phrenesim priuati. Nemo tales ob quodcunque erratum ad iudicium iurè aduocat, nemo pœnam grauiorem infligit. Tanta duntaxat talibus adhibetur castigatio, siue vinculis illa, siue flagris, quanta satis esse posit ad similes, in futurum arcendos excessus.

Bestiarum errata.

Idem denique iudicium in bestijs est. Quis enim vnquam iudicum humanorum ad suum passus sit adcitari tribunal lupum, quòd in publica via hominem laniarit, vt prædonum latronumq; publicorum in eum supplicium statueret? Quis canem quantumuis ex ipsis diuorum aris sacrificiorum partem abripuisset, sacrilegij nomine deferri admiserit, vt eadem

eadem qua sacrilegia inter homines pœna solet, mulctarit? Quis bestiam aliam quamuis, ob quamcunq; vel incursionem violentam, vel versutam fallaciam accersiri pateretur: vt certam ei aliquam ex iure imponeret mulctam? Nemo profectò.

Nec vlla tamen rei huius causa est alia, quam quòd rationis arbitrio nullo vtantur bestiæ, quo cohibere suos ipsæ naturales impetus poßint. Vnde si-quidem quandoq; è medio tolluntur, non aliud eo spectatur apud cordatos, quàm vt ne ampliùs noceant, non verò vt commeritam pœnam præteritorum soluant. Cuius illud satis euidens argumentũ est. Primùm, quia eædem illæ bestiæ, quæ natura sua noxiæ sunt, non minùs ante omnem noxam, si capi possunt, exitio dantur, quam post damnum illatum. Æquè, inquam, occiditur lupus, captus in specu sua, ac vel in nido suo, antequam ouem rapuerit, imo vel rapi potuerit; æquè vrsus antequam iumentum occiderit; æquè canis rabidus, antequam hominem læserit, quam post omne homini nocumentum illatum. Id quod nullo iusto iudicio fieri posset, si nomine pœnæ præteritorum, talia insligerentur: sed tolluntur è medio nocentes bestiæ, ne in posterum inferant damnum. Deinde quia nulla certa forma supplicij vllo iudicio ijs constituitur, quemadmodum in criminibus ab homine ratione vtente commißis, sed quacunque possunt ratione, etiam citißimè extinguuntur. Non ijs rotæ, non crurifragia, non enses, non flammæ, non laquei, non cruces sunt decretæ, quantumuis similia admitterent, ob qualia hominibus huius-

huiusmodi suppliciorum genera constitui solent: quia nimirum nullius talis demeriti capaces sunt.

Solus homo, quia ratione peccare potest, talibus pro admissis ad pœnas damnari potest, quia solus homo propterea in crimen damnabile cadere potest, quòd ratione vtatur, & ita auertere animum, si velit, à noxa possit. Quod dum non facit, ex proprio arbitrio delinquit, ideóq; meritam incurrit pœnam. Tam quidem certa sunt isthæc homini ratione vtente, vt ea ne possit quidem negare, nisi insanire cum ratione velit. At verò si liberum arbitrium in mortalibus nullum superest coram Deo, eadem prorsus ratio est in omnibus delictis ipsorum coram eo, qualis vel puerorum est, vel dementium, vel bestiarum coram hominibus in erratis suis. Nihilo, inquam, secius sic coram Deo subiecti sunt omni naturæ impressioni, quam vel amentes, vel bestiæ coram hominibus; nihilo liberiores sunt ad quemcunq; peccatorum impetum euitandum, quam vel amentes, vel bestiæ; nihilo secius in mentis suæ applicatione ab obiecto quocunq; oblato pendent toti, quam vel amentes, vel bestiæ illæ. Nihilo ergo secius & ipsi ab omni pœna demerito immunes coram Deo, quam coram hominibus illi.

21. Substantia facti.

21. Nam & alioqui, vnde tandē iustus hîc in homine taliter affecto, pœnæ reatus? An fortè ex ipsa is errati cuiusuis substantia procedit? At si ita: vbicunque esset factum idem, idem etiam consequeretur pœnæ reatus, quia eadem sit causa. Nunc verò quantumuis æquè occidat hominem, vel bestia, vel amens,

amens, atq; homo doli capax: tamen illi à noxa eximuntur, hic in noxa est. Non igitur inde. Vnde ergo?

An fortè quia sponte, hoc est, naturali quadam cum delectatione adiuncta, & proprio naturæ impetu atq; inductione admittitur? At quantumuis æquè spontè sua, & motu naturali, & maxima etiam sua cum voluptate admittent bestiæ, amentesq; hominesq; adeò ipsi, variè se peccare quandoq; somnlantes; atque homo rationis capax: nihil tamen simile in ijs demeriti cadit. Simile autem id omninò foret, cùm similis sic causa demeriti vtrobiq; interueniret. Sed ea de re paulò pòst etiam fusiùs. Delectatio facti. n. 24.

Quid ergo tandem propriè in pœnæ causa est? An quia contra legem positam admittetur error, inde omnis noxa est? At quantumuis eadem lex poneretur vel bestijs, vel amentibus, attamen ne sic quidem si contra facerent, incurrerent in reatum. Nimirum, quia æquè ac reatus, ita ne legis quidem iustæ vllius capaces sunt, qui à ratione, & omni arbitrij libertate sunt alieni. Ideòq; non alia tandem vel legis iustæ origo, vel criminis in eam admißi ratio, vel pœna denique ob crimen admissum incursæ radix, inueniri potest vlla: quam quod rationis vsui atque arbitrij libertati ista obijciantur. Vbi ea non sunt, nec lex iusta vlla, nec criminis noxia vlla, nec pœnæ meritum iustum vllum, habere locum potest: illic verò solùm habent locum ea suum, vbi illa inueniuntur. Legis transgreßio.

Cùm igitur in rebus diuinam legem concernentibus omne illud arbitrium sustulerint infœlices Mi-

nistri, in solis verò rebus naturalibus atq; humanis, vtcunq; id reliquum faciant, eorum nonnulli: in solis ergo rebus humanis vtcunq; æquitatem legum ac pœnarum fortè tueantur tales, at coram Deo, omnem prorsus proprium pœnæ reatum, vnà cum ipso arbitrio sustulêre, atq; ita quod consequens est, omne etiam iustum iudicium talium in condemnationem. Et hæc quidē hactenus generalis est ratio omne pœnarum demeritum proprium, ex operibus humanis in æquo iudicio quouis eatenus tollens, quatenus ex iisdem arbitrii libertas sublata est.

22. Peccata hominum sine arbitrio ad Deum comparata.

22. *Sed longè etiam hæc elucere possunt magis, si conditionem operum nostrorum omnium, arbitrio iis libero iam detracto, cum Deo ipso legibusq; eius, nec non & iudicii illius, quod pro iis ipse indixit, ratione ac forma propiùs componamus. Et enim* cognouit Dominus figmentum nostrum, *inquit Regius Propheta, idq; intimè dubio procul. Et illud quoq; ergo agnouit, si arbitrium nullū est: fieri aliter non posse, quam vt quamcunque acceperit animus humanus impreßionem, etiam contra legem Dei siue in vetitis, circa vel concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitæ; siue in mandatis; circa vel Dei ipsius cultum, vel proximorum dilectionem, vndecunq; ipsi alioqui obueniat tentatio; siue à carne, inquam, propria; siue à mundo; siue à Sathana tentatore; ei necessariò succumbat, cùm auertere se ratione à nullo, quantumuis illicito impetu, animus ipse, ne gratia quidem adiutus diuina queat; nihilo magis quàm irrationa-*

Ps. 102.14

1. Ioa. 2.16

les

les bestiæ, dum ab obiecto quouis placito, in cupiditatem quamcunque illiciuntur.

Posuit nihilominus leges eas homini Deus, quæ eum vndique constringerent, laqueis quasi quibusdam, irretitumq; tenerent, tam strictas, inquam, illas, iuxta impium Ministrorum Euangelismum, vti initio vidimus, vt se vertere nusquam posset, ac ne minimam quidem cogitationem suscipere, quin sese implicaret, atq; aliquam earum transgrederetur. Illam quidem certè. Non concupisces, *aut aliam illam de* diligendo ex toto corde, animo, viribus, Deo. Lex diuina.

Adhæc reseruauit etiam ita sibi plenissimè Deus, omnem illam potestatem, vti in cætera creata à se omnia, ita & in omnes hominum conatus, seu probos illos, seu flagitiosos, vt nil moliri possit homo quisquam vspiam in omni operatione sua, nil exequi absq; peculiari sua permissione laxationeq;, vt, inquam, ne quidem pilum quempiam vnum minuat cuiquam, per iniuriam. Id quod certissimum est omnibus Christianis. Alioquin enim, quis eius resisteret voluntati, dum is quid ne quidem vellet permitteret? Permissio diuina. Luc.21.18. Rom.9.19

Deniq; post omnia illa, iuxta infallibilem fidei Catholicæ veritatem, constituit diem iudicij extremum omnibus, in quo oporteat omnes homines manifestari ante tribunal Christi, strictissimum subituros examen de omnibus ijs, quæ vnquam ita à se laxati admisère in corpore contra leges illas, adeò vt ne verbum quidem otiosum vllum potuerint eloqui Iudicium peccatorum 2.Cor.5.B

vnquam, quin ratio eius ibi veniat reddenda. Sententia porrò damnationis ad extremum ea in reprobis, pro ijs ipsis talibus erratis consequetur irreuocabilis, vt in gehennæ conijciantur voraginem immensam, ob huiuscemodi sua delicta, flammantibus illic torrendi ignibus perpetim, tanto cum rigore, vt ne quadrantem quidem vllum, ac ne minimum quidem minutum erratorum suorũ impunè sint laturi.

Mat: 5. 27.
Luc: 12. 58

At verò his positis, intelligi ne omninò potest, vt idem Deus in iustißimo iudicio suo tale, operum humanorum, operum talium, iurè instituat examen? Capere ne autem vlla ratio humana potest, vt iuxtà æquitatem ita iudicentur præuaricantes, vtq; nihilominus occinatur iudici ipsi tali in veritate. Iustus es tu Domine, & rectum iudicium tuũ. *Nullo quidem pacto? Sed in simili ista videamus.*

Psal: 118.

Simile canẽ efferatum soluentis.

Pono canem quempiam catena detentum, ita irritari obiecto quouis, vt non posit, non toto in illud appetitu ferri, puta si vel fame macerato diuturna, offam ex opposito obijcias alienam, mirificè alioqui palato eius arridentem, vel in prætereuntem quenquam toto furore irritatum concites. Pono interim te ipsum esse, quisquis hæc consideras, qui taliter excitatum vinculis exsoluas, vnde certißimo fiat, quandoquidem suipsius ille potens non est, vt toto impetu feratur in obiectum, & vel offam hauriat alienam totam, vel hominem lædat grauiter, vel quiduis aliud peccet, naturali illi cupiditati suæ obsecundans. Pono verò teipsum tandem iudicare debere, ecquid hic pœnæ meritum? [illegible] numné propterea

suppli-

supplicium cani tali, iure tu decerneres? Iure profecto nullum. Tu quidem certè, quia natura sua obsecutus est, nec potuit aliter, vtpotè nulla praeditus ratione, nulla arbitrij libertate, quo refrænare naturæ concitationem potuisset. Quòd si quis fortè hic pœna dignus, nemo quidem, is æquè ac tute ipse, qui vel irritasti ipse, vel taliter irritatum exsoluisti, proposito primùm tanto illectamento malorum.

Id quod non ratio nobis sola suggerit, sed & ipsemet iudiciis suis confirmauit Deus. Hoc enim est certè, quod in Exodo, iustissimo Dei decreto, si fortè bos quispiam cornupeta (quem dominus suus sciuisset esse talem) laxatus hominem occidisset, non ipse solùm bos occidi iubetur, sed & dominus ipsius, eò quòd eum laxasset, quem vel probabiliter sciuisset damnum illaturum. Atqui secundùm Ministros hos, hæc ipsissima est conditio omnium, quæ ab hominibus vspiam admittuntur malorum, si iusto iudici Christo comparentur. Homines, inquam, absq; libero arbitrio, vel cani illi, vel boui cornupetæ simillimi, in omni tentatione sua ad peccandum. Christus verò is qui habenas ipsis laxat, vt suæ satisfaciant tentationi in peccatis. Exod. 21. F

Dicent fortassè ne secundùm Catholicam quidem veritatem, magnam esse horum differentiam, cùm secundùm eam etiam illud sit indubitatum, absque Dei permissu nihil vspiam admitti mali, nec tamen propterea dubitet Catholicorum quisquam, iustè puniri aduersus leges commissa. Imò verò dico diuersissima hîc ratio est; licet enim æquè verum sit, sic Iurè permitit Deus homines peccare, & punit.

quoq;

quoq; nil posse homines præstare, etiam malos, nisi quantùm ijs Deus in id habenas remiserit. Attamen simul verissimum & illud, etiam habenis laxatis, posse se in impijs conatibus suis homines cohibere: Nec minus verum & illud, ad liberā virtutis exercitationem, etiam in malis, optimo iure huiusmodi licentiam homini concedi. Meritò enim vult Deus vti hominem rationis suæ, atq; ea, qua pollet, arbitrij facultate. Ideóq; etiam occasionem eum habere exercendæ huiusmodi libertatis par est, præsertim, cum si alicubi ea propter nimiam sui imbecillitatem fortè non sufficiat, illic gratiam præterea offerat & auxilium suum Deus (id quod nulli, petenti præsertim, negauit vnquam sufficiens) vt possit resistere tentationi. Atque hinc est quod secundùm Catholicā veritatē iure optimo, & præmia tandem decernat sua pijs, pro rectè factis, & supplicia impijs pro malis: quia libere vtriq; & voluntate sua, vel bona egere, gratia vtentes ad id sibi oblata, vel mala, eandē repudiantes. Manet itaq; conclusum illud quod voluimus, negata omni arbitrij libertate in diuinis: nullo iure posse vocari in iudiciū flagitia vlla à Deo, eò quòd ipsa arbitrij seruitus, ab omni pœna demerito, omne admissum absoluat, &c.

Si directè operatur omnia etiam peccata in reprobis Deus: iudicium de ijs in damnationem nullum iustum instituere potest.

23. 23. *QVod si ita est, vti cum ratione negari nullo modo*

modo potest, quantò magis ex altero illo capite, quod de absoluta Dei, in omnibus hominum, etiam malefactis, operatione, turpissimè sunt commenti Ministri, affirmandum est, omne iustum iudicium scelerum humanorum, esse sublatum? Ex eo enim non iam illæ solùm sunt Dei, in peccatis omnibus, partes, quas diximus, puta quod leges posuerit ijs, qui nullo voluntatis arbitrio possent eorum transgressionem euitare; quod easdem grauissimas ijs posuerit, & ipso genere suo impossibiles obseruatu; quod ipse denique relaxet fræna necessaria iam peccantibus solus, cùm cohibere posset, absq; qua laxatione, peccatum nullum vspiam admitteretur. Sed longè etiam illæ grauiores, atq; omninò intollerabiles, nempè super hæc omnia, ipse etiam Deus est, qui opus ipsum iniquum totum, per transgressoris animū tanquam per instrumentum quoddam proprium, operatur. Ipse, inquam, est, qui secundùm impios istos Euangelismos, non minùs fuit author, vel adulterij Dauidis, vel proditionis Iudæ: quàm vocationis Pauli, quod impiè aliquando asseruit Melanchton in 8. ad Rom. Ipse, qui ab æterno creat homines ad peccandum, ea quæ peccant, ipse qui postmodum occasiones subministrat peccandi, qui tentationes excitat, vrgetq;, qui author, motor, impulsor est operis mali, qui ad obsequium sibi tale præstandum improborum cohortem totam, etiam cogit (prout hæc omnia iam ex doctrina ipsorum in superioribus vidimus) adeò, vt mera quædam instrumenta in manibus omnipotentis Dei sint impij, in peccatis suis; eodē modo, quo

Quid sit Ministris, etiam mala operari in impijs Deū. n. 19.

malle-

malleus est in manu ferrarij, securis in manu lignarij, similis apparatus quiuis in manu artificis cuiusuis, quem versat opifex ad omnem nutum suum, in quamcunq; sibi libuerit partem: hac sola differentia, quod cùm omnipotens sit Dei manus, longè etiam efficacius certiusq; moueat omnem naturam sibi subiectam, quàm quisquam hominum instrumenta sua, quæ sæpè ob virium imbecillitatem satis habere obtemperantia non potest.

Quæ quis ipse directè operatur, nullo iure puniat.

At verò tantis blasphemijs pro certo atq; indubitato Euangelismo admissis, quo tandem iure talia peccata ad supplicium quæri, ab eodem Deo, alioqui Optimo Maximo concedemus? An quisquam artificum omnium, cum ratione ab instrumento suo pœnam deposcat, quod ipse eò ictum quemcunq; fecerit ad nutum suum? An canem suum iure vllo mulctarit venator, quòd feram apprehenderit eam, in quam ipsemet ei author, motor, impulsor fuerit incurrendi? Quid? Apprehendat sicarius quispiam manum tuam, eiq; siccam implicet, sicq; robore quodam suo nimio eandem adigat, vt iugulum transfigas hominis. Ipse, inquam, indat gladium manui tuæ, ipse manum implicet, ipse ducat, impellatq;, ipse ex aduerso positum hominem tua ita manu configat. Idem ne vllo iure te postmodum ad tribunal postulet suum? iurè te homicidij reum agat? iurè ense, rota, crurifragio in mortem pro scelere dedat? Quæ verò tandem id capere ratio humana potest? quæ mens vel Angelica probare? Imò quis non amentum etiam quorumuis, tantum non intelligat, vt ta-

vt tale iudicium nullo prorſus iure vſpiam inſtitu poſſe confirmet?

24\. Et quo tandem titulo, vel ficto illo, modo in ſpeciem probabili, intelligemus ſupplicium de impiis vllum, tanta ipſis iam impoſita neceſſitate peccandi ſumini poſſe? Reſpondere ſolent acuti iſti blaſphemiarum inuentores, meritò improbos puniri. Quia licet abſoluta Dei potentia, etiam in ipſis malis ſuis vrgeantur, nec poſſint omninò aliter facere, quàm faciunt: attamen dum mala perpetrant, libenter ea & titillatione ac ſenſu quodam voluptatis, quam inde hauriunt, patrant. Luant ergo quod ſponte & voluntariè delectabiliterq́ etiam, licet neceſſariò, admiſere. 24.

An voluptas, quæ in peccato eſt, in ſe ſit damnabilis.

At verò ne id quidem quicquam ad rem facit, quia nimirum primùm, ipſam etiam illam peccati voluptatem per naturam, tanquam per inſtrumentum quoddam ſuum proprium operatur ſecundùm ipſos, directè Deus. Iurené autem ipſam ſuam operationem propriam condemnet in quopiam Deus? Ita certè & quod grauia tendant deorſum in aqueis, terreisq́ legitimè puniret; & quod leuia in aëreis atq; igneis aſcendant ſurſum; & quod plantæ viuant ac nutriantur; & quod iumenta ſentiant ac delectentur; & quod homines intelligant ac ratiocinentur; & omnem deniq; naturæ vim efficacitatemq́ aliam in actum ſuum deductam.

Deinde nulla voluptas ſola, dum aliunde nõ conſtet criminis ratio, damnari ad ſupplicium poteſt. Talis verò delectatio peccati, poſito actu iam

Sola delectatio damnabilis eſſe nequit.

pec-

peccandi à Deo ipso absoluta potestate consummato, non potest non naturali iam deductione, & absque noua noxa omni consequi. Itaq; nulla in bestiis iucunditas, quam obiiciendo ei vel cibum vel illecebrosum aliud quiduis ipse causatus sis, verè à te puniatur. Nulla in homine somniorum per illusionem immissorum oblectatio, quantumuis illa sensualitati maximè complacens, vbi aliunde non accessit peccati culpa; iurè ex sese damnabilis censetur. Nulla suauitas ciborum vetitorum, dum vel porcinæ, aut similia in antiquo testamento in os ingerebantur inuitis, vel quæ idolis immolata fuerant in nouo, quantumuis absq; sensu voluptatis aliquo percipi minimè poterant, obnoxios pœnis vllis reddebat. Eademq; est ratio similis omnis, quantumuis maximæ iucunditatis. Sed ex simili tandem totum istboc quale sit, etiam dilucidiùs intelligamus.

a. Math: 6

Simile pueri alieno ductu turpia pingentis.

Frequens est in pueris, qui à Pædagogis suis erudiuntur, in primis literarum formandarum exercitiis, manu eorundem Pædagogorum dirigi. Quando quidem ita & calamus ipse digitis aptatur pueri, & manus tota componitur, & Pædagogi deniq; manu comprehensa dirigitur deduciturq;: vt non possit vllum ductum linearum puer facere, nisi quem Pædagogi ipsum dirigentis manus constituerit. Pono ergo Pædagogum quempiam certo consilio suo, ita manum pueri dirigere, vt nullam prorsus iustam lineam faciat, nullum ductum literis aptum, sed intorta omnia, indirecta, inepta, in formas etiam declinantia, vel turpes, vel ridiculas, vtpotè si simiarum

rum asinorumue ille ita depingat capita, vel quiduis simile, omni etiam turpitudine deformatum. Iam hîc quidem omninò in genere literarum peccatum erit, cùm longè à forma constituta deflexum fuerit, adeóque & oleum, & opera perdita. Iurené autem Pædagogus huiusmodi, examen in puerum instituere, errorum accusare, pœnas vllas (ne dum necem afferentes, eamq; acerbiorem) reposcere posset; quòd tempus perdiderit, quòd chartam conspurcarit, quòd à iusto charactere aberrauerit, quòd turpissima quæq; depinxerit? Nullo profectò iure posset, essetq; omninò iniquissimus, si faceret, & eo semper iniquior, quo grauiorem pœnam errato tali definiret. Quia licet reuera erratum sit in eo genere variè; nulla tamen pueri noxa id factum, quæq; ex eius parte vllum supplicium potuerit promereri, ne quidem, si vel maxima ipsius recreatione totum fuerit factum, admirantis ductus varios & formas, vel risu, vel admiratione, dignas. Quia nimirum neq; ipsius id consilio factum, neq; arbitrio ductuúe: cùm aliter ipse omninò facere nequiuerit, fortiore manu detentus deductusq;. Neque enim refert hîc quicquam; an cum voluptate sua talia fecerit puer, an secus. Quantumuis enim, quæ tali ductu Pædagogi inchoarit, summa etiã cum recreatione sua perficiat, summaq; perfundatur suauitate ex ipsa illa figurarum varietate: non propterea tamen iure vllo mulctaretur à Pædagogo, eo ipso quod nil in ijs consilio suo proprio conatuúe admiserit, totum verò ex destinatione atq; opera Pædagogi ipsius sit cõfectum.

Atqui secundùm impios istos Ministrorum Euangelismos, hæc ipsissima est conditio, omnium quæ ab hominibus vspiam admittuntur malorum, si iustissimo iudici Christo componantur: quomodo ergo ob ea vllo modo, vel in iudicium propterea vocandi homines, ne dum ad æternas pœnas iurè condemnandi? In omnibus, inquam, flagitiis hominum vel perditissimorum, secundùm inauditum istud à seculis Euangelium, nullæ aliæ sunt hominum partes, quam quæ in picturis illis, quas diximus pueri illius erant, Christus ipse, vt Deus verus, Pædagogus ille, pueri ductitans manum. Quas ergo iustissimo illo extremo iudicio, iudicis idem agat partes, vt pœnas iis constituat, & quidem eas ex ipso genere suo tantas, & ipsas quoq; sempiternas? Nullas profectò iure vllo, nedum æquissimo suo diuino. Videnturq; hæc tam manifesta hactenus, impiis illis positis Euangelismorum fundamentis, vt qui ea negarit, non tam argumentis videatur opus habere pluribus, quibus conuincatur: quam belleboro quo perpurgetur, ne ampliùs pergat cum ipsa ratione bellum gerere. Itaq; finem tandem probationum nostrarum hunc faciamus.

PARÆNESIS AD EVANGELIcum dictum Lectorem.

Quam turpis, perniciosus, plenus periculi sit talis Ministrorum de Iudicio error, quamque meritò propterea Ministri ipsi fugiendi.

25. *AD te hîc iam conuertor Lector amice, maximè quisquis hactenus inanes istos Ministrorum Euangelismos, tanquam ipsissimum Dei verbum consectatús es; te compello, vt te ex tota hac disputatione nostra, eum quem par est si uctum referre moneam, te animum his aduertere volo. Maximi momenti esse articulum hunc de iudicio Christi extremo, ne tu quidem ipse ambigis puto: et si fortè vel maximè ambigeres; vel ipsum tamen solum Euangelij hodierni exordium, omnem tibi facilè eam eximeret ambiguitaeem: vt quod tale illud futurum describat, vt omnis rerum natura in summam sit confusionem propterea delapsura:* Erunt enim, *inquit,* signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium prę confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus prę timore & expectatione eorum quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem, &c. 25.

Magni momenti articulus de Iudicio.

Luc: 21. 25

Attende, vel modicè & facilè intelliges, non cœlum, non terram, non maria, non aërem, non quicquam denique eorum, quæ vel infra cœlorum, vel suprà terræ ambitum contineantur, extra summam perturbationem fore, sed homines inprimis, vt quos potissimùm omnis illa Iudicij illius moles sit petitura pressuraq́; Nemo nostrûm abesse ab eo iudicio poterit, nemo declinare examen, nemo iudicis manum effugere. Non tu, non ego, non vllus filiorum Adam omnium, seu viuorum, seu mortuorum:

Inane ibi robur omne, inanis scientia, inanis astus: inanis potestas, inanes diuitiæ, inanis omnis deniq; vel cogitatio, vel conatus humanus in contrarium.
Rõ:14 10. *Omnes nos stare oportet ad tribunal Christi, omnes*
2.Cor:5.10 *ibi manifestari, cum omnibus quæ vnquam vel bo-*
Matth:10. *na designauerimus, vel mala. Non ibi vel calix v-*
B 42. *nus aquæ frigidæ præteribitur in bonis, si quem for-*
Matth: 12. *tè aliquando dederis, in vera charitate pro nomine*
C 36. *Christi: vel verbum ociosum vnum in malis, si quod sortè aliquando locutus fueris, oblitus Christi. Excipiet examen sententia, sententiam executio, executionem æternitas, quæ nullam vnquam iam admit-*
Matth.25. *tere possit commutationem. Ibunt enim recta inde*
D 46. *boni omnes, propter ipsa bona opera sua in vitam æternam; vti contra mali omnes, propter vel ipsa mala opera sua, vel certè defectum bonorum operũ, in supplicium æternum. Manetq; etiam te, quisquis es benigne Lector, necessariò alterutra conditio istorum, ex vno iudicio isto tota dependens. Tanti, inquam, momenti articulus iste.*

Si igitur in eo quoq; turpissimè lapsos deprehendas Ministros tuos, & quidem sub ipsa Euangelij veri pollicitatione lapsos; an non meritò in posterum aspernêre omnem Euangelismum ipsorum? Si verò non turpissimè solùm, sed & perniciosissimè lapsos inuenias, nonné longè magis auersêre? Quòd si ad extremum etiam dolosissimè periculosissimèq; lapsos agnoscas: an non tum meritò eos etiam longè studiosissimè deuites, ac detestere? Meritò quidem omninò, si sapis. Atqui ita res omninò habet, turpissimè, perni-

perniciosissimè, periculosissimè, & errarunt ipsi, & in errorem induxêre omnes in hoc articulo credentes suos.

26. *Turpissimè, inquam, quia quantùm in se est, totam iudicij illius substantiam sustulêre, nec potest circa rem vllam esse grauior error, quàm si ipsa eius etiam essentia negetur? Sustulêre, inquam. Nam & bonorum operum iudicium nullum prorsus fecêre reliquum, vti vidimus, dum partim in tota hominũ natura vlla posse opera reperiri negant, quæ comparere in iusto illo iudicio queant; partim non nisi propter imputatam Christi iustitiam, cuiquam salutem pollicentur: & malorum contra operum iudicium fecere iniquissimum; ideóque eo ipso nullum; & quale ne inter homines quidem iudex vllus, qui iustitiæ aut æquitatis haberet rationem aliquam, susciperet; dum partim nihil amplius superesse liberi arbitrij in homine, ad mala etiam fugienda opera, confirmant; quàm bestiæ cuiuis, aut cani ad appetitum quemuis suum naturalem refrænandum, partim haud secus incumbere in omnia etiam mala hominum opera, Dei omnipotentem manum asserunt, atque si quis pueri alicuius scribentis, pingentisue, digitos manu sua efficaciter in omnem errorem abduceret; ipsum verò Deum simillimum faciunt, ac si vel rabidum quis canem talem vinculis laxaret, vt in vetitum aliquod obiectum irrueret, vel pueri illius manum adeò aberrantem gubernaret. Vidimus hæc superiùs nos, & quidem ita vidimus, vt si quidem, & tute rem tecum velis expendere attentiùs, ra-*

26. Turpissimus hic error Ministrorum. 1. Quia circa ipsam iudicij essentiam.

quoq; nil posse homines præstare, etiam malos, nisi quantùm ijs Deus in id habenas remiserit. Attamen simul verißimum & illud, etiam habenis laxatis, posse se in impijs conatibus suis homines cohibere: Nec minus verum & illud, ad liberã virtutis exercitationem, etiam in malis, optimo iure huiusmodi licentiam homini concedi. Meritò enim vult Deus vti hominem rationis suæ, atq; ea, qua pollet, arbitrij facultate. Ideóq; etiam occasionem eum habere exercendæ huiusmodi libertatis par est, præsertim, cum si alicubi ea propter nimiam sui imbecillitatem fortè non sufficiat, illic gratiam præterea offerat & auxilium suum Deus (id quod nulli, petenti præsertim, negauit vnquam sufficiens) vt poßit resistere tentationi. Atque hinc est quod secundùm Catholicã veritatẽ iure optimo, & præmia tandem decernat sua pijs, pro rectè factis, & supplicia impijs pro malis: quia libere vtriq; & voluntate sua, vel bona egere, gratia vtentes ad id sibi oblata, vel mala, eandẽ repudiantes. Manet itaq; conclusum illud quod voluimus, negata omni arbitrij libertate in diuinis: nullo iure possè vocari in iudiciũ flagitia vlla à Deo, eò quòd ipsa arbitrij seruitus, ab omni pœnæ demerito, omne admissum absoluat, &c.

Si directe operatur omnia etiam peccata in reprobis Deus: iudicium de ijs in damnationem nullum iustum instituere potest.

23. 23. *QVod si ita est, vti cum ratione negari nullo modo*

modo potest, quantò magis ex altero illo capite, quod de absoluta Dei, in omnibus hominum, etiam malefactis, operatione, turpissimè sunt commenti Ministri, affirmandum est, omne iustum iudicium scelerum humanorum, esse sublatum? Ex eo enim non iam illæ solùm sunt Dei, in peccatis omnibus, partes, quas diximus, puta quod leges posuerit ijs, qui nullo voluntatis arbitrio possent eorum transgressionem euitare; quod easdem grauissimas ijs posuerit, & ipso genere suo impossibiles obseruatu; quod ipse denique relaxet fræna necessaria iam peccantibus solus, cùm cohibere posset, absq; qua laxatione, peccatum nullum vspiam admitteretur. Sed longè etiam illæ grauiores, atq; omninò intollerabiles, nempè super hæc omnia, ipse etiam Deus est, qui opus ipsum iniquum totum, per transgressoris animũ tanquam per instrumentum quoddam proprium, operatur. Ipse, inquam, est, qui secundùm impios istos Euangelismos, non minùs fuit author, vel adulterij Dauidis, vel proditionis Iudæ: quàm vocationis Pauli, quod impiè aliquando asseruit Melanchton in 8. ad Rom. Ipse, qui ab æterno creat homines ad peccandum, ea quæ peccant, ipse qui postmodum occasiones subministrat peccandi, qui tentationes excitat, vrgetq;, qui author, motor, impulsor est operis mali, qui ad obsequium sibi tale præstandum improborum cohortem totam, etiam cogit (prout hæc omnia iam ex doctrina ipsorum in superioribus vidimus) adeò, vt mera quædam instrumenta in manibus omnipotentis Dei sint impij, in peccatis suis; eodẽ modo, quo malle-

Quid sit Ministris, etiam mala operari in impijs Deũ. n. 19.

malleus est in manu ferrarij, securis in manu lignarij, similis apparatus quiuis in manu artificis cuiusuis, quem versat opifex ad omnem nutum suum, in quamcunq; sibi libuerit partem: hac sola differentia, quod cùm omnipotens sit Dei manus, longè etiam efficacius certiusq; moueat omnem naturam sibi subiectam, quàm quisquam hominum instrumenta sua, quæ sæpè ob virium imbecillitatem satis habere obtemperantia non potest.

Quæ quis ipse directè operatur, nullo iure puniat.

At verò tantis blasphemijs pro certo atq; indubitato Euangelismo admißis, quo tandem iure talia peccata ad supplicium quæri, ab eodem Deo, alioqui Optimo Maximo concedemus? An quisquam artificum omnium, cum ratione ab instrumento suo pœnam deposcat, quod ipse eò ictum quemcunq; fecerit ad nutum suum? An canem suum iure vllo mulctarit venator, quòd feram apprehenderit eam, in quam ipsemet ei author, motor, impulsor fuerit incurrendi? Quid? Apprehendat siccarius quispiam manum tuam, eiq; siccam implicet, sicq; robore quodam suo nimio eandem adigat, vt iugulum transfigas hominis. Ipse, inquam, indat gladium manui tuæ, ipse manum implicet, ipse ducat, impellatq;, ipse ex aduerso positum hominem tua ita manu configat. Idem ne vllo iure te postmodum ad tribunal postulet suum? iurè te homicidij reum agat? iurè ense, rota, crurifragio in mortem pro scelere dedat? Quæ verò tandem id capere ratio humana potest? quæ mens vel Angelica probare? Imò quis non amentum etiam quorumuis, tantum non intelligat,

vt ta-

vt tale iudicium nullo prorſus iure vſpiam inſtitui poſſe confirmet?

24. *Et quo tandem titulo, vel ficto illo, modo in ſpeciem probabili, intelligemus ſupplicium de impijs vllum, tanta ipſis iam impoſita neceßitate peccandi ſummi poſſe? Reſpondere ſolent acuti iſti blaſphemiarum inuentores, meritò improbos puniri. Quia licet abſoluta Dei potentia, etiam in ipſis malis ſuis vrgeantur, nec poßint omninò aliter facere, quàm faciunt: attamen dum mala perpetrant, libenter ea & titillatione ac ſenſu quodam voluptatis, quam inde hauriunt, patrant. Luant ergo quod ſpontè & voluntariè delectabiliterq; etiam, licet neceſſariò, admiſere.* 24. An voluptas, quæ in peccato eſt, in ſe ſit damnabilis.

At verò ne id quidem quicquam ad rem facit, quia nimirum primùm, ipſam etiam illam peccati voluptatem per naturam, tanquam per inſtrumentum quoddam ſuum proprium operatur ſecundùm ipſos, directè Deus. Iurené autem ipſam ſuam operationem propriam condemnet in quopiam Deus? Ita certè & quod grauia tendant deorſum in aqueis, terreiſq; legitimè puniret; & quod leuia in aëreis atq; igneis aſcendant ſurſum; & quod plantæ viuant ac nutriantur; & quod iumenta ſentiant ac delectentur; & quod homines intelligant ac ratiocinentur; & omnem deniq; naturæ vim efficacitatemq; aliam in actum ſuum deductam.

Deinde nulla voluptas ſola, dum aliunde non conſtet criminis ratio, damnari ad ſupplicium poteſt. Talis verò delectatio peccati, poſito actu iam Sola delectatio damnabilis eſſe nequit.

pec-

peccandi à Deo ipso absoluta potestate consummato, non potest non naturali iam deductione, & absque noua noxa omni consequi. Itaq; nulla in bestiis iucunditas, quam obijciendo ei vel cibum vel illecebrosum aliud quiduis ipse causatus sis, verè à te puniatur. Nulla in homine somniorum per illusionem immissorum oblectatio, quantumuis illa sensualitati maximè complacens, vbi aliunde non accessit peccati culpa; iurè ex sese damnabilis censetur.

2. Mach: 6 *Nulla suauitas ciborum vetitorum, dum vel porcinæ, aut similia in antiquo testamento in os ingerebantur inuitis, vel quæ idolis immolata fuerant in nouo, quantumuis absq; sensu voluptatis aliquo percipi minimè poterant, obnoxios pœnis vllis reddebat. Eademq; est ratio similis omnis, quantumuis maximæ iucunditatis. Sed ex simili tandem totum isthoc quale sit, etiam dilucidiùs intelligamus.*

Simile pueri alieno ductu turpia pingentis.

Frequens est in pueris, qui à Pædagogis suis erudiuntur, in primis literarum formandarum exercitijs, manu eorundem Pædagogorum dirigi. Quando quidem ita & calamus ipse digitis aptatur pueri, & manus tota componitur, & Pædagogi deniq; manu comprehensa dirigitur deduciturq;: vt non poßit vllum ductum linearum puer facere, nisi quem Pædagogi ipsum dirigentis manus constituerit. Pono ergo Pædagogum quempiam certo consilio suo, ita manum pueri dirigere, vt nullam prorsus iustam lineam faciat, nullum ductum literis aptum, sed intorta omnia, indirecta, inepta, in formas etiam declinantia, vel turpes, vel ridiculas, vtpote si simiarum

rum

rum asinorumue ille ita depingat capita, vel quiduis simile, omni etiam turpitudine deformatum. Iam hîc quidem omninò in genere literarum peccatum erit, cùm longè à forma constituta deflexum fuerit, adeóque & oleum, & opera perdita. Iurené autem Pædagogus huiusmodi, examen in puerum instituere, errorum accusare, pœnas vllas (ne dum necem afferentes, eamq́; acerbiorem) reposcere posset; quòd tempus perdiderit, quòd chartam conspurcarit, quòd à iusto charactere aberrauerit, quòd turpissima quæq́; depinxerit? Nullo profectò iure posset, essetq́; omninò iniquissimus, si faceret, & eo semper iniquior, quo grauiorem pœnam errato tali definiret. Quia licet reuera erratum sit in eo genere variè; nulla tamen pueri noxa id factum, quæq́; ex eius parte vllum supplicium potuerit promereri, ne quidem, si vel maxima ipsius recreatione totum fuerit factum, admirantis ductus varios & formas, vel risu, vel admiratione, dignas. Quia nimirum neq; ipsius id consilio factum, neq; arbitrio ductuue: cùm aliter ipse omninò facere nequiuerit, fortiore manu detentus deductusq́;. Neque enim refert hîc quicquam; an cum voluptate sua talia fecerit puer, an secus. Quantumuis enim, quæ tali ductu Pædagogi inchoarit, summa etiã cum recreatione sua perficiat, summaq́; perfundatur suauitate ex ipsa illa figurarum varietate: non propterea tamen iure vllo mulctaretur à Pædagogo, eo ipso quod nil in ijs consilio suo proprio conatuue admiserit, totum verò ex destinatione atq; opera Pædagogi ipsius sit cõfectum.

Atqui secundùm impios istos Ministrorum Euangelismos, hæc ipsissima est conditio, omnium quæ ab hominibus vspiam admittuntur malorum, si iustissimo iudici Christo componantur: quomodo ergo ob ea vllo modo, vel in iudicium propterea vocandi homines; ne dum ad æternas pœnas iurè condemnandi? In omnibus, inquam, flagitiis hominum vel perditissimorum, secundùm inauditum istud à seculis Euangelium, nullæ aliæ sunt hominum partes; quam quæ in picturis illis, quas diximus pueri illius erant, Christus ipse, vt Deus verus, Pædagogus ille, pueri ductitans manum. Quas ergo iustissimo illo extremo iudicio, iudicis idem agat partes, vt pœnas iis constituat, & quidem eas ex ipso genere suo tantas, & ipsas quoq; sempiternas? Nullas profectò iure vllo, nedum æquissimo suo diuino. Videnturq; hæc tam manifesta hactenus, impiis illis positis Euangelismorum fundamentis, vt qui ea negarit, non tam argumentis videatur opus habere pluribus, quibus conuincatur: quam belleboro quo perpurgetur, ne ampliùs pergat cum ipsa ratione bellum gerere. Itaq; finem tandem probationum nostrarum hunc faciamus.

PARÆNESIS AD EVANGELIcum dictum Lectorem.

Quam turpis, perniciosus, plenus periculi sit talis Ministrorum de Iudicio error, quamque meritò propterea Ministri ipsi fugiendi.

25. *Ad*

25. *AD te hîc iam conuertor Lector amice, maximè quisquis hactenus inanes istos Ministrorum Euangelismos, tanquam ipsissimum Dei verbum consectatus es; te compello, vt te ex tota hac disputatione nostra, eum quem par est si uctum referre moneam, te animum his aduertere volo. Maximi momenti esse articulum hunc de iudicio Christi extremo, ne tu quidem ipse ambigis puto: etsi fortè vel maximè ambigeres; vel ipsum tamen solum Euangelij hodierni exordium, omnem tibi facilè eam eximeret ambiguitaeem: vt quòd tale illud futurum describat, vt omnis rerum natura in summam sit confusionem propterea delapsura:* Erunt enim, *inquit*, signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium prę confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus prę timore & expectatione eorum quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem, &c. 25.

Magni momenti articulus de iudicio.

Luc. 21. 25

Attende, vel modicè & facilè intelliges, non cœlum, non terram, non maria, non aërem, non quicquam denique eorum, quæ vel infra cœlorum, vel suprà terræ ambitum contineantur, extra summam perturbationem fore, sed homines in primis, vt quos potissimùm omnis illa Iudicij illius moles sit petitura pressuraq́;. Nemo nostrûm abesse ab eo iudicio poterit, nemo declinare examen, nemo iudicis manum effugere. Non tu, non ego, non vllus filiorum Adam omnium, seu viuorum, seu mortuorum:

perniciosissimè, periculosissimè, & errarunt ipsi, & in errorem induxêre omnes in hoc articulo credentes suos.

26. Turpissimè, inquam, quia quantùm in se est, totam iudicij illius substantiam sustulêre, nec potest circa rem vllam esse grauior error, quàm si ipsa eius etiam essentia negetur? Sustulêre, inquam. Nam & bonorum operum iudicium nullum prorsus fecêre reliquum, vti vidimus, dum partim in tota hominũ natura vlla posse opera reperiri negant, quæ comparere in iusto illo iudicio queant; partim non nisi propter imputatam Christi iustitiam, cuiquam salutem pollicentur: & malorum contra operum iudicium fecere iniquissimum; ideóque eo ipso nullum; & quale ne inter homines quidem iudex vllus, qui iustitiæ aut æquitatis haberet rationem aliquam, susciperet; dum partim nihil ampliùs superesse liberi arbitrij in homine, ad mala etiam fugienda opera, confirmant; quàm bestiæ cuiuis, aut cani ad appetitum quemuis suum naturalem refrænandum, partim haud secus incumbere in omnia etiam mala hominum opera, Dei omnipotentem manum asserunt, atque si quis pueri alicuius scribentis, pingentisúe, digitos manu sua efficaciter in omnem errorem abduceret; ipsum verò Deum simillimum faciunt, ac si vel rabidum quis canem talem vinculis laxaret, vt in vetitum aliquod obiectum irrueret, vel pueri illius manum adeò aberrantem gubernaret. Vidimus hæc superiùs nos, & quidem ita vidimus, vt si quidem, & tute rem tecum velis expendere attentiùs, ra-

26. Turpissimus hic error Ministrorum. 1. Quia circa ipsam iudicij essentiam.

ùs ratio ipsa facilè te conuincere possit, iniustissimũ planè iudicem futurum Deum. si talibus fundamentis positis, nihilominus omninò ad iudicium suum, eo quo scriptura id describit modo, credatur processurus.

2. Quia circa ipsa fidei elementa.

Increscit verò erroris huius turpitudo non mediocriter, ex eo quod fidei articulus iste, ad ipsa fidei nostræ primordia, ac quasi prima elementa in sacris referatur. Lege Paulum ad Hebræos scribentem, Hebr. 5.12. *inuenies manifestò, eum, cùm paulò antè ipsos reprehendisset, eò quod cùm deberent esse magistri aliorum in rebus fidei, secundùm tempus; rursum indigerent, vt docerentur ipsi quæ essent elementa exordij sermonum Dei, tanquam paruuli, scilicet, & expertes sermonum iustitiæ: paulò post huiusmodi* Hebr: 6.2. *elementa enumerando etiam resurrectionis mortuorum, ac iudicij æterni confessionem, inter eadem reponere. Vbi verò vspiam turpiùs in vlla arte, quàm circa ipsa artis prima elementa erratur? Tantundem scilicet est, ac si à ianua ipsa domus quis aberret. Ita enim isti hîc ab omni ianua salutis.*

Sed maximè, omnium isthæc in eo turpitudo deprehenditur, quòd in ipsis primarijs Euangelismorum suorum partibus, tantum istum errorem tibi inclusum propinent. Nihil habent maius omnes Ministrorum scholæ, & in quo sibi suisq; blandiantur magis, quàm quod vni ipsi sint, qui vnius ac solius fidei iustitiam, quæ in Christi meritis homini imputandis consistat, ex tenebris eruerint; quodq; propriam peccati vim, propriam legis, omnia maledictioni sua

ni sua subijcientis, naturam; propriam serui arbitrij ineptitudinem in rebus diuinis, soli ac primi post tot sæcula mundum docuerint. Hæc, inquam, maximè omnium omnes iactitant Euangelismi istorum. Caluinistæ verò etiam peculiariter in illa, quā diximus, efficaci omnium operum humanorum, etiam malorum, diuina operatione gloriantur. Si dubitas fortè de hisce, ab ipsis Ministris tuis require, ecquid ipsi censeant in tota sua confessione potissimùm, facilè inuenies, vel aliqua eorum, vel omnia, quæ diximus, inter prima & maxima sua firmamenta reponere. Atqui, vt vidimus, ex ijs ipsis, omnis iste, de quo agimus error, omnis extremi illius, ac diuinissimi iudicij deprauatio necessaria consecutione deducitur.

27. Turpissimè ergo hîc errant infælices Magistri isti, nec minùs certè perniciosè, imò adeò, vt vix queant perniciosè magis. Ex rerum de quibus agitur momento summo, & quo maius nullum esse queat, id existimari potest. Citaris ad supremum istud Christi tribunal, vt causam agas tuam, coram omni Angelorum, & dæmonum, & hominum deniq; qui fuerunt vsquiam, qui sunt modò, quiq; erunt vnquam, vniuersitate. Causam, inquam, non facultatum tantùm, aut fortunarum tuarum, non famæ tantùm aut existimationis tuæ; sed causam capitis, & salutis æternæ, qua si cadas, in æternos sis certissimo deijciendus ignes, quibus torreare iam inde absq; omni refrigerij spe, in omnem sempiternitatem; sin superior euadas, in ipsum cœlorum regnum, cum omni

27. 2. Perniciosissimus Ministrorum error.

 gloria

gloria eius, tanquam in proprium quoddam, atq; æternum peculium tuum, intromittare. Prodeunt interim Magistri isti, tanquam singulares quidam causarum agendarum patroni atque aduocati; & consilium promittunt, nec viam solùm euadendi periculum hîc omne ostendunt: sed propriam etiam vincendi rationem offerunt, quam si acceptes, certissimam victoriam pollicentur.

Ministri 1. statum ipsum causæ inuertentes

Et ecce dum ad rem veniendum est, primùm quæstionem ipsam examinis illius totam inuertunt; atq; alienam substituunt; haud secus ac si cum causa capitis alieni indicta foret, impius quispiam causidicus de solis stillicidiis, aut fundorum terminis, aut domorum areis, similibusúe minimis facultatum fortunis in iudicio illo respondendum reo suo persuaderet. Cùm enim, vti vidimus, reuera tota illic controuersia, circa vel bona opera tua agitanda sit, vt propter illa tibi iusto iudicio constituatur æternum præmium; vel mala, vt supplicium: isti ne cogitare quidem te patiuntur, posse eousq; pertingere vllum opus bonum, quod in iudicio illo consistat, propter ea totam fore quæstionem docent, ecqualis tua fides, in Christi meritis apprehendendis fuerit, vel incredulitas. Nam si vel sola illa satis firma fuerit, ac constans, iam de reliquo nullum tibi periculum salutis fore. Quid verò est statum totum quæstionis alicuius inuertere, si hoc non est?

2. Omnia causæ firmamenta deprauantes.

Nec tamen hîc sistunt insignes Magistri isti, verum vbi ita statum primum ipsum iudicij totum corrupêre; pergunt inde etiam ad omnia causæ firmamenta

menta deprauanda. Cùm enim in vnum illud te Matt:6.19
impellere deberent toti, vt eleemosynis, orationibus, ieiuniis, thesaurum tibi in cœlis indeficientem comparares, qui tandem propter huiusmodi pietatis opera decerni tibi, ac tanquam corona quædam iustitiæ à iusto iudice, vt Paulus loquitur, reddi posset: 2.Tim:4.8
isti iis omnibus in ordinem redactis, atq; in solius fidei testimonium, inter homines qualibus qualibus requisitis, varias interim & solas consolationes scripturarum conquirunt, quibus te communiant, ac certissimo saluum fore, sola fidei constantia persuadeant, modò indubitanter credas id ita fore, nec vllam in ea re hæsitationem admittas.

Deniq; eousq; progrediuntur fallaciæ, vt cùm in sola fide doceant posita esse omnia, tandem tamen ne ipsam quidem istam fidẽ ritè tibi definiant. Neque enim omnes ad eam constituendam fidei articulos requirunt, sed vnum illud maximè (& eum quoq; deprauatum) propter vnam Christi passionem, ac merita tibi imputanda, Deum certò tibi propitium fore, ac regni cœlestis hæreditatem per Christum adiudicaturum. Quæ verò poterat vel excogitari pernicies maior, quam isthæc deceptio talis? Nempè eò te recta deducunt infœlici Euangelismo isto suo, vt cùm tandem ad terrificum illud iudicium deueneris: ibi quoq;, vbi te instructissimum ad rationem reddendam, iuxta fallacem istam instructionem putaueris, tandem tamen deprehendare deficere totus, imparatissimus inquam totus, & qui ne agnoueris quidem præparationem veram, ne

 dum

dum vt eam vnquam ritè fueris consectatus. ***Cùm*** *enim iustissimus ille iudex de operibus te sit examinaturus, tu inanissimas interim solius fidei tuæ consolationes ipsi es oppositurus; quibus iam nil aliud lucrêre, quam vt illa tibi respondeat iudex, ne fidei quidem ipsius etiam nomen te ritè didicisse, pergatque adeò illa tibi ingeminare Euangelij:* Quia nunquam noui vos, nec scio vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. *Et quid ibi?* Ibi, *inquit*, erit fletus, & stridor dentiũ. Non enim omnis; qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cælis est.

Luc. 13. 28 *Matt. 7. 21*

Ecce ergo perniciosissimè lapsos Ministros istos, & quomodo tantam tu pestem non auersere? Quæ enim in causa omnis ista ipsorum corruptela est, ac quanta? qua nulla tibi ne possit quidem intentari maior. Si lis tibi aliqua de omnibus fortunis tuis intenta foret, ei ne causidico causam eam committeres, quem compertum haberes non aliter, quàm istos hîc demonstrauimus, solere causas quasuis agere? An non, quem talem semel deprehendisses impostorem, perpetuò detestarêre? Quid verò, si non de fortunis solis, sed tota simul existimatione ageretur, an non multò etiam magis, hominem fraudulentum refugeres. Quid verò si præterea de ipsa etiam vita, ac capite tuo? Nonne longè maximè. Atqui lusus est, quicquid vspiam causarum, in vllum venire iudicium potest in mundo hoc, si cum extremo isto Domini iudicio conferatur; cumq; æternitate illa, vel

regni

regni cœlorum, vel gehennæ ignis, de qua in eo tandem pronunciandum erit. Quanto ergo hîc tantam perniciem per istos tibi Ministros intentatam execrabere magis?

28. *Ad extremum etiam periculosissimè decipiunt hîc fallaces Ministri isti, quia tum quoque, cum tantæ perniciei fecerint suos proximos, haud secus tamen ac blandi Syrenum cantus, suauissimè interim demulcent ac detinent, certa salutis promissione, animos ipsorum: vt tum quoq; nihil minùs, quã de tam præsenti periculo cogitare ijs liceat. Itaq; etiam in hodierno hoc Euangelio, quo vel maximè ad iustum Dei timorem excitare, nomine terrifici istius iudicij, deberent homines; potiùs blandissimè consolantur suos, tanquam ad ipsos, vtpotè fideles, nihil iam terrores illi pertineant, quin propriè illa spectet Christi, propter fidem ipsorum Euangelicam consolatio, Apostolis hîc prædicata:* His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quia appropinquet redemptio vestra. *Non attendentes interim, ista ijs dicta, qui iam pridem propter Christum relinquerant omnia, eiq; vni se totos tradiderant in seruos, quiq; non ita multo ante, quàm isthæc Dominus prædiceret, fidenter Domino ipsi illa proposuerant:* Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? *quiq; etiam propterea responsum ab eodem acceperunt:* Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, &c. Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israël. *Docerent itaq; etiam*

28. Periculosissimus error Ministrorũ.

Luc. 21. 28.

Mat. 19. D

etiam suos Ministri, vel facere similia (vel sapere certè, ac totis desiderijs sibi exoptare, si re ipsa ea assequi nequeant) & paratam ipsis consolationem meritò denunciarent. Nunc verò fidere docent te perpetuò ac securo esse de salute tua animo, tum quoque cum extra omnem salutis tramitem, quam longissimè te posuêre.

Sed agnosce tandem fraudes, si sapis ô bone, ac longissimè refuge deceptores hosce. Declina, inquam,
Rõ:16.18. *iuxta Pauli, monita ab hisce*, qui per dulces sermones, ac benedictiones seducunt corda innocentium. *Reuertere vero, ad vnam sanctam Catholicam Ecclesiam Christi. Ea te & timorem Domini docebit verum, & vnde solidam petas, pro tremenda illa die, consolationem, ostendet, ac denique ad certissimam vnà traducet viam salutis. Hæc tu igitur meditare, in his esto. Et quidem absq; omni*
Rom.13.D *cunctatione aut mora longiore. Hora enim profectò est, vt hodierna diei Epistola monet, iam te de somno surgere, quoniam nox tantorum errorum in te eousque processit, vt dies iam merito dici possit tibi appropinquasse:* Ergo abijciamus tandem opera tenebrarum, *(vnà cum ipsis istis tenebrionibus tenebrarum Magistris)* induamur verò arma lucis, ac sicut in die honestè *in posterum* ambulemus. *Si incessas: illa Pauli merito tibi timenda extima;*
Heb:10.30 *stima; vbi,* Scimus, *inquit*, qui dixit, quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

PARÆ-

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Non potest non grauissima Ministros in Iudicio extremo, & confusio manere, & condemnatio, propter huiusmodi iudicij corruptelas: vnde meritò resipiscant & ipsi in tempore.

29. *AT vos interim, ô omnium hominum, quos sol aspicit, infortunatissimi Ministri, quid ad ista? quæ mens hîc vobis? quis animorum sensus?* Con- *scijné vobis estis, & vos, tantæ istius, quam diximus, corruptelæ? Minimè quidem conscij, dicetis. Nam nostros continuo hortamur, vt per dignos pænitentiæ fructus, omnemq; vitæ sanctimoniam; ad iudicium illud diuinum se comparent. Audimus, nec dubium est nobis vllum, quin talia non raro exaggeretis etiam in prædicationibus vestris. Verùm quid iuuat verbis colorare, quæ re ipsa interim extremè & deformastis & deformatis? Age enim, quid ad illa superiùs numerata Euangelismorum vestrorum capita dicitis? Ergoné opera iam nostra bona esse vlla posse creditis, quæ apparere in iudicio illo diuino possint? Ergoné iam propriam aliquam iustitiam inesse conceditis cuiuis, præter imputationem illam Christi, qua iustus quis in iudicio illo, ac præmio dignus censeatur? Ergoné liberum iam arbitrium, in rebus etiam moralibus, ac diuinis, homini restituistis? Ergoné, non iam Deus operatur in hominibus absolutè omnia, etiam mala, sed propria singuli sua? At ni-* 29.

Ministri pergunt in corruptelis suis.

At nihil quidem istorum omnium vos. Permanetis in ijsdem omnibus, in quibus olim, Euangelismis vestris. Itaq; negare nullo modo potestis, vti nos suprà demonstrauimus, re quidem ipsa vos, licet non verbis, Iudicij extremi articulum extremè, & deprauasse, & pergere etiam num quotidie deprauare.

Confusio Ministrorũ in iudicio ab iis, quos seduxere.

At vero, si hæc ita habent, quomodo non horretis terribilem illam diem, quæq; in ea vos manet, confusio primùm intollerabilis, deinde verò etiam condemnatio omni humana cogitatione maior? Infinitos mortalium ista deprauatione vestra in eam fraudem induxistis, vnde necessario causa cadant in tremendo examine illo. Eos medios inter, tum vos quoq; assistetis iudicandi, idq; vniuerso mundo spectante. Deprehendetis tum demum miserrimi, & deprehendemini, & quanto in errore fueritis ipsi vos, & in quantùm alios miseritis errorem. Et quibus tum putatis oculis mutuo vos intuebimini? qua animorum affectione vos consalutabitis? quibus benedictionibus prosequemini? Vos, inquam, infælices discipulos vestros: Contraq; infælices discipuli vestri, vos? An non ijdem illi, quos modo beatos prædicatis totos, quiq; vos propterea vicissim tantùm non manibus gestant suis, fraude tunc, sero licet, serio tamen intellecta: extremè vos execrabuntur, tanquam exitiosissimos salutis suæ proditores? Ex simili istud, longissimè licet dispare, ac inferiore æstimare discite.

Ponite enim non iam in causa animarum omnium maxima: sed in causa quauis capitali mundi

huius

huius, vos simili fraude causidicos egisse, hoc est; cum miseri aliqui clientes vestri in iudicium accersiti, ac de maximis criminibus respondere iussi fuissent, vnde de tota rerum suarum summa, capiteq; ipso periclitaretur, vos tamen illis persuasisse, quòd à vobis aliud potiùs ibi quæsitum iri, puta de latifundijs, vel stillicidijs, vel similibus nugis, vnde postmodum, qui alioqui, si ritè fuissent instructi in tempore, facilem inuenissent aliquam euadendi viam; tunc causa cadentes, eam solam ob rem, quod vobis sese concredidissent, rectà iubeantur in acerbissimam aliquā mortem abripi. Ponite, inquam, in vestro conspectu illos duci, vobisq; astantibus vel in crucem suffigi, vel in rogum conijci. Obsecro vos tali in casu, quas ab illis vos gratiarum actiones expectaretis? quas non diras, quas non extremas maledictiones, imo amarulentissimas contra vos amaritudines animorum ac blasphemias? Vos, illi, certè proditores capitis sui, vos pestes domus suæ proclamarent, in vos Deos Deasq; omnes, in vos cœlum, terram, abyssos, inuocarent. Vos ad extremum vsq; halitum extremè execrarentur. Nec immerito quidem: Verè enim in eam calamitatem, non tam scelera ipsorum, quibus si per vos non stetisset, aliunde remedium inuenissent; quam vos ipsi illos potissimùm tandem tali in casu detrusissetis. Ecce similitudinem vestri.

Et tamen verè iocus iste talis omnis, præ illa illa die, præ illa illa deceptione iudicij illius, quæq; ex ea cōsequetur, terribili condemnatione, præ illa animarum clientium vestrorū multitudine, quas fraude ve-

de vestra tali prodidistis, & præ illa igitur tandem nimia etiã animorum exacerbatione, qua cõtra vos tum insurgent infelices illi vniuersi. Nimirum scintillantibus in vos, & sanguineas partim lachrymas, partim iracundiæ flammas iacientibus oculis, vos persequentur, dentibus in vos frendebunt, corde toto ita affecti, vt vnguibus ipsis, si possent, vos discerperent, molaribus si possent commanderent, manibus si possent contererent, dumq́; cætera ijs desunt omnia, ore certè iam maledicant perpetim, & detestentur, & dirissimis omnibus deuoueant diris. Et vos interim ô perpetuis assueti, eorundem applausibus ac benedictionibus, qua ista tum fronte feretis? quibus animis excipietis?

30. 1. Damnatio M. ex articulo iudicij corrupto.

30. *Et ecce minimum quoq; id adhuc est, præ ea quæ ab ipso seuerissimo iudice, tum vos manet damnatione. Tanti fecit primùm iudex ipse Christus articulum hunc de iudicio (de quo nobis sermo est) vt in hoc ipso hodierno Euangelio particulariter de eo loquens, dicat: Cælum & terram transitura citiùs, quam quæ ipse de eo prædixerit, aliter quam prædixerat, sint euentura. Vos nihilominus eum, quantùm in vobis est, extremè deformare, imo quo ad propriam eius substantiam, tollere penitus ausi estis: & quo id animo iudicem laturum putatis? qui cælis ipsis ac terræ parciturus non erat præ mysterio hoc, vobis tam extremam ei molientibus deformationem, vllo modo parcet?*

2. Damnatio cuiusuis propria.

Deinde vero onus ibi suum portabit vnusquisq; inquit Paulus, & quidem eo pondere, vt etiam iustos

stos ægre sub eo substituros, affirmet Petrus: Si iustus, *inquiens*, vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? *Et vos quoq; ergo onera singuli vestra, tum, absq; omni exceptione supportare cogemini. Et quanta illa? ex ipsa Euangelismorum vestrorum professione id æstimate, quibus apertè (non adeo malè, si de vobis ipsis loquamini, in vestra ista ministerij professione) profitemini, nil vos perpetuo omni cogitatione, verbo, opere vestro, quam peccare posse.* Gal: 6:5. 1. Pet:4.18

Iam vero præter hæc, etiam immensa illa animarum strages, quam ipsa illa articuli de iudicio deprauatione fecistis, tota simul in vnum caput vestrum tum redundabit: Tota, inquam, illa, vobis quoq; imputabitur, totam illam vos quoq; particulariter luetis, & quidem absq; omni tergiuersatione luetis. Si dubitatis, illa expendite Dei apud Prophetam, vbi, Si, *inquit*, me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram: *Ita Dominus: Si igitur, vel solo eo nomine, quod de casu suo impium non ritè monuerit fidei doctor, sanguis damnationis illius iusto iudicio Dei, in ipsum incumbet doctorem: quantò magis in vos, qui sub titulo monitionis, & in extremam ipsi vestros traducitis perniciem, & in ipsa ista pernicie eorum, totos tamen beatos ac saluos prædicatis, quantò, inquam, magis, omnis ille sanguis cōdemnationis ipsorum, in vestrum incumbet caput?*

5 Damnatio ob animarum stragem factam

Ezec. 3. 18

F Et

gloria eius, tanquam in proprium quoddam, atq; æternum peculium tuum, intromittare. Prodeunt interim Magistri isti, tanquam singulares quidam causarum agendarum patroni atque aduocati; & consilium promittunt, nec viam solùm euadendi periculum hîc omne ostendunt: sed propriam etiam vincendi rationem offerunt, quam si acceptes, certissimam victoriam pollicentur.

Ministri 1. statum ipsum causæ inuertentes

Et ecce dum ad rem veniendum est, primùm quæstionem ipsam examinis illius totam inuertunt; atq; alienam substituunt; haud secus ac si cum causa capitis alieni indicta foret, impius quispiam causidicus de solis stillicidiis, aut fundorum terminis, aut domorum areis, similibusúe minimis facultatum fortunis in iudicio illo respondendum reo suo persuaderet. Cùm enim, vti vidimus, reuera tota illic controuersia, circa vel bona opera tua agitanda sit, vt propter illa tibi iusto iudicio constituatur æternum præmium; vel mala, vt supplicium: isti ne cogitare quidem te patiuntur, posse eousq; pertingere vllum opus bonum, quod in iudicio illo consistat, propter ea totam fore quæstionem docent, ecqualis tua fides, in Christi meritis apprehendendis fuerit, vel incredulitas. Nam si vel sola illa satis firma fuerit, ac constans, iam de reliquo nullum tibi periculum salutis fore. Quid verò est statum totum quæstionis alicuius inuertere, si hoc non est?

2. Omnia causæ firmamenta deprauantes.

Nec tamen hîc sistunt insignes Magistri isti, verum vbi ita statum primum ipsum iudicij totum corrupêre; pergunt inde etiam ad omnia causæ firmamenta

menta deprauanda. Cùm enim in vnum illud te impellere deberent toti, vt eleemosynis, orationibus, ieiuniis, thesaurum tibi in cœlis indeficientem compares, qui tandem propter huiusmodi pietatis opera decerni tibi, ac tanquam corona quædam iustitiæ à iusto iudice, vt Paulus loquitur, reddi posset: isti iis omnibus in ordinem redactis, atq; in solius fidei testimonium, inter homines qualibus qualibus requisitis, varias interim & solas consolationes scripturarum conquirunt, quibus te communiant, ac certissimo saluum fore, sola fidei constantia persuadeant, modò indubitanter credas id ita fore, nec vllam in ea re hæsitationem admittas. Matt.6.19 2.Tim.4.8

Deniq; eousq; progrediuntur fallaciæ, vt cùm in sola fide doceant posita esse omnia, tandem tamen ne ipsam quidem istam fidē ritè tibi definiant. Neque enim omnes ad eam constituendam fidei articulos requirunt, sed vnum illum maximè (& eum quoq; deprauatum) propter vnam Christi passionem, ac merita tibi imputanda, Deum certò tibi propitium fore, ac regni cœlestis hæreditatem per Christum adiudicaturum. Quæ verò poterat vel excogitari pernicies maior, quam isthæc deceptio talis? Nempè eò te recta deducunt infœlici Euangelismo isto suo, vt cùm tandem ad terrificum illud iudicium deueneris: ibi quoq; vbi te instructissimum ad rationem reddendam, iuxta fallacem istam instructionem putaueris, tandem tamen deprehendare deficere totus, imparatissimus inquam totus, & qui ne agnoueris quidem præparationem veram, ne

dum vt eam vnquam ritè fueris consectatus. Cùm enim iustissimus ille iudex de operibus te sit examinaturus, tu inanissimas interim solius fidei tuæ consolationes ipsi es oppositurus; quibus iam nil aliud lucrêre, quàm vt illa tibi respondeat iudex, ne fidei quidem ipsius etiam nomen te ritè didicisse, pergatque adeò illa tibi ingeminare Euangelij: Quia nunquam noui vos, nec scio vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. *Et quid ibi?* Ibi, *inquit*, erit fletus, & stridor dentiū. Non enim omnis; qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cælis est.

Luc. 11.28

Matt. 7.21

Ecce ergo perniciosissimè lapsos Ministros istos, & quomodo tantam tu pestem non auersere? Quæ enim in causa omnis ista ipsorum corruptela est, ac quanta? quâ nulla tibi ne possit quidem intentari maior. Si lis tibi aliqua de omnibus fortunis tuis intenta foret, ei ne causidico causam eam committeres, quem compertum haberes non aliter, quàm istos hîc demonstrauimus, solere causas quasuis agere? An non, quem talem semel deprehendisses impostorem, perpetuò detestarêre? Quid verò, si non de fortunis solis, sed tota simul existimatione ageretur, an non multò etiam magis, hominem fraudulentum refugeres? Quid verò si præterea de ipsa etiam vita, ac capite tuo? Nonne longè maximè. Atqui lusus est, quicquid vspiam causarum, in vllum veniri iudicium potest in mundo hoc, si cum extremo isto Domini iudicio conferatur; cumq; æternitate illa, vel

regni

regni cœlorum, vel gehennæ ignis, de qua in eo tandem pronunciandum erit. Quanto ergo hîc tantam perniciem per istos tibi Ministros intentatam execrabere magis?

28. *Ad extremum etiam periculosissimè decipiunt hîc fallaces Ministri isti, quia tum quoque, cum tantæ perniciei fecerint suos proximos, haud secus tamen ac blandi Syrenum cantus, suauissimè interim demulcent ac detinent, certa salutis promissione, animos ipsorum: vt tum quoq; nihil minùs, quã de tam præsenti periculo cogitare ijs liceat. Itaq; etiam in hodierno hoc Euangelio, quo vel maximè ad iustum Dei timorem excitare, nomine terrifici istius iudicij, deberent homines; potiùs blandissimè consolantur suos, tanquam ad ipsos, vtpotè fideles, nihil iam terrores illi pertineant, quin propriè illa spectet Christi, propter fidem ipsorum Euangelicam consolatio, Apostolis hîc prædicata:* His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quia appropinquet redemptio vestra. *Non attendentes interim, ista ijs dicta, qui iam pridem propter Christum relinquerant omnia, eiq; vni se totos tradiderant in seruos, quiq; non ita multo ante, quàm isthæc Dominus prædiceret, fidenter Domino ipsi illa proposuerant:* Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? *quiq; etiam propterea responsum ab eodem acceperunt:* Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, &c. Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israël. *Docerent itaq; etiam*

28. Periculosissimus error Ministrorũ.

Luc. 21. 28.

Mat. 19. D

etiam suos Ministri, vel facere similia (vel sapere certè, ac totis desiderijs sibi exoptare, si reipsa ea assequi nequeant) & paratam ipsis consolationem meritò denunciarent. Nunc verò fidere docent te perpetuò ac securo esse de salute tua animo, tum quoque cum extra omnem salutis tramitem, quam longissimè te posuêre.

Sed agnosce tandem fraudes, si sapis ô bone, ac longissimè refuge deceptores hosce. Declina, inquam, iuxta Pauli, monita ab hisce, qui per dulces sermones, ac benedictiones seducunt corda innocentium. *Reuertere vero, ad vnam sanctam Catholicam Ecclesiam Christi. Ea te & timorem Domini docebit verum, & vnde solidam petas, pro tremenda illa die, consolationem, ostendet, ac denique ad certissimam vnà traducet viam salutis. Hæc tu igitur meditare, in his esto. Et quidem absq; omni cunctatione aut mora longiore. Hora enim profectò est, vt hodiernæ diei Epistola monet, iam te de somno surgere, quoniam nox tantorum errorum in te eousque processit, vt dies iam merito dici possit tibi appropinquasse:* Ergo abijciamus tandem opera tenebrarum, *(vnà cum ipsis istis tenebrionibus tenebrarum Magistris)* induamur verò arma lucis, ac sicut in die honestè *inposterum* ambulemus. *Si cessas: illa Pauli merito tibi timenda existima; vbi,* Scimus, *inquit*, qui dixit, quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Rō.16.18.

Rom.13.D

Heb.10.30

PARÆ-

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Non poteſt non grauiſſima Miniſtros in Iudicio extremo, & confuſio manere, & condemnatio, propter huiuſmodi iudicij corruptelas: vndè meritò reſipiſcant & ipſi in tempore.

29. AT vos interim, ô omnium hominum, quos ſol aſpicit, infortunatiſſimi Miniſtri, quid ad iſta? quæ mens hîc vobis? quis animorum ſenſus? Conſcijné vobis eſtis, & vos, tantæ iſtius, quam diximus, corruptelæ? Minimè quidem conſcij, dicetis. Nam noſtros continuo hortamur, vt per dignos pœnitentiæ fructus, omnemq; vitæ ſanctimoniam; ad iudicium illud diuinum ſe comparent. Audimus, nec dubium eſt nobis vllum, quin talia non raro exaggeretis etiam in prædicationibus veſtris. Verùm quid iuuat verbis colorare, quæ re ipſa interim extremè & deformaſtis & deformatis? Age enim, quid ad illa ſuperiùs numerata Euangeliſmorum veſtrorum capita dicitis? Ergoné opera iam noſtra bona eſſe vlla poſſe creditis, quæ apparere in iudicio illo diuino poſſint? Ergoné iam propriam aliquam iuſtitiam ineſſe conceditis cuiuis, præter imputationem illam Christi, qua iuſtus quis in iudicio illo, ac præmio dignus cenſeatur? Ergoné liberum iam arbitrium, in rebus etiam moralibus, ac diuinis, homini reſtituiſtis? Ergoné, non iam Deus operatur in hominibus abſolutè omnia, etiam mala, ſed propria ſinguli ſua? At ni-

Miniſtri pergunt in corruptelis ſuis.

At nihil quidem istorum omnium vos. Permanetis in iisdem omnibus, in quibus olim, Euangelismis vestris. Itaq; negare nullo modo potestis, vti nos suprà demonstrauimus, re quidem ipsa vos, licet non verbis, Iudicij extremi articulum extremè, & deprauasse, & pergere etiam num quotidie deprauare.

Confusio Ministrorũ in iudicio ab iis, quos seduxere.

At vero, si hæc ita habent, quomodo non horretis terribilem illam diem, quæq; in ea vos manet, confusio primùm intollerabilis, deinde verò etiam condemnatio omni humana cogitatione maior? Infinitos mortalium ista deprauatione vestra in eam fraudem induxistis, vnde necessario causa cadant in tremendo examine illo. Eos medios inter, tum vos quoq; assistetis iudicandi, idq; vniuerso mundo spectante. Deprehendetis tum demum miserrimi, & deprehendemini, & quanto in errore fueritis ipsi vos, & in quantùm alios miseritis errorem. Et quibus tum putatis oculis mutuo vos intuebimini? qua animorum affectione vos consalutabitis? quibus benedictionibus prosequemini? Vos, inquam, infælices discipulos vestros: Contraq; infælices discipuli vestri, vos? An non iidem illi, quos modo beatos prædicatis totos, quiq; vos propterea vicißim tantùm non manibus gestant suis, fraude tunc, sero licet, serio tamen intellecta: extremè vos execrabuntur, tanquam exitiosissimos salutis suæ proditores? Ex simili istud longißimè licet dispare, ac inferiore æstimare discite.

Ponite enim non iam in causa animarum omnium maxima: sed in causa quauis capitali mundi

huius

huius, vos simili fraude causidicos egisse, hoc est; cum miseri aliqui clientes vestri in iudicium accersiti, ac de maximis criminibus respondere iussi fuissent, vnde de tota rerum suarum summa, capiteq; ipso periclitaretur, vos tamen illis persuasisse, quòd duis aliud potiùs ibi quæsitum iri, puta de latifundijs, vel stillicidijs, vel similibus nugis, vnde postmodum, qui alioqui, si ritè fuissent instructi in tempore, facilem inuenissent aliquam euadendi viam; tunc causa cadentes, eam solam ob rem, quod vobis sese concredidissent, rectà iubeantur in acerbissimam aliquã mortem abripi. Ponite, inquam, in vestro conspectu illos duci; vobisq; astantibus vel in crucem suffigi, vel in rogum conijci. Obsecro vos tali in casu, quas ab illis vos gratiarum actiones expectaretis? quas non diras, quas non extremas maledictiones, imo amarulentissimas contra vos amaritudines animorum ac blasphemias? Vos, illi, certè proditores capitis sui, vos pestes domus suæ proclamarent, in vos Deos Deasq; omnes, in vos cœlum, terram, abyssos, inuocarent. Vos ad extremum vsq; halitum extremè execrarentur. Nec immerito quidem. Verè enim in eam calamitatem, non tam scelera ipsorum, quibus si per vos non stetisset, aliunde remedium inuenissent; quam vos ipsi illos potissimùm tandem tali in casu detrusissetis. Ecce similitudinem vestri.

Et tamen verè iocus iste talis omnis, præ illa illa die, præ illa illa deceptione iudicij illius, quæq; ex ea cõsequetur, terribili condemnatione, præ illa animarum clientium vestrorũ multitudine, quas fraude ve-

ſtos ægre ſub eo ſubſtituros, affirmet Petrus: Si iu-ſtus, *inquiens*, vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? *Et vos quoq; ergo onera ſinguli veſtra, tum, abſq; omni exceptione ſupportare cogemini. Et quanta illa? ex ipſa Euangeliſmorum veſtrorum profeßione id æſtimate, quibus apertè (non adeo malè, ſi de vobis ipſis loquamini, in veſtra iſta miniſterij profeßione) profitemini, nil vos perpetuo omni cogitatione, verbo, opere veſtro, quam peccare poſſe.* Gal: 6: 5. 1. Pet. 4. 18

Iam vero præter hæc, etiam immenſa illa animarum ſtrages, quam ipſa illa articuli de iudicio deprauatione feciſtis, tota ſimul in vnum caput veſtrum tum redundabit: Tota, inquam, illa, vobis quoq; imputabitur, totam illam vos quoq; particulariter luetis, & quidem abſq; omni tergiuerſatione luetis. Si dubitatis, illa expendite Dei apud Prophetam, vbi, Si, *inquit,* me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram: *Ita Dominus: Si igitur, vel ſolo eo nomine, quod de caſu ſuo impium non ritè monuerit fidei doctor, ſanguis damnationis illius iuſto iudicio Dei, in ipſum incumbet doctorem: quantò magis in vos, qui ſub titulo monitionis, & in extremam ipſi veſtros traducitis perniciem, & in ipſa iſta pernicie eorum, totos tamen beatos ac ſaluos prædicatis, quantò, inquam, magis, omnis ille ſanguis cõdemnationis ipſorum, in veſtrum incumbet caput?*

5 Damnatio ob animarum ſtragem factam

Ezec. 3. 18

Et quantùm igitur erit baratrum perditionis vestræ? Qui Heclæ montes? quod Aethnæ incendium? quæ Vulcaniæ Insulæ, cum eo poterunt comparari? O verè horribilem cæcitatem mentis vestræ, si hæc talia ac tanta, ne sic quidem videtis, aut intelligitis. O horribilem duritiem cordis vestri, si talia videntes, non tamen exhorrescitis, non contremiscitis toti, non saniora initis consilia; vt tantæ occurratis vestræ perditioni. Sed heu resipiscite tandem. Et si quidem tantùm à vobis impetrare non potestis, vt ex integro ad vnam sanctam Ecclesiam Catholicam conuersi, plene consulatis animarum vestrarum saluti: saltem desistite tantùm vobis adaggerare damnationis pondus, in tanta seductione aliorum; illud identidem memorantes, si cuiuis in terribili illo iudicio horrendum accidet, incidisse in manus Dei viuentis; vobis in tam infe-
Heb. 10. 31. *lici munere occupatis, omniũ id horrendissimũ fore.*

AD CATHOLICVM Lectorem.

Meritò perseueret in disciplina Ecclesiæ Catholicæ Catholicus: sed & obsequatur Ecclesiæ necesse est, piè monenti, horam iam esse à somno surgere.

31. ET *hæc quidem Euangelicis nostris. Sed & te quoq; ad extremum, quisquis es, ô constans hactenus Catholicæ fidei sectator Catholice, nostræ*

quæ-

quærit oratio, te quoque debitum hinc salutis fructum colligere exoptat. Attende igitur primùm, quam securam tibi viam salutis commonstret, sancta nostra mater Ecclesia, dum non tibi secundùm carnem placentia, loquitur, vt infælices isti suis perpetuò, sed vtilia; non pax pax tibi ingeminat, vbi nulla est pax, sed opera, pœnitentiam, crucem, deniq; expectare quidem iubet beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, ac Saluatoris nostri Iesu Christi: sed eo modo quo res est, hoc est, si inter illos inueniare, qui abnegantes impietatẽ, ac sæcularia desideria, sobriè, piè, ac iustè viuunt in hoc sæculo Tit. 2. c

Hæc, inquam, attende, ac primùm quidem gratias age Deo, quas par est, qui te in tam salubri suæ sponsæ disciplina conseruauerit hactenus. Deinde verò tantò in posterum diligentiùs tu quoq; refuge impostores istos (si fortè sub specioso Euangelij *titulo sese tibi quandoq; insinuent) quantò agnoscis eos, vel fœdiùs, vel nocentiùs, vel periculosiùs suos decipere. Sed illud ad extremùm maximè omnium satage, vt quod tam pia à te mater Ecclesia, hoc sacro Aduentus tempore, postulat; re ipsa præstes.*

Hora, inquit, ea tibi est, iam nos de somno surgere, opera tenebrarum fugere, arma lucis induere, sicut in die, honestè, coram Deo & hominibus, ambulare. Fuit quidem talis tibi iam pridem hora, imò perpetuò est. Omnis enim hora talis, vt Christus monet: Vigilate, *(omni scilicet & die, & hora)* quia nescitis diem, neq; horam. *Sed quoniam id tu hactenus fortè minùs præstitisti, sinistris tuis*

Hora est de somno surgere.

Mat. 25. 13

Simile. *affectionibus peccatorum, ac somniis nimium indulgens; propterea illud sibi nunc particulariter sumit pia mater negotij; quod sedula materfamilias quæuis, quæ postquam sæpè iam excitare variè conata est somnolentes domesticos suos: tandem die ipso appropinquante, & negotiis domesticis vrgentibus; accedit ipsa, ac magis seriò inculcat, horã iam esse, vt tandem, quod dudum facere oportuerat, præstent exurgantúe. Ita, inquam, hoc tempore tecum agit Ecclesia, dum ad maximum fidei nostræ mysterium, Dominicæ scilicet Incarnationis, debito, cum apparatu ac gratiarum actione obeundum sese accingit.*

Quin tu ergo exurgis ô bone? quin tam piæ matri, tam salubria monenti obsequeris? Quid enim tibi cum somno, cum operibus tenebrarum, cum omnimodo genere peccatorum longiùs, in tanta solis iustitiæ (Christi, inquam, Domini) propinquitate, in tanta Christianæ veræ fidei luce?

32\. Opera tenebrarum abijcienda.

32\. *Peccent sanè gentiles, in densissimis etiamnum gentilitatis suæ tenebris sepulti, peccent Iudæi, feces Israëlis, vmbras etiamnum & figuras solas in media Euangelij luce sectantes, peccent mortalium omnium infælicissimi hæretici, in tantis hæreseon suarum erroribus demersi, infælices quidem isti omnes in peccatis suis, attamen omnes tales, de quibus minùs mirum. Dicent enim aliquãdo* Cap: 5. 6. *cũ veritate illud libri Sapientiæ:* Quia errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligẽtię nõ est ortus nobis. *At vero te-*

rò te, qui fide tua vera Catholica in solem propè vera lucis meridianũ traductus es, similia illis facere, ac nunc quoq; sectari opera tenebrarum, quæ cæcitas ista? quæ dementia ista? Quid tibi igitur cum operibus tenebrarum, quæ certißima fide nosti, tandem tandem, nisi ea tempestiuè abieceris, dum Ecclesia monet, in extremo illo iudicio, te in tenebras exteriores depressura, vbi sempiternum tibi fletum, ac dentium stridorem concilient?

Quid enim tu ad ista? Ignorasné hæc? & quomodo Christianus talia ignorans? Quid ergo? Nostiné hæc? Et quis te ergo infantium omnium, stultorum omnium, phreneticorum omnium, hominum omnium quos terra gestat, dementior, dum in ijs nihilominus pergis, idq; sciens iam ac volens, quæ in tam extremam & certam perniciem suopte pondere naturali te continuo trahant?

Idem vero de armis lucis induendis dico. Quid tu enim cunctaris ea, quàm primùm induere? Virtutum, inquam, christianarum decus ac operimentum, quæ vel sola nosti, vel maximè certè, & hîc te contra principes ac rectores mundi tenebrarum harum (qui continuò insidiantur saluti tuæ) posse protegere, & cùm hinc exieris te vnà comitatura esse, vt æternam tibi lucem, ac quietem illic conferant? Opera enim eorũ, *inquit ille*, sequuntur illos. Ergo requiescant iam à laboribus suis. Quid tu ergo moraris? an quicquam in omni rerum natura maius, & in quo tibi sit positum momentum maius, quam isthæc? quam vt illa, inquam, fugias, ista consecteris?

Arma lucis induenda.

Ephes. 6. B.

Apo. 4. 18.

Somnus. *Sed nimirum dormis tu hactenus, & ita licet omnia ista habeas certissima: nihilo tamen te ea afficiunt magis, quam quæ vel quasi per somnium aliquando vidisse nos meminimus, vel picta pro serijs intuemur. Verum expergiscere tandem, ad tam piam piæ matris excitationem, excute somnum & oculos aperi, atq; intende, ad tanta rerum quæ tibi proponit hoc sacro tempore momenta meditanda, & videbis quàm non sit ampliùs tardandum. Quòd si nihil te mouent tanta alia horum temporum mysteria, vel illa terribilis iudicij tuba, quam ex Euangelio hodierno intelligere potes, excitet. Illa, inquã, sufficiens alioqui in sese, vt mortuos omnes ex imis etiàm inferni faucibus euocet, atq; ad corpora sua, suo tempore resumenda compellat: illa, inquam, te moueat, illa iustissimo metu perterritum te vel extrudat è lectulo fœdissimorum affectuum ac peccatorum tuorum, vt tantis terroribus futuris tempestiue remedium & quæras, & inuenias.*

Quòd si sic quoq; stertere pergis in peccatis, audi quo tandem infelicem nimium istam somnolentiam Prou. 6. 9. *æterna compellat Sapientia modo:* Vsquequo, *inquit*, piger dormies, quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormies, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. *Egestas, inquam, tibi veniet, tam illa fortis, vt te penitus opprimat, quasi vir quispiam armatus, haud secus atq; oppressit quondam miserrimum illum, qui à tot annis iam*

clami-

clamitat, emendicans guttulam aquæ vnam, in extremis necessitatibus, atq; ardoribus suis, & impetrare non potest. Nec longa eò tibi superest mora. Nam cùm minimè putaueris præ foribus eam habebis, quasi viatorem quendam, vijs suis insistentem gnauiter, atq; ita antequam animaduertas, domus tuæ foribus incumbentem. Eheu quàm horrendum est, ita incidere in manus Dei viuentis.

ANNOTATIO LOCORVM VAriorum controuersorum,

Qui occasione eorum, quæ diximus de Iudicio, fusiùs hîc tractari possunt.

De iudicio extremo quantùm ad præsens, hoc est, ad ipsam Iudicij essentiam, & res in eo in quæstionem vocandas, attinet, occurrunt loci plures, vt ex superioribus patet.

Primus locus.

Causæ Iudicij vniuersalis quatuor, omnes fundatæ in eo, quod secundùm opera ibi quisq; propria sit iudicandus, omnes re ipsa & oblique à Ministris negatæ.

Pertinet hic locus ad Euangelium præsentis die, quia eo ipso simul Iudicij extremi essentia sublata est, quo causæ tales. 33.

33. AC primùm maximi res ponderis est, vt articulus iste ritè explicetur, inculceturque, eo quo supra ipsum tractauimus modo; hoc est, vt ne quisquam sibi aliud hic persuaderi patiatur, quàm secundùm propria ipsum opera sua, & examinatum ibi, & iudicatum iri, siue ad salutem, siue ad condemnationem. Tam quidem id clarum est, ex tot manifestis scripturarum testimoniis supra allatis, vt nemo directè id negare contrariumue eius asserere audeat. Itaq; fatentur id etiam Ministri ipsi, sed nominetenus duntaxat, cùm vti vidimus, re ipsa id prorsus pernegarint. Non absurdum igitur fuerit rem eandem etiam rationibus variis dilucidam magis facere.

Causa iudicij vniuersalis.

Inquirit Cathechismus Romanus causas, cur cum in hora mortis cuiusuis peculiare de homine celebretur Christi iudicium, & iuxta merita sua cuique quod iustum est decernatur: aliud praeterea vniuersale omnium iudicium futurum credamus, in quo denuò, maximo apparatu, sententia de vniuerso simul mundo à Christ: pronuncietur: & quatuor causas adfert eius rei solidas, & extra quas vix sit inueniri vllam tanti apparatus, sed tales illas omnes, quae euincant secundùm opera quemque sua ibi iudicari, nisi inane fortè iudicium illud, ac propè superuacaneum totum dicere velimus.

1. Quia operum exempla etiam post mortem operantur.

Prima est, quia etiam mortuis nobis, remanent apud viuos, vel exempla virtutum vitiorumúe, vel monita quae dedere in sua vita singuli, seu liberis, seu domesticis quibusuis, aut proximis suis, quae

inde

inde non rarò propagantur in posteros, in omnem etiam perpetuitatem. Vnde quidem dubium non est, nouas identidem succrescere, vel gaudiorum causas pijs, etiam post mortem (accidentalium quidem certè præmiorum) vel improbis pœnarum. Necessè ergo erat vnam tandem diem dici omnibus, post omnium temporum mundi huius finitum cursum, quo finalis sententia, eáq; plena de singulis iurè pronunciaretur. At verò pone, non secundùm opera ibi iudicari quemque sua, sed vel secundùm meram gratiam pios, vel secundùm meram atque absolutam reprobationem impios, nulla certè ea ex parte iteratione iudicij opus foret.

Secundo. Quia non raro innocentissimi quique, & quorum optima reuera fuère opera; pessimè tamen in hoc mundo audiunt, ad mortem vsque, iniqua aliqua calumnia diffamati, contraq; flagitiosissimi, optimè, callido aliquo hypocriscos velamine in malis suis contecti. Aequissimum ergo erat, vno aliquando in loco conuocari in iudicium, mundum vniuersum, quo iusta quisque ac debita sibi etiam ea in parte reciperet. At pone, non operum propriè haberi rationem in iudicio illo: sed gratiæ similis ac beneplaciti Dei, nulla erit causa ea, vt tanto motu denuo ad iudicium mundus reuocetur. Non enim ibi ita quis nocens, quisúe innocens inquiretur, (maximè cùm omnes etiam sanctissimi quiq; in omni opere, verbo, consilio suo nocentes, secundùm ministros Deo) sed solius gratiæ ratio habebitur.

2. Quia innocentes infamantur sæpè etiam post mortē.

Tertio. Quia non anima sola est, quæ, vel benè agit,

2. Quia corpus etiam referre sua merita debet.

nè agit, vel malè, sed anima simul cum corpore. Et corpus ergo etiam, suum vnà cum anima ea de re iudiciũ aliquando subeat necesse est. Id ante generalem corporum resurrectionem fieri nequit. Et hoc 2. Cor. 5. 10 *est quod Paulus dicit:* Manifestari nos omnes oportere ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum. *At pone operum ibi inquisitionem iudiciumúe non fieri, & simul concluseris, nihil opus esse eam ad rem tanto apparatu iudicij vniuersalis.*

4. Vt æquitas Iudiciorum Dei mundo constet. Luc: 16. *Ad extremùm, Non raro fortunatissimi in hoc mundo videntur mali, quod in diuite illo epulone Euangelij factum legimus: contraq; afflictissimi boni, quod ibidem in Lazaro. Et tamen iustus Deus in omnibus operibus, & iudicijs suis. Necesse igitur erat, vti etiam mundo toti tandem constarent, iusta iudicia eius, conuocari ad vnum aliquando tribunal omnès, in quo & bona opera omnia, etiam impiorum, & mala itidem etiam iustorum patefierent: vnde concluderet sibi quisque, æquissimè factũ à Deo, quod factum fuerat, quando & mali sua receperint bona in mundo, vnde postmodum merito pro meris suis malis cruciarentur; & boni sua receperint mala, vnde postmodum merito pro meris iam bonis suis remunerarentur. At vero pone operum ibi rationem non habendam, sed omnia iudicia Dei ex mero ipsius beneplacito administrari, & nullo opus erit iudicio vniuersali. Neq; enim ita tũ quoq; alia æquitatis iudiciorum Dei causa vlla daretur.*

retur, quàm beneplacitum Dei, iuxta illud Poëtæ:
Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
Sit ergo illud nobis indubitatum omnibus, venturum ad extremum iudicium aliquando Christum, vt iudicet omnes simul homines, qui vspiam sunt, fuerunt, erunt, viuos, inquam, & mortuos, & quidem ita iudicet, vt quod ipsemet fore profitetur, reddat vnicuique iuxta opera sua. Mat:16.17

Diceret fortè quispiam, si ita omninò futurum est, quis ergo primùm ibi saluus fiet? quis enim est omnium hominum, qui non sæpiùs iram mereatur, & damnationem? Deinde quid igitur orat Dauid: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Respondeo, & iustificabitur coram Deo, & inde saluabitur omnis, qui postquam peccauit, dignos pœnitentiæ fructus tulerit. Pœnitentiam* enim agite, *ait scriptura*, appropinquauit regnum cælorum, *Si enim nos ipsos iudicamus damnamusue, iusta nostri per pœnitentiam castigatione, à Domino non iudicamur, vt damnemur. Porro dignæ pœnitentiæ non parua pars est, humilis deprecatio, qua propterea & præuenit Deum etiam Dauid, & obtinuit, vti ne postmodum seueriùs, pro peccatis suis ab eo iudicaretur.* Psal.42.2 Matt:3.A 1. Cor:11. C 31.

Secundus locus.

Vtrum opera iustorum omnia, etiam bona, sint peccata quatenus huc pertineat, &c.

Nempè

Nempè, si ita nullum foret iudicium de operibus bonis iustorum in retributionem.

Pertinet ad Euangelium præsens locus is: quia eo ipso simul potissima, & essentialis Iudicij pars sublata esset.

34. *Articulus ille de operibus bonis, de quo nos superiùs, non in tota sua latitudine huc pertinet. Nihil enim hîc ad rem foret disputare à toto genere, benè ne an malè doceant Ministri, omnia opera, etiam bona sanctorum, peccata esse coràm Deo. Illud huius loci proprium est ostendere, reuera inde consequi, quod diximus, potissimam extremi iudicij partem ea assertione esse sublatam; scilicet quo ad opera bona iudicanda. Porro probatio eius consequentiæ, ex duarum propositionum sequentium confirmatione potissimùm pendet, quarum prima est: Non alia ex causa bonorum operum examen ibi instituendum doceri in scripturis, quàm vt præmium iustum ijs decernatur. Probauimus eam nos n. 12. Secunda: Quæ reuera mala sunt, & peccata, ac talia in confesso habentur: per nullam imputationem externam in æquo iudicio vllo, digna præmia censeri posse. De ea nos n. 14.*

Illud porro accuratè hîc obseruandum est, reuera nihil ad rem esse, licet ad speciem aliquid esse videatur, quod dicant fortè Ministri, opera nostra bona, licet verè peccata in se sint, tamen mercede aliqua dignari à Deo, propter merita seu opera bona Christi, ex quibus suppleatur id, quod nostris deerat,

Operum bonorum nostrorum defectus suppleri ex meritis Christi potest.

rat ad præmium. Et verè & benè id dicerent, si more catholico in bonis operibus nostris, illud secundùm ipsos solùm deesset, (prout reuera deest) quod ex se ipsis ascendere eo dignitatis coram Deo nulla opera queant, vt digna mercede censeantur cœlesti, nisi ex virtute meritorum Christi suppleatur dignitas, deficiens ex nobis. Verè enim nulla humana ieiunia; nullæ eleemosynæ, nulla alia virtus præmium haberet à Deo in cœlis: nisi Christi, in his nobis merita succurrerent, per iustificationis gratiam nobis & imputata, & simul communicata. Id quod ex ieiuniis, eleemosynis, precibus Iudæorum, Turcarum, Paganorum, aliorumúe quorumuis, qui remoti sunt ab omni Christi communicatione clarissimum est. Nihil enim eorum omnium, eo pertingere potest, vt cœlestē apud Deū mercedem promereatur.

At vero longè maiorem defectum in operibus bonis suorum ponunt Ministri, nempè ipsam etiam rationem propriam, ac demeritum peccati. Id quod è diametro contrarium est præmio cœlesti, vtpote quod sit & maledictione Dei, & æterno supplicio dignum, ex ipsa natura sua in iudicio iusto Dei; æque nimirum ac furtum inter homines dignum est furca in iusto iudicio humano, homicidium dignum gladio, sacrilegium dignum crurifragio, veneficium incendio, aliaq; flagitia similia; aliis sibi à iure definitis pœnis. Ideoq; nullo modo fieri potest, vt iusto iudicio talibus, cum maneant talia, præmium cœleste decernatur.

Ter-

Tertius locus.

Si opera bona, vel necessaria, ad salutem non sunt, vt causæ, vel non nisi ad vitam præsentem pertinent; nullum de ijs iudicium erit.

Pertinet is ad Euangelium præsens, eadem, qua proximè superior, ratione.

35. O*Bseruandum verò hîc etiam illud, ex pluribus præterea aliis Euangelismorum nouorum capitibus idem deduci posse, quod dicimus, nempè bonorum operum secundùm ipsos, nullum reuera iudicium fore. Primum ex eo, quod vnanimiter omnes Ministri negent, & Caluinistæ, inquam, & Lutherani, opera bona necessaria esse ad salutem, necessitate causæ: sed si fortè necessaria dicantur, id tantùm de necessitate quadam præsentiæ esse credendũ. Hoc est, opera quidem bona, necessario isti requiri in saluandis volunt, sed eo solũ nomine, vt testimonio sint hominibus, non mortuam esse fidem in ipsis, sed viuam; non quasi propter ipsa, vlla salutis pars pijs sit adiudicãda, sicut in igne, calefactio ignis naturalis requiritur necessario, non eo modo quo ligna vt ex ijs ignis fiat, sed in signum præsentiæ naturalis quia enim si calidus non erit ignis, ne ignis quidem erit. Fatentur ergo eo ipso, nullã se sententiam in illo iudicio agnoscere salutis secundũ opera cuiusq; bona: ne examen quidem igitur, aut iudicium operum.*

Opera bona non necessaria ad salutẽ Ministris.

Quia

Quia non alio fine iudicium illud operum bonorum, quam ad decernendum salutis præmium bonis, agnoscit scriptura sacra. Secundo Ex eo, quod passim studiosè suos instruunt Ministri, opera bona solum requiri, vt coram hominibus testentur fidem nostram, non corā Deo, nec propterea têrminos vitæ huius excedere vllo suo valore posse. Multus est passim ea in re Lutherus in domestica sua postilla, vbi plebem instruit, vt ne quid ampliùs ab operibus bonis expectet, sed vide ea de re vnum testimonium singulare infra, Dominica 4. Aduentus n. 17. Accipiunt ergo secundum istos eo ipso iam opera bona finem suū, quo & vita isthæc; nec ad iudicium illud spectant, vt ipsa demū illic mercedē suā sortiantur.

Opera bona Ministris nō nisi ad vitā istam pertinent

Quartus locus.

Vtrum iustitia Christiana non sit nisi imputata, quatenus huc pertineat.

Eodem scilicet nomine quo duo superiores.

36. A*Rticuli illius de iustitia imputatiua, eadē est hic ratio, quæ secundi fuit. Non is huc pertinet, vt doceatur ex toto genere inanis esse: sed vt ex eo ostendatur consequi, nullum fieri iudicium bonorum operum personalium nostrorum posse. Itaq; satis est hoc loco illud primum docere, non aliam iustitiam in rebus diuinis agnoscere Ministros istos, quam propter imputata Christi nobis merita, (id quod notissimum est mundo, & nos quantum satis esse potest supra ostendimus)*

stendimus,) deinde demonstrare quomodo inde consequatur, reuera nullum operum iudicium amplius superesse. Cuius quidem rei demonstratio etiam in duabus propositionibus potissimum sita est. Primũ in hac: iudicium operum bonorum quod scripturæ describunt illud est, quo vnicuiq; propria merces secundum suum laborem propriũ ac personalem assignanda est. Vidimus id superius n. 13. Secundo, in hac iustitia illa Christi imputata, non est vllus labor proprius personalis noster sed Christi; non est ea quã gessimus nos in corpore nostro, sed quã in suo Christus &c.

Porrò omnis illa vel imputatio vel donatio, quam nobis factam eius iustitiæ, quæ ita est propria Christi, sibi imaginantur Ministri, solamq; nobis concedunt; vt vt efficere posset, vt verè etiam nostra censeretur talis iustitia, quo ad fructum eius & præmium: nunquam tamen potest efficere, vt eo modo fiat nostra, quo opera nostra bona sacræ literæ docent diiudicanda. Et ita consequenter omnis merces, quæ pro sola tali iustitia decerni nobis posset, non nisi pro operibus Christi nobis decerneretur, non pro proprijs nostris. Id quod ex contraria peccatorũ nostrorum, imputatione, Christo in passione sua facta, facillimũ est intelligere. Nam & tum verissimum est, vt loquitur Petrus, Christum pertulisse peccata nostra in corpore suo. Nec tamen propterea vnquam verum factum, ipsum habuisse peccata sua propria; quæ in anima hærent non corpore Id quod propterea ibidem etiã studiosè monet Petrus. Qui peccatum, *inquit, non*

1. Petr. 2. D 24.

non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sola, scilicet, aliena peccata, nostra, inquam, sibi imputata quo ad pœnam ipse tulit, & ideò in corpore, non in anima sua.

Quintus locus.

Si merces in cælis omnium futura est æqualis; nemo dici potest secundùm opera sua bona in iudicio mercedem accepturus.

Pertinet is quoque huc, eodem nomine quo superiores.

37. E*X ijs, quæ de imputata nobis Christi iustitia, docent Ministri, quæ omnium est eadem (neq; enim alia Christi merita fide sua, secundùm istos sibi applicare potest vnus, alia alter, sed vnum eundemq; Christum cum omni iustitia sua omnes) inde consequitur; ne præmium quidem in cælis, quod iustitiæ nostræ aßignandum credimus, alterum atq; alterum diuersis posse decerni, sed æquale idemq; omnibus, ita vt nihilo plus alter præ alio accipere poßit. Id quod magno consensu docent communiter Ministri omnes, eodem perperā deflectentes illam vineæ parabolam de vno eodemq; denario diurno omnibus persoluto, de quo nos suo loco fusiùs. Nec possunt certè aliter, posito priore illo, de tanta operum omniū bonorum, etiam in electis contaminatione, absurdo, de quo nos antea. n. 15. At verò hinc quoq; magna ex parte iudicij extremi status proprius, quo ad bonorum*

norum operum examen, labefactatur. Vnde æquè ac superiores, etiam iste huc articulus pertinet; non quidem vt ex toto genere examinetur, verum ne id sit, quod ita asseritur, an secus: sed quòd eo posito meritò concludamus, nemini secundùm opera sua, vti scripturæ docent, assignandam mercedem suam in iudicio Christi. Si enim reuera ibi opera bona retribuenda omnia: necessariò igitur plura opera, plus mercedis, pauciora minùs; maiora opera ampliùs præmium, minora tenuius, sunt habitura. Eam verò differentiam isti admittere nō possunt. Itaq; siue quis vnicum aquæ frigidæ poculum, inuentus ibi fuerit, in Christi nomine semel dedisse; siue centies alter, siue, aureorum millia alius, siue totam substantiam suam pauperibus distribuisse quartus, siue vitam denique ipsam cum cruciatu, vel acerbissimo alius amore Christi potuisse: nihil tamen differentiùs isti à primo illo accipient, nempè, quia non hæc singula, sed iustitia Christi sola, in omnibus suam accipiet ita remunerationem. Atq; ea ratione sic quoq; isti, quantùm in ipsis est, articulum de iudicio extremo, quo ad operum examen, extremè deformarunt.

Porrò illud hoc loco obseruandum venit, ex quinque iam capitibus diuersis à nobis partim fusiùs tractatis, partim breuiter insinuatis hactenus Euangelismorum istorum, ritè deduci posse quod cōtendimus. Ministros istos bonorum operum iudicium in electis penitus eneruasse. Primùm ex eo quod docent: Nulla opera bona omninò esse vspiam posse. De ea re nos fusè n. 16: & nonnulla n. 34 2. Ex eo, quòd docent

cent opera bona necessaria non esse ad salutẽ, necessitate causæ, sed tantũ necessitate præsentiæ. De ea re nos paucis breuitatis gratia, n. 35. 3. Ex eo, quòd opera bona iustorum, non nisi ad præsentem hanc vitam pertinere expressè asserunt, non alteram illam æternam. De eo quoq; nos, non nisi paucissimis n. 35 4. Ex eo, quòd nullam agnoscant iustitiam coram Deo, nisi imputatam illam. De eo nos fusiùs n. 18. & 36. 5. Deniq; ex ipsa præmij cœlestis æqualitate quam vrgent, de qua nos hoc ipso loco.

Sextus locus.

Sitné liberum arbitrium in homine an secus, quatenus huc pertineat.

Nempe si liberum arbitrium nullum est; sublata est altera pars essentialis Iudicij extremi, de operibus malis damnandorum: quia nullius ita culpæ rei possunt agi, etiam in malis mali.

38. *QVod ad iudicium operum malorum pertinet, ex duobus locis id labefactatum docuimus. Primus erat ex libero arbitrio negato, Secundus ex absoluta Dei in hominibus, malorum omnium operatione. Quod ad primum: Idem iudicium, quod de secundo & quarto loco in superioribus diximus, etiã de isto est. Nihil est ad rèm disputare hîc, sitné, an non sit arbitrium. Illud satis est docere, si nullum id sit, non posse esse, nisi iniquissimum de humanis operibus iudicium, quale expectamus extremum Dei.*

Quòd si iniquissimum: Ergo nullum, prout paulò antè deduximus. Et quidem iniquissimum fore, duplici ex capite demonstratum est. Primùm, quia nulli operi humano pœna constitui potest, quod euitari nullo modo potuerit; solis ijs, quæ liberè fiunt, pœna debetur.

Deinde, quia nemo aliqua seueriore pœna iurè punit, in puero, amentibus, bestijs suis delictum, ad quod ijs ipse habenas sciens volẽsq; remiserit. Plurimũ enim hîc refert illud obseruare diligentiùs, quod suprà annotauimus n. 22. quod ea in re, de qua nos agimus, non solùm homines ipsi, si libero arbitrio careant similes sint, vel pueris censendi, vel amentibus, vel feris etiam, in ijs quæ flagitiosè designant: sed & Deus ipse, quem iudicem hîc futurum credimus, is sit qui solus & possit laxare peccantibus habenas, dum peccent, & laxet.

Septimus locus.

Vtrum omnia opera in homine etiam mala; absoluta sua potentia operetur Deus, quatenus huc spectet.

Eodem scilicet ex capite quo sextus.

29. *Aequè parum ad extremùm huc spectat, quod ad articulum attinet, de absoluta Dei voluntate, atq; operatione omnium in hominibus operum, etiam malorum; disputare an benè id, an secus affirmetur. Ac ne illud quidem, an confiteantur Ministri,*

stri,

stri, Deum quoq; se inuoluere in peccatorũ reatum; ita, vt verè causam peccatorum, in quantum peccata sunt, authoremue etiam confessione sua faciant Deum. Satis est hîc constare primùm, quòd libenter concedunt, Ministri Caluinistæ, vt vidimus, absolutè Deum, omnia etiam mala opera hominum, sua omnipotentia efficere, ita vt homines mali efficaciter adigantur à Deo in malum, vndecunq; tandem malitia ipsa operum, ortum habere dicatur. Hinc enim iam docendum est consequi, Deum homines nullo iure propterea punire posse, ac consequenter nec iudicare, vt puniat. Certè secundùm impios Euangelismos istos, nullus vnquam Phalaris fuit atrocior, nullus Mezentius crudelior. Nulli Nerones, Domitiani, Maximiani, Diocletiani, truculentiores, nulla immanitas immanior, vel excogitari possunt illa, quam ita Ministri attribuunt piissimo Saluatori mundi Christo, in iudicio damnatorum: dum illo, inquam, etiam doctrina sua, tam diro fundamento posito, omninò tamen ipsum contendunt iudicaturum ea iudicij forma, qualis in scripturis nobis proponitur. Id quod ex ijs, quæ diximus, cuiuis iam sedulò ista consideranti facilè patere potest. Maximè si comparentur supplicia illa, & immensa pondere, & æterna tempore, quibus reprobos tandem in inferno credimus à iusto iudice Christo addicendos, cum omni humana vitæ huius atrocitate, quæ vel acerbißima omnium, sub cogitationem nostram cadere poßit. Simul autem hîc & illud obseruandum, id quod hîc nos contendimus, non nisi media-

te consequi ex isto Euangelismo Ministrorum. Inferimus enim nullum esse posse secundùm ipsos iudicium operum malorum, si verum sit, quod tàm impiè isti, de prima causa operum omnium humanorum Deo, asseuerant. At ex assertione immediatè hoc solùm sequitur, iniquissimum futurum iudicium Dei, si talia tam grauiter condemnet, cùm à seipso ineuitabili hominis necessitate fuerint profecta. Verùm hisce positis inde nos iam consequenter ac mediatè concludemus: Ergo nullũ fore iudicium Dei? quia nullum iudicium illud fore admittit fides Catholica, nisi æquissimum. Patet id ex omni S. scriptura, vbi insignis iustitia Dei nobis cõmendatur, sed & in iudicijs suis peculiariter. Nam de iudicio Christi extremo: Statuit, *inquit scriptura*, diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, &c. *Ergo.*

Act. 17.31.

Octauus & Nonus, &c. loci,

Lutherus etiam post tantas Iudicij corruptelas, non vult terreri in iudicio, sed ibi quoq; Doctor Martinus haberi, &c.

P*Lures alij loci ex superioribus deducti, partim in paranesi ad Euangelicum dictum Lectorem, partim ad Ministros ipsos videantur satis fusè declarati, puta quàm fœdus sit error iste Euangelismorum istorum, in ipsis fidei nostræ Elementis primis (n. 26.) quàm perniciosus item, (n. 27,) quàm periculosus (n. 28.) quanta inde ipsos infelices eius authores, propagatoresúe Ministros, partim confu-*

sio

ſto maneat, in illo ipſo tremendo, de quo agimus, iudicio, partim pœna n. 29. 30. Hîc illud ſolùm libet ad extremum addere, cum tantis his corruptelis, tantaq́ propterea commerita inde damnatione: Lutherum tamẽ, qui architectus fuit omnis huius doli, cõfidentiſſimè aſſerere, ſe in illo iudicio prorſus nolle vllã admittere perturbationẽ. Solis Papiſtis cum nobilibus nequam, omnem terrorem illum relinquere, ſe vero cum ſuis comminiſtris, nominatim Chriſto proximos iungi velle, ac debere. In Dominica 2. Aduentus, vbi hodiernum tractat Euangelium de iudicio hac de re agens, paulo antè medium cùm dixiſſet, tum planctura omnes tribus terræ, mox ſubiungit ſequentia: Da wollen wir ob Gott wil nicht bey ſein / ſondern den Bapſt die Rottergeiſter / den böſen Adel / böſe Bürger / vnd Bürgerin / da laſſen / die jetz allen mutwillen treiben / das Euangelium verfolgen / *(Lutheri Euangeliſmos)* vnd allen jammer vnd vnglück anrichten: Dieſelben werden da bezalen muſſen. Wir aber die vns jetz vor jm ſchmigen muſſen / weinen vnd bekümmert ſein / werden dazumal lachen / vnd ſehen das die mitt dem Teuffel in Abgrundt der Hellen muſſen hienunder fahren. Mat. 24. 30.

Ita ille, lætiſſimè quidem ita ſuo in ſenſu illum acturus diẽ, nec ſolùm lætiſſimè, ſed & glorioſiſſimè. Ita enim etiam in familiaribus colloquiis ſuis aliquando ea de re locutus reperitur: Am Jüngſten Tag wird Chriſtus alſo ſagen: Doctor Martine / Doctor Jona / H. Michel Caeli / kompt

 herfür /

herfür / vnnd wird vns alle bey vnsern Namen nennen. *Nimirum lepidè faciens, vt à se auertat, omne fulmen illud sibi debitum, & in solum Papam, aduersariosq́; suos contorqueat. Illud verò etiã scitissimè, quòd se ibi quoq; Doctoris titulo dignatur. At vbi honorarij illius tituli oblitus iustissimus Iudex, illud contra intonare cœperit:* Discedite à me maledicti, in ignẽ æternũ, &c. *ita* 1. Pet. 4. 18 *vt tum, prout Petrus loquitur, Iustus vix saluetur, impius iste cum suis, & peccator in ipsum etiam Iudicis diem tantus, vbi parebunt? Nonné loco eius, quem sibi pollicentur penes Christum honoris proximi, tunc incipient dicere montibus, ac petris,* Apoc. 6. 16 *Cadite super nos, & abscondite nos, ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ eius, & quis poterit stare? Atque hæc hactenus de hisce.*

ANNOTATIO LOCORVM ALIorum variorum ad controuersias nostri seculi spectantium, qui circa Euangelium hoc tractari possunt.

41. D*Iximus ipso discursus superioris initio, in Euangelio diei tria potissimùm de iudicio illo insinuari: partim quidem ipsam Iudicij substantiam; partim signa horribilia, quæ id proximè sint antecessura; partim deniq;, quem in animis piorum effectum debeat causare, attenta horum meditatio. De primo illo, vt fusè discurrimus, ita varios controuersos locos, qui aptè circa illud tractentur, iam adnotauimus. At præter eos multiplex etiam alia materia*

teria occurrit, quæ circa reliquas Euangelij partes eundem ad finem tractetur. Quam propterea etiam hîc breuiter subijcere placuit, atq; indicare, vt Catholicus concionator eo faciliùs sibi suisq; auditoribus idonea inde seligat; quo copiosiorem rerum syluam, sibi propositam animaduertet.

Primus locus, isq; multiplex.

De variis signis Iudicij extremi appropinquantis.

Erunt signa in Sole, Luna, & stellis.

Signa iudicij proxima

P*Roprie hoc Euangelio de ijs signis agitur, quæ Iudiciũ extremũ, iam iamq; præ foribus esse demonstrabunt, de quibus non Lucas solùm cap: hoc 21. sed & Matthæus 24. fusè, & Marcus 13. tractant. Respondet enim hîc ad quæstionem à discipulis sibi propositam Dominus:* Quod signum aduentus tui, & consumationis seculi? *Matth: 24.*

Dicit igitur fore signa ea illustrißima. Nam & cœlo toto apparitura sunt, sole, luna, stellis, & ipsis etiam cœlorũ virtutibus omnibus commotis, (haud secus atq; in ruinosa aliqua & maxima mole, dum iam iamq; ruinam minatur, omni ex parte tum fragores ac strepitus inaudiuntur, tum fissuræ variæ dilatantur, atq; apparent.) Et mira maris ac fluctuum eius confusio & motus, ex aëris perturbatione consequetur: & in terris deniq; maximi inde terrores, totum genus mortalium occupabunt, arescentibus hominibus præ expectatione tantæ, quam omnis creatura minabitur, mutationis.

Signa Iudicij paulò remotiora. *Præmittit verò Dominus apud Matth: & Marcum locis citatis, etiam alia signa eiusdem, licet paulò longiùs præcessura. Nempè 1. bella maxima, pestem, famem, terræmotus:* Consurget, *inquit,* gens contra gentem, & regnum in regnum. Et erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus, per loca. Hæc autem initia sunt dolorum. *Adhæc maximam corruptelam morum, & omnis charitatis extinctionem apud multos:* Et quoniam, *inquit,* abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Denique etiam aduentum Antichristi, & Pseudoprophetarum cum ipso plurimorum, vnaq; tribulationem, quam ijdem inuehent, piorum maximam, qualis nec ante fuerit, neq; postmodum sit futura. Hæc demum consecutura è vestigio, quæ hoc Euang: exprimuntur:* Statim enim, *(inquit idem Matth:)* post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitùr, & luna non dabit lumen suum, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & Maiestate.

Mar: 24. A B.

Matt: 24. C 29.

Lutheri & sociorum eius insania. *Hîc verò operæpretium est, expendere miras insanias Lutheri, cum eius comministris, circa signa hæc explicanda, & commonstranda. Mirè enim delirarunt circa ista omnia initio Lutherani. Principium ijs insaniæ fuit Antichristus detectus. Eum enim cùm se inuenisse in Romano Pontifice, pro certissimo & ipsi haberent, & toto mundo persuadere conarentur: non poterant non inde & illud plenis*

buccis

buccis increpitare; iam iamq; præ foribus adesse extremum Iudicij diem. Paßim enim ista in scripturis coniunguntur, tanquam alterum ex altero è vestigio sit consecuturum, vt patet Dan: 7. & 12. 2. Thess: 2. Apoc: 20. &c. Sed maximè ex Christi verbis modo allatis, quibus expreßè asserit: Statim post tribulationem dierum illorum (Antichristi scilicet manifestati) ista in sole, luna, stellis apparitura, & inde ipsum etiam mox filium hominis in nubibus, ad iudicandum affuturum. Si igitur signum Antichristi reuelati iam præterierat; consequens inde erat, signa quoq; illa iam iamq; vel præ foribus esse, vel præteriisse etiam. Isti verò magna ex parte omnia iam præteriisse, æquè atq; Antichristum se apprehendisse, ausi fuêre confirmare. At quam ridicule ista?

Quales morbi Luthero sint signa consummationis seculi.

Erunt pestilentiæ per loca. *Matth: 24.*

42. P*rimùm, quod ad paulò remotiora signa attinet, Lutherus in Chronico suo Germanico, iterum impreßò Vitembergæ per Ioannem Lufft, An: 1559. Syphilida, siue morbum eum, quem Gallicum nominant, vnum ex magnis signis Iudicij mox adfuturi esse asserit. Sic enim loquitur circa annum Domini 1500. Maximiliano primo Cæsare regnante:* Nouum morbi genus, ab alijs Franzosæ dictum, ab alijs verò Hispanica lues, exoritur ex nouiter detectis in Occidente Insulis in Europam,

Luthero morbus Gallicus, est signum mundi intereuntis.

pam, vt fertur, illatum. Vnum, id est, ex magnis signis nouissimi mundi diei. *Ita ille. Nimirum ineptissimè. Nam quæ Christus expressè de pestilentia, integras regiones depascente, affirmat; stultissimus iste mortalium de Franzosis, priuata scilicet singulorum luxuriæ præmio fructuq; interpretatur. Quid verò connexionis habet cum totius mundi interitu, vt eum designet, paucissimorū hominum priuata hæc inualitudo? An satis ad id confirmandum, quòd Lutheri seculo primùm sit in Europam inducta? At, vt ipsemet asserit, ex Indijs Occidentalibus videtur illata esse. Ibi ergo non nouus morbus, sed à multis fortè iam seculis vsitatus. Quomodo ergo nunc nouum mundi interituri signū? Certè enim & Insulæ illæ, mundi pars semper fuere. Quòd si omnis morbus nouus deformior, signum est Iudicij instantis: & Medici, & ipsa experientia, testantur, singulis ferè seculis morbos varios nouos fuisse exortos, crescentibus scilicet inter homines, nouis semper vel gulæ, vel luxuriæ, vel variorum aliorum excessuum illecebris. Quomodo ergo, quæ naturales causas habet, noua, & quidem non nisi priuatorum hominum, corruptio, totius orbis suapte natura incorruptibilis, interitum potest designare?*

Stultissimè.

Qualis morum corruptela Luthero sit signū consummationis seculi.

Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Matth: 24.*

43. Q*Væ ad morum corruptelam variam spectant.*

ctant, & refrigescentiam illam charitatis, de qua Christus apud Matth: de ijs in ipso Lutheranismi initio, cantilenam quandam composuere Lutherani, quam & in templis olim eorum, & in compitis; identidem meminimus solitam cantillari. Incipit eâ Germanis: Gott hatt das Euangelium/Gegeben das wir werden from/etc. *Singuliq; in ea versus, post certum aliquod peccatorum genus recensitum, eodem semper modo terminatur:* Das ist ein zeichen vor dem Jüngsten tag. *id est, Hoc signum est instantis nouissimi diei. In ea verò singulas peccatorum species communes, & quæ nunquam non plurimos mortalium detinuere, in signis ponunt Iudicij, iam iamq; imminentis. Obuium id cuiuis esse potest, cui reuidere cantionem illam libeat. Nam etiam hodie ea in omnibus communiter psalmodiæ Lutheranæ libellus inuenitur.*

Luthero singula peccatorum genera sunt signa Iudicij vicini.

Sed illud ibi præ cæteris obseruatione dignum, quòd ea quoq; quæ ipsi potißimùm suis Euangelismis inuexere vitia; quæq; nullibi propterea magis, quam inter ipsos vigent, in signum Iudicij illabentis adducunt: puta, quod bona Ecclesiasticorum paßim diripiantur, atq; in prophanos vsus conuertantur; quodq; frequens vigeat commessandi, atq; ebrietatũ in hominibus consuetudo. Sic enim ibi cantillant:

Etiam peccata quæ ipse maximè inuexit.

Die Schätz der Kirchen nimpt man hin/
Das wird in bringen klein gewin:
Die Armen lest mann leiden nott/
Vnd nimpt jn aus dem Mund das Brott/
Das ist ein zeichen vor dem Jüngsten tag.

Die

Die Schätz der Kirchen sind ihr gifft /
Sie sind von jhnen nicht gestifft:
Noch nemen sie das Kirchen Gutt /
Sich was der leidig Geitz nicht thut /
Das ist ein zeichen vor dem Jüngsten tag.
Item. Sie haben nichts gelernet mehr /
Denn nur fressen vnd sauffen sehr / etc.
Das ist ein zeichen / etc.
Jhr grosse Kunst ist Panketiren /
Vnd in der Büberey studiren / etc.
Das ist ein zeichen / etc.

At verò vbi hæc æquè frequentata, atq; apud ipsos? Quorum Euangelismus, quod ad primùm illud attinet, ex ipsa natura sua illud habet, non opus esse templis, sacrisúe vllis fundis, aut dotationibus, ad aliud quicquam, quàm quod ad verbi ministros, scholarumq; Magistros alendos pertineat, & numerum aliquem pauperum scholasticorum sustentandum. Vltra id, quicquid supersit, id totum ad inanes Papistarum superstitiones pertinere. Eo verò posito quid aliud facerent principes tale Euangelium profitentes, quàm quod fecere, nempè vt quisq; ditißimas quasq; vicinas sibi Ecclesias, vel Episcòpatuum, vel Monasteriorum, inuaderet, ac præter ea, quæ ad qualem qualem ministrorum suorum sustentationẽ spectarent, in vsus suos, seu Reipublicæ, vt vocant, conuerteret? Ita in primariis Euangelismus ipsorũ est, ingeminare identidem ac penitus vulgò persuadere contra Catholicorum ieiunia, nil quod intret in os coinquinare hominem, itemq;, omnem abstinenti-

n[illegible]tiam certorum ciborum, etiam ieiunandi causa vel assumptam, vel indictam, ad doctrinam dæmoniorum pertinere. Quid verò inde aliud consequeretur, quàm quod consecutum est, summa, inquam, licentia comessandi, atq; omnis ebrietatis? At verò alia multò ratio est passim regionum Catholicarum: vbi & contraria his docentur, & antiqua viget etiamnum disciplina Catholicæ religionis. Ibi enim nunc quoq;, & Ecclesiæ habent omnia sua integra, adeóq; aucta potiùs, quàm imminuta; & longè minor est tam tantorum excessuum, in commessationibus abusus. Quomodo ergo ista, signum generalis totius mundi finis?

Longè verò alia est illa, de qua Christus agit, iniquitatis redundantia. Nimirum verò Antichristo apparente, generalis quædam simul apostasia inuehetur, etiam à fide, 2. Thess: 2. A & Luc: 18. 8. indeq; consequetur summa omnis pietatis corruptela, toto mundo regnans. Et ea igitur iustum signum instantis finis, prout temporibus Noë, quia omnis caro corruperat viam suam, id ipsum indicium fuit, breui interituri per diluuium mundi. Gen: 6. c. Qualia peccata signa sint Iudicij, &c.

Qualia signa in sole, luna, stellis, Luthero sint signa consumationis seculi.

Erunt signa in sole, luna, stellis, &c. *Luc. 21.*

45. N*On minùs stultè ac ridiculè Lutherus cum suis, illa illustrißima in sole, luna, ac stellis signa, de quibus hoc Euangelio Dominus; & obscurißima ex ipso* 44. Luthero Eclypses &c. Cometę cõmunes, &c. sunt signa Iudicij.

ipso suo genere facit, & magna iam ex parte præterijsse nugatur. Nimirum omnes propè naturales Eclypses syderum, omnes extra communem ordinem, vel Cometarum apparitiones, vel cœlestium inflammationum phænomena, eo referunt. Itaq; Lutherus in Chronico suo, eodem illo loco citato, sic habet: Sub hoc, *inquit*, Maximiliano Cæsare, in cœlo mira signa & frequentia comparuere; similiter & in terris, & in aquis, de quibus Christus dicit, signa magna erunt. Ita vt de nullo vnquam tempore legatur, plura ac maiora simul signa visa fuisse. Quod certam nobis spem facit, beatum illum diem (nouissimũ) proximè præ foribus esse.

Idem Lutherus in Postilla domestica, Dominica secunda Aduentus, postquam ineptißimè explicasset, suo tamen sensu, pressuram illam, de qua in hoc Euangelio Dominus (qua de re nos paulò post) concludit tandem & de ea, & de signis hisce cœlestibus, in hæc verba: Quamobrem, *inquit*, existimo ego tale signum (*pressuræ gentium*) iam magna pro parte præterijsse, prout & illud censeo, potissimam partem reliquorum signorum in cœlis, etiam iam completam. *Id verò si ita est, nulla certè alia potest signa in cœlis intelligere, quàm, quæ diximus esse, ordinaria illa.*

Stultissimè.

At verò quàm stultum etiam istud? satis id ipsa Euangelij hîc verba indicant. Talia enim ea fore Christus asserit, vt inde toto orbe homines, tantum sint terrorem concepturi, vt exaruisse videantur

Qualia signa in cælis sint futura Iudicij.

præ

præ nimio pauore, & expectatione rerum, quas portendi tanta turbatione cœli terræq; animaduertent. Sicut enim toti mundo, omnibusq; mortalibus, Dominus iam iamq; tum venturus erit ad Iudicium: ita ipsemet asserit, signa ista vniuerso orbi immensum pauorem incussura, vt sentire scilicet incipiant homines omnes, in quem tam diu peccarint. Itaq; & de iisdem signis Ioannes in Apocalypsi loquens, & de eodem effectu terroris in hominibus, ita scribit: Et ecce sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terram, *(vides signa Euangelii huius in sole, & luna, & stellis, & quidem de cœlo cadentibus, quod Matthæus Marcusq; de iis, hoc etiam loco exprimunt)* sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur, & cœlum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons, & Insulæ, de locis suis motæ sunt. *Et hæc quidem de signis.* *Apoc. 6. D* *Matth. 24. C 29.* *Mar. 13. 24*

Sequitur de gentium pressura, atq; hominum inde arescentiũ metu: Et reges, *inquit*, terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos, à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. *Hæc ille. Quibus si addas, quæ Sapiens asserit de armatura, qua induet pro illo tempore omnem creaturam Deus, aduersus insensatos, vt terrorem iudicii iam iamq; instantis, iis incutiat desu-* *Sap. 5. D*

per; de emiſſione, inquam, fulgurum, & fulgetrorũ, de petris grandinum, de ſpiritu virtutis, & procellarum, ſimilibusq; aliis portentis: facilè videbis, qualia ſint ſigna vltima futura.

Et certè, ratio ipſa docet, ſi ſigna interituri iam iamq; mundi huius corruptibilis vniuerſi, debent eſſe illa: talia eſſe debere, quæ proportionem habeant cum interitu mundi vniuerſi, vt in notitiam rei ſignatæ tum homines deducant. Nihil ergo in ijs naturale ac conſuetum ſeculis ſuperioribus numerari poteſt, ſed extraordinaria, noua, inuſitata, & quidem etiam vniuerſalia omnia ſint neceſſè eſt; prout expreſſè in hoc Euangelio ſimul ponuntur, omnium & ſyderum perturbationes, & hominum. Sicut enim, vt morbus quiſpiam hominis totius interitum deſignet, talis ſit oportet, qui & inſolitus ſit eidem, & omnes ſimul facultates naturales debilitet: (dolor enim vel dentis vnius ſolius, vel oculi, vel digiti etiam extremi, qui cor non attingit, vt inde vires totius corporis labefactentur, mortem iam iamq; inſtantem, minimè ſignificare poteſt,) ita etiam ſigna iam iamq; collapſuri totius mundi, talia eſſè debent, quæ toti mundo ſint conſpicua, & toti ſimul ruinam minitentur.

Quanta igitur ſtultitia iſta Miniſtrorum, in talibus, quæ diximus, non tam ſignis, quàm ſigillis, conquieſcere? quanta impietas, vt Antichriſtum ſuum falſum detectum colorent; decolorare omnia, & ea quoq; quæ vniuerſo mundo Deus volet eſſè illuſtriſſima, in meras tenebras denſiſſimamq; caliginem concludere.

cludere? Quanta deniq; paupertas, eo solo nomine, vt communis vulgi sui, eo faciliùs sibi animos subÿcerent, atq; in ementiti illius Antichristi sui opinione, Iudiciÿq; inde, vt iam iamq; irruentis, expectatione detinerent: à talibus figmentis, terrores sibi & signa iudicij emendicare?

Qualis pressura gentium Luthero sit signum consumationis seculi.

Et in terris pressura gentium, *Luc: 21.*

45. SEd *maxima omnium hîc illa videtur deprauatio Lutheri, quã, falsissima interpretatione, pressuræ gentium, de qua hoc Euangelio Dominus, inuexit. Etenim si ritè libeat Christi verba attendere; facilè aduertere est, pressuram eam, illum ipsum fore terrorem impiorum, quem paulò antè ex Apocalypsi Ioannis vidimus, quemq; & hoc ipso loco Dominus sua verba interpretans, explicat dum subiungit:* Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione futurorum, &c. *& alibi etiam cũ Apocalypsi Ioannis consentiens, insinuauit cùm diceret:* Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos, &c. 45. Pressura gentium. Luc:21.20

At longè aliter Lutherus. Primùm enim, etiam ipsum hîc textũ scripturæ in Germanicis suis Biblÿs corrupit, distinguens in ÿs, ac disterminans, tanquã disparata, quæ eodem planè pertinere Dominus voluit. Nam cùm & latinus noster textus, & græcus ita connectant pressuram illam gentium, cum arescentia hominum, præ timore instantium malorum, Lutherus.

vti diximus, ipse penitus ea disiungit, legitq́; in suis germanicis, sensu quo sequitur. Erunt signa in sole, & luna, &c. & in terris anxietas tenebit homines, & pauebunt, & mare & fluctus eius mugient, & homines arescent præ timore & expectatione, &c. *Germ: sic:* Vnd auff Erden wird den Leuten bange sein/ vnd werden zagen/ vnd das Meer vnd die wasserwellen werden brausen/ vnd die Menschen werden verschmachten/ etc.

Deinde verò in explicatione Euangelij huius, in Postilla sua domestica, manifesto ista distinguit, docetq́; alium esse metum illum, de quo vltimo loco docuimus, aliam pressuram illam priorem, istamq́; contra omnem & Christi mentem, & rationem ipsam Christianam inuertit. Nempè eam & præteriisse iam dicit, magna ex parte, & vigere etiam nunc in mundo; nec aliam esse, quàm terrores anxietatesq́; illas conscientiæ, quas in Catholica doctrina pij omnes experiuntur, dum negligentiùs in pietatis exercitijs egêre, dumq́; inde iudicij metu satagunt varijs bonis operibus, vt Petrus admonet, certam vocationem & electionem suam facere. Quos quidem impius ille; & inanes metus, laboresq́; putat esse, & maximi quasi mali locò ponendos. Sed ipsum audiamus: Hoc signum, *inquit (pressuræ)* in hominibus ego penitus persuasum habeo, nos iam temporibus nostris expertos. Ad id enim Papa suis concionibus validè iuuit, cùm pij hominum animi grauiter inde terrerentur, quòd

Salubrem Iudicij metum Lutherus ponit in signis iudicij.

2.Pet.1.10.

Luth: in Postil: domest.

quòd magni ac mortalis peccati loco habere docerentur, non ritè vel confiteri, vel orare, vel Missam audire, & his similia. Tali enim in terrore nemo finē inuenit. Nam id, in quo solo verum fuisset reperire solatium, gratuita scilicet remissio peccatorum per Christum, iam disparuerat. Hinc ergo iam pressura, cùm afflictæ conscientiæ nunc vno nunc alio genere operum se macerarent, ita vt ego credam, ex maximis mundi pressuris, vnam ipsam fuisse. Prout ipsemet ego, *inquit*, multos vidi, qui cum tantas cordis angustias, terroresque perferre non possent, in extremam desperationem corruêre, præ nimio metu ac terrore, quod in iudicio Dei consistere se posse diffiderent. *Et post pauca:* Christum perdideramus, & tamen agnoscere debuimus, nos nequam esse. Inde ergo fieri non poterat aliter, quam vt metueremus nobis, & coram iudice paueremus. Ideóque existimo istud signum maiore ex parte iam præterijsse.

46. *Hæc impius ille, vna ita eademq; opera, triplicis simul corruptelæ veritatis se reũ constituens.* 46.
Primò quidem, dum in genere saluberrimum diuini 1.
iudicij metum, quo perpetuò ad meliora, & pij excitantur, & improbi in Ecclesia; tanquam inutilem quandam carnificinam, & pressuram reprobat. Quo quidem nomine locus hîc, etiam ad sequentem proximè pertinet, quem paulò post annotabimus. Triplex Lutheri corruptela.
Secundò verò, dum propterea etiam textum ipsum Bibliorum, vti vidimus, corrumpit. Græca enim 2.

 ad ver-

ad verbum ita habent: καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν, ἐν ἀπορίᾳ, ἠχούσης θαλάσσης, καὶ σάλου, ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου, καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ, *hoc est, si ad verbum sint transferenda:* Et in terris pressura gentium, in animi defe- ctione, sonante *(vel fremente)* mari & fluctibus, exanimatis hominibus præ timore & expectatione, &c. *Quorum quidem omnium, ne verbum quidem vnum transferri potest, ad iustissimum iudicij timorem, qui etiam pios Catholicos meritò vrget, præsertim cùm ne nomen quidem,* ἐθνῶν *siue gentium, ordinariè in scripturis, dum absq; adiuncto vllo gentes nominantur, alios quàm impios*
3. *& infideles notare soleat. Tertiò, dum deprauato ita iam textui, interpretionem etiam magis deprauatã, ac temerariè detortam, adnectit, vti vidimus.*

Et hæc igitur de signis iudicij extremi, & miris Ministrorum corruptelis, quas circa ea mundo persuasere. Eodem verò ex genere, simul etiam multiplex occurrit locus, contra eos disputandi. Primò quidem ostendendo, eos hæc omnia & singula, & grauiter & nequiter deprauasse. Secundò verò intendendo ad fontes digitum, & docendo, id totum in hoc genere, ex mero odio Summi Pastoris nostri, Pontificis maximi, illos fecisse, quo eum, scilicet, ita faciliùs vulgo persuaderent Antichristum esse, vt, post quem iam manifestatum, simul & ipse mundi interitus instaret, & omnes prophetiæ Christi de eo

finem

finem suum acciperent. Tertiò demonstrando inde, cum omnia ista, & singula, manifestissimam veritatis contineant, & voluntariam deprauationem: quid in genere de talibus Euangelistis censendum sit, in omni illa Euangelicæ lucis promissione, quam profitentur. Nam, qui in vno isto articulo iudicij, maximi sanè momenti, nil veriti sunt, luci veræ tantas tenebras errorum suffundere, quid de aliis articulis fecisse existimandi sunt, quaue synceritate Dei verbum tractasse?

Secundus locus.

De iusto Diuini Iudicij metu.

His verò fieri incipientibus, leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. *Luc: 11.*

47. P*ost tantos terrores imminentis iudicij explicatos, addit tandem Dominus illa, ad discipulorum suorum consolationem:* His verò fieri incipientibus, leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. *Quia enim omnia illa talia sunt, ex ipso genere suo, quæ non possint non cuiuis hominum, maximos metus incutere: ideò subiungit ista, vt qua ratione ritè meditanda piis hæc sint, & eorum inde animi erigendi, in communi alioqui totius orbis trepidatione doceat, nempè breuis ac lætissimæ catastrophes consideratione, qua omnia ista, in plenam corporis animæq; redemptionem iis, per generalem mundi innouationem regenerationemq; sint paulò post commutanda. Ea verò* 47.

An Iudicij dies etiam pijs metuenda.

occasione ille hîc locus examinandus est, an fideles etiam, iustus iudicij extremi metus tangere possit, an verò ij extra omnem metum esse, solamq́; tum consolationem redemptionis suæ debeant spectare.

Sola fides.

Ea porrò quæstio tota, pendet ex altera illa, de fidei, vel solius, vel non solius iustificatione. Nam, si sola fides iustificat, idq́; eo ipso ac solo, quo merita Passionis Christi, sibi fide sua quisq; tanquam propria apprehendit, & applicat: quicunq; eam habet, nihil profectò habet, quod ampliùs metuat in iudicio illo. Neq; enim possibile est, vt Iudex ille (qui idem ipse Christus est) talem non saluet, quantumuis de reliquo nulla in eo sit sanitas, nulla pars vel animæ, vel corporis, in finitis peccatis non contaminata. Atq; hoc est, quod communiter Ministri omnes negent, fideles pios à Iudice illo sibi debere metuere. Hinc, quod Lutherus ipse, vti paulò antè vidimus, pressuram illam gentium ad anxium iudicij metum, applicat, Catholicosq́; carpit, qui eum induxêre.

Etiam pijs timendum iudicium & quatenus.

At longè aliud habet veritas verè Euangelica; in qua cùm certissimum illud sit, quod in superioribus docuimus (n. 12. & 13.) neminem in illo iudicio iudicandum secundùm merita Christi fide apprehensa, sed secundùm propria corporis sui quemq;, prout gessit, siue malum, siue bonum: consequens est, vt nemo sibi blandiatur de certa illic sua redemptione, nisi conscientiam suam simul testem habeat; & iustæ pœnitentiæ, pro præteritis peccatis actæ, & vitæ totius iam, ad normam diuinorum præceptorum, emendatæ.

2.Cor. 5.B

Ergo

Ergo & Christus ipse ad salubrem huiusmodi iudicij metum, etiam Apostolos suos hortatur: Dico autem vobis, *inquit*, amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & posthæc non habent ampliùs, quid faciant; ostendam autem vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete. *Id quod apud alium Euangelistam sic habet:* Timete eum, qui potest & animā & corpus perdere in gehennam. *Ita Dominus, expreßè de iudicij terrore loquens. Ibi enim demum & animam, & corpus, reproborum, pœnis æternis addicet Deus. Ob illud ergo potißimùm ab omnibus etiam pijs adeóq; Apostolis ipsis, est metuendus. Eodem nomine Hebræos, etiam fideles, Paulus commonefaciens terret:* Scimus, *inquit*, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. *Et iterum:* Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. *Et ibidem paulò antè:* Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. *Ecce, inquit, nobis etiam peccantibus, qui iam fideles, imò Apostoli sumus, terribilis impendet expectatio iudicij, nobis etiam horrendum est incidere ibi in manus Dei viuentis, Nobis igitur etiam timendum, ne tantis tandem malis* per-

Christus monet iudicium timendum etiam Apostolis.
Luc:12.4.
Matthæo. C 28.
Monent idē Apostoli Paulus.
Heb:10.29

Ioannes. Apo.14.6. *Percellamur. Ita vidit Ioannes in Apocalypsi sua, volantem per medium cœli Angelum, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicentem magna voce:* Timete Dominum, & date illi honoré: Quia venit hora iudicij eius. *Ecce timorem iudicij ad ipsum etiam Euangelium æternum pertinere, & ideò omnes, etiam fideles, concernere.*

Id quod ipse etiam D. Paulus, expressè tum exemplo suo, tum verbo, docet. Exemplo quidem, Act:24.25 *dum, Fælici aliquando Iudææ Præsidi, ac Drusillæ eius coniugi, Euangelium prædicans, tantum ei terrorem iniicit diuini huius iudicij metu; vt tremefactus ille, subitò sermonem abrumpi iubeat: Verbo* Rom:2.16 *verò dum ad Romanos scribens:* In die, *inquit*, cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum, per Iesum Christum. *Itemq; dum Hebræis loquens, inter prima Euangelij fundamenta, vnà cum doctrina baptismi, atq; impositionis manuum, ac resurrectionis mortuorum, iudicium istud æternum, reponendum censet.* Petrus. *Diuus verò Petrus eadem de re loquens.* Si iu- 1. Pet: 4. D 18. stus, *inquit,* vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? *Loquitur autem ibidem de iusto iudicio Dei,* quoniam tempus, *inquit,* est, vt incipiat iudicium à domo Dei. *Certum est autem, iudicium illud in extremo illo die omnium* Phil:2.12. *fore rigidissimum, asperrimumq;. Ergo & Paulus, alibi monet omnes fideles, vt cum metu & tremore salu-*

ſalutem ſuam operentur. Alibi verò, vt ſeruiant placentes Deo, cum metu & reuerentia, vbi & cauſam addit eius metus: Etenim, *inquiens*, Deus noſter ignis conſumens eſt. *Quando verò Deus magis ignis conſumens, quàm in extremo illo die? Et fideliſsimus Dei ſeruus Iob, idemq; innocentiſsimus*: Verebar, *inquit*, omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. *Denique*: In omnibus operibus tuis, (*monet Sapiens*) memorare nouiſſima tua, & in æternum nō peccabis. *Vnde verò hoc, niſi quia iuſto eorū metu, facilè, haud ſecus ac fræno, in officio continebere.*

Heb.12.29 Iob 9.28. Eccli 7.40

48. *Neque verò his obſtat, quod hoc loco Dominus, poſt tantos iudicij terrores, ad diſcipulos ſuos fideles conuerſus*: Leuate, *inquit*, capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra. *Non enim illud ijs vult Dominus, nullo eos omninò timore, pro tempore tam difficili affici debere: (cùm alias iiſdem tanquam amicis ſuis ſingularibus, vti antè vidimus, fideliſsimè ſuaſerit, ita hæc timerent, vt præ ijs nihil æquè, ne quidem Tyrannos illos, qui corpus eorum & poſſent occidere, & iamiamq; eſſent occiſuri,) ſed hoc ſolùm aſſerit Dominus, non ita terroribus ijs ſe penitus tradere debere obruendos, quin ex altera parte, dum bonæ ſint in Deum conſcientiæ, meminerint non ſe terroribus iſtis peti, vtpotè domeſticos Dei, ſed peccatores, Dei inimicos. Sint igitur in hunc diem, omnes fideles Chriſti, imitatores ſimul fideles diſcipulorum; & in omni illo Dei, iudiciorumq; eius terrore, inuenient*

48 Conſolatio piorum de iudicio, in quo ſit.

erit consolationi potius tandem eorum sibi considerationem esse debere, quàm tremori. Verè enim tum demùm, perfecta ac sempiterna taliũ appropinquabit redemptio. Et quid mirum discipulis denunciari, tum potiùs lætandum, quam trepidandum, quibus iam antè certò promiserat Dominus, non solùm in regeneratione illa non fore damnandos, sed & sessuros tum vnà cum ipso, super duodecim sedes, ac iudicaturos duodecim tribus Israël? Quid mirum si imitatores quoq; eorum tum lætentur, quibus simul æquè tum promisit Dominus: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplũ accipiet, & vitam æternam possidebit *de eodem illo iudicij tempore maximè loquens?*

Matth:19. D 28.

Ibid.

Consolatio hic piorum conditionata.

2:Pet:2,10

Deniq; omnis hîc consolatio fidelium, in illa conditione est posita: si satagant, vt per bona opera, vocationem, & electionem suam certam faciant. Id enim, quicunq; neglexerint, non est quòd consolationem expectent, in iudicio illo à Deo, sed confusionem potiùs æternam. Itaq; itidem etiam B. Ioannes monet: Et nunc, *inquit*, filioli, manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo, in aduentu eius. *Vides loqui eum de Domini vltimo aduentu, vides loqui fidelibus, & quidem ipsum loqui, qui verba ista Euangelij de quibus loquimur*: Leuate, *inquã*, capita vestra, *ipse præsens dicta audierat. Vides deniq; docere, sic demum fore, vt extremam illam*

1.Ioa.2.28

iudicij

iudicij confusionem trepidationemq́;, cum damnatione æterna coniunctam, euadant; si maneant in eo. Porrò quid vocet ipse, manere in Christo; *ipsemet eodem capite Ioannes explicat:* Qui seruat, *inquiens*, verbum eius, verè in eo charitas Dei perfecta est. In hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. *Quo quidem etiam illud pertinet eiusdem eadem Epistola:* Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. *Perfecta, inquit, charitas, illa nimirum, quam dicit seruare verbum Christi, vt iam iamq́; ex eodem didicimus.* 1. Ioan: 2. 5 1. Ioa: 4. 18

Tertius locus.

De perpetua Ecclesiæ, & verbi Dei, quod in ea prædicatur, duratione.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.
Luc; 21.

49. E*Adem ista ad verbum repetuntur, ac à Matthæo, & à Marco, Euangelistis, & quidem vtrobiq́; post eadem, quæ hîc à Luca præmittuntur, de signis toto cœlo futuris, deq́; ficulneæ similitudine. Porrò qualem hîc generationem intelligat Dominus, ambiguum est, Iudæorumné, an Ecclesiæ. Nihil enim vicini præcedit, apud vllum Euangelistarum, vnde de-* 49. Matth. 24. C 34. Mar. 13. 30

de demonstrari posset, vtra horum potissimùm, hic sit accipienda. Probabilissimum tamen est, de Ecclesia intelligi. Quam cùm Dominus prædixisset antea, magnis obnoxiam fore persecutionibus; hæc tandem ad finem subnectit, pro consolatione suorum, ne sic quidem timendum esse, ne deficiat vnquam. Constituram enim certò, vsq; dum omnia, quæ prædixit, compleantur, etiam vsq; ad ipsum aduentum suum in Maiestate, & ita quidem firmiter constituram, vt cœlum priùs & terra sint prætéritura.

Generatio fidelium in Ecclesia cõtinua & æterna est.

Sed & hoc ipsum de cœlorum transitu ambiguum est, inter Doctores, de veroné cœlorum supremorum transitu aliquo, & immutatione, sit intelligendum; an de apparente tantùm, propter summas aërei atq; ætherei cæli, circa iudicij tempora, perturbationes, admirandasq; mutationes. Sed illud nihilominus certissimum, posita illa generationis Ecclesiæ interpretatione, illam esse Domini sententiam, in verbis istis; vt firmiorem Ecclesiæ suæ, ac verbi diuini durationem fore, certo nobis persuadeamus, quàm vel cœlorum ipsorum. Nam si quid istorum perire credendum sit, id potiùs de cœlo & terra, (quæ & ipsa alioqui in æternum stat, cùm generatio interim omnis hominum prætereat, & generatio adueniat) credendum, quam de Ecclesia, ac verbo suo. Cui quidem simile est illud, quod alias de antiquæ legis plena expletione, idem Dominus noster affirmauit: Amen quippè dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant. *Non enim*

Eccle: 1.4.

Mat. 19.5.

enim illud hîc voluit dicere, verè post legis consumationem, cœlum ac terram transitura. Nam plenißimè quidem illa iam pridem, & ante multa secula consumata fuere per Christum, ipsomet Christo testante, cùm in cruce clamaret: Consummatum est; *& tamen durant cœli, terraq́; firma etiam in hunc diem: sed vt diximus, firmiora esse Dei verba, etiam istis, ex genere suo firmißimis, atq; incorruptis. Alibi Deus eadem ista inter se comparans, cœlorum, inquam, ac syderum durationem, cum Ecclesia sua ac lege noua: paris facit vtraq; firmitudinis, ita vt æquè vnum eorum, atq; alterum nunquã asserat defecturum. Ita enim apud Ieremiam, cùm promisisset, se nouum testamentum cum Ecclesia sua initurum, legesq́; suas, seu verba sua, in corde eius scripturum, vt sit ei in populum, & ipse illi in Deum, tandem concludit:* Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum, in lumine noctis, &c. *Et mox:* Si defecerint, *inquit,* leges istæ, *(ordines, inquam, solis, lunæ, & syderum reliquorum)* dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me, cunctis diebus. *Ita ibi. Nimirũ leges istæ nunquam deficient vsq; ad ipsum Iudicij diem: nec generatio igitur etiam Ecclesiæ, nec verbum in ea prædicatum, vnquam illuc vsq; deficient.*

Ioa. 19. 30. — Ier. 31. F.

50. *Quod ad extremam demum partem pertinet sententiæ huius Christi:* Verba mea non transibunt, *circa ea aduertendum, vt verbum quid Christi verè dicatur, non satis esse characteribus certis litera-*

50. Verbũ Christi quale nõ sit transiturum.

literarum, id exaratum esse in chartis, quod fit in scripturis Bibliorum, vel voce etiam viua aliqua pronunciari, nisi in legitimo atq; ipsissimo Christi
Matt. 4. B *sensu accipiantur. Itaq; apud Matthæum, licet diabolus & haberet scripturæ sacræ verba vera, & pronunciaret Christo, dum præcipitium illi suaderet: tantùm tamen abest, vt verbum suum, vel Patris æterni, in ijs agnosceret Christus; vt etiam manifestè ea reijceret, tanquam diaboli tentamenta. Dum igitur hîc illud affirmat Dominus,* Verba sua nunquam transitura, *non illud solùm accipere debemus, scripturas Bibliorum in Ecclesia perpetuo incorruptas fore, vel verba ex ijs Dei legenda semper, quoquo modo: sed illud simul; legittimum verborum eorum sensum ac prædicationem, nunquam defecturam in Ecclesia vsq; ad finem mundi. Quo quidem in genere, sententia hæc Christi, cum*
Isai 4. B. *illa coincidit, quam D. Petrus ex Isaia citat:* Ver-
1. Pet. 1. 25 bum Domini manet in æternum. *vbi propterea mox subiungit Petrus:* Hoc est autem verbũ, quod Euangelizatum est in vobis. *Quasi dicat, hoc ipsum quod prædicatum est, quatenus prædicatum, & legittimè enarratum est; nunquam defecturum est, sed in æternum permansurum.*

Idem verò etiam ex prioribus illis Christi hîc deducitur, vbi nomine generationis, Ecclesiæ suæ perpetuam durationem insinuauit. Ita enim necesse est duret Ecclesia, vti genus quoduis hominum, quod continuata generatione, ac seminis transmissione, propagatur. Vnde etiam nomine seminis Israel, Ie-

remias

remias loco paulò antè citato idem notauit. Porrò *Hier:31.*
generationis istius spiritualis, semen proprium ac
proximum, verbum Dei est, D. Iacobo teste: Vo- *Iaco:1.18.*
luntariè, *inquit*, genuit nos verbo veritatis, vt
simus initium aliquod creaturæ eius. *Transmißio seminis istius, prædicatio verbi est*: Quomodo enim credent ei, quem non audierunt. Quomodo autem audient, sine prædicante, *Rō:10.14*
ait Paulus? Perpetua igitur generatio, continuatam necessariò, ac legittimam verbi Dei intelligentiam, prædicationemq́; annexam habet.

Iam ergo his positis, facilè est videre, neq; esse Christi generationem Ecclesiamúe vllam, quæ non continuata seriè, ac succeßione generationis, iam inde à Christo ipso deducta fuerit; vt potuerit iam tum cùm hæc Christus loqueretur, de ea dici. Generatio hæc, *vt textus hîc habet: quam scilicet ipse iam tum Christus digito suo demonstrare potuerit, quæq́; non habuerit continuatam inde verbi Dei, in sensu legittimo prædicationem. Si igitur Lutheranorum reliquorumúe Ministrorū omnis generis, generatio vera est, vbi ea antè annos centū Deo genuit quenquā? vbi sæculis superioribus reliquis, vsq; ad Christū? Similiter, si verbum ab ipsis prædicatū, verbū est Christi, vbi id iisdem diebus? Durarunt cœli perpetuò vsq; nunc: durare æquè debuit generatio Christi, atq; Ecclesiæ, & verbum Christi prædicatum, & quidem, vt ex Ieremia vidimus, non minùs clarè ac perspicuè, quàm in cœlis lumen solis in die, lux stellarum ac lunæ, proportione sua, in nocte. Luthe-*

ranorum, reliquorumq; Ministrorum nostri seculi; nulla fuere ista tot annis, nulla generatio, nullum verbum. At contra in Catholica Ecclesia, manifesta ea perpetuò.

Nota hîc ad extremum, variè ex istis Christi verbis Ecclesiæ veræ perpetuitatem hanc, vrgeri posse. Primò, quia expressè id Christus asserit, nempè eam ad finem mundi non præterituram. Secundò, quia cum ipsa cœlorum, ex natura, sua incorruptibiliũ, duratione, eam comparat; & firmiorem fore confirmat. Tertio quia generationis nomine in ijs potissimè vtitur. Quartò denique, quia verbum æquè suum nunquam dicit transiturum.

DISCVRSVS TERTIVS,

Circa Euangelium diei iuxta vsum antiquum Septentrionalium Ecclesiarum.
Matthæi xxj.

IN illo tempore. Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymam, & venisset Betphage ad montem Oliueti: tunc misit duos discipulos suos dicens eis: Ite in castellũ quod contra vos est, & statim inuenietis

nietis asinam alligatã, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentẽ: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesus: & adduxerũt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimẽta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autẽ turba stra-

uerunt veſtimenta ſua in viã: alij autem cędebant ramos de arboribus; & ſternebãt in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabãt dicentes: Oſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.

DE ADVENTV CHRISTI PRImo, toto manſueto & humili.

Demonſtratur Eccleſiam Aduentus Christi conſideratione inſigniter ſuos, & excitare ad ſalutem, & inſtruere: Miniſtros verò dum Articulum eum in longè alium finem à proprio deflexêre, & ipſum inſigniter corrupiſſe, & mundo mirificè illudere.

SVMMARIVM DISCVRSVS ſequentis.

§1. Vnum illud quærit Eccleſia, omni annua ſua obſeruatione, vt curam ſalutis noſtræ, tum acuat in no-
§2. bis, tum ritè diſponat. Eumque igitur ad finem, etiam Aduentus Dominici nunc, partim fructum ampliſsimum

mum nobis proponit contemplandum; vt ita nos excitet ad Deum desiderandum: partim modum, vt nos infirmet ad eundem acquirendum.

Verè enim amplissima salus Aduentus huius, vt 53.
quam Rex ipse Sionis Christus, & tantus in se, & tam
laborioso suo aduentu, quærendum nobis sumpserit;
& tanta cum exultatione ac iubilo excipiendam, per 54.
Prophetam denunciarit; & quam deniq; etiam ijs Si- 55.
onis, ac Hierosolymorum filijs ciuibusúe verè voluerit oblatam, qui nihil æquè tum moliebantur, quàm
vt ad crucem ipsum salutis authorem adigerent. Ita 56.
vt neminem ipse quantum in se est, ne quidem maximè omnium reprobum, ab ea velit exclusum. Omnibus igitur votis & expetendum, & persequendum tantum bonum.

Modus verò Aduentus huius, totus in extrema 57.
quadam mundi despicientia positus fuit: idq; eum ad finem, vt nos quoque per mundi contemptum transire ad cœlestia disceremus; qui nimio mundi amore ab ijs excideramus.

Venit enim Christus pauperrimus, vt diuitiarum in nobis eliminaret affectum; venit plenus laborum, atq; ærumnarũ, vt deliciarum amorem exterminaret; venit despicatissimus, vt superbiam vitæ extingueret, Hoc nobis exemplum in Euangelio isto, vt in idæa
quadam singulari, expressum reliquit; hoc idem vita 58.
sua tota, & ingrediens mundum per natiuitatem, & cursum suum reliquum continuans, & morte tandem acerbissima crucis finiens, sectatus est, nobisq; testatus

Fuitque hæc ex primarijs causis, tantæ in Christo 59.
abnegationis sui vna, nostra tali exemplo instructio. Id nostra requirebat necessitas, qui impetum mundanarum illecebrarum vehementissimarum, nunquam nisi efficacissimo tali exemplo didicissemus cohibere;
id totæ scripturæ confirmant, dum nos hinc inde ad 60.
Christi sequẽda vestigia hortãtur; id ratio ipsa dictat. 61.

Nam cùm omnis Christi actio, vel ad nostri redem-

demptionem, directa fuerit per meritum; vel ad instructionem, per vitæ exemplum: ad redemptionem, certum est, longè minimam partem tot laborum ipsius sufficere potuisse, cùm ob infinîtam personæ eius dignitatem, infiniti fuerint meriti singula, quæ pro nobis fecit. Restat ergo propter solum exemplũ tam multa illa suscepta fuisse.

62. Et hæc quidem hîc Ecclesiæ doctrina. Contra Ministri insigniter articulum eum totum labefactarunt, dum & annuam eius memoriam, è cœtibus suis
63. sustulêre; & solis prædestinatis eorum plerique venisse Christũ asseruere, contra expressã etiã Zachariæ hîc,
64. & Christi ipsius sententiam; & sola denique fide nobis communicari fructum eius omnem, non verò seria Christi contra scripturas totas, imitatione docuêre:
65. 66. mirificè tali sua prædicatione, & articulum hunc deprauantes, & mundo in re salutis maxima, illudentes.
67. 68. Denique excitet se pius quiuis meditatione tanti Aduentus: quandoquidem, & Rex venit ei tantus, & ipsius, & ipsi, & tam mira forma; euigilet, igitur, surgat,
69. opera tenebrarum abijciat, arma lucis induat, vt partem habeat in tanta salute.

Sequitur discursus ipse.

THEM. Dicite filiæ Sion, &c.

Ritè nos, & excitat Ecclesia Christi Aduentu, & informat. Ministri omnia corrupêre.

51. 51. *QVod vnum omni obseruatione, & conatu suo paßim anno toto spectat Ecclesia, vt nos omni qua poßit ratione ad salutem nostram prosequendã accen-*

Ecclesia omni nos studio ad curã salutis excitat.

accendat informetq; : id hoc sacro Aduentus initio, longè etiam acrius vrget ardentiusq; quando haud secus, ac qui familiam suam longiùs, quàm par est, dormitantem, à somno corporis, ita nos ipsa nunc à torpore omni, atq; ignauia spiritus, excitare contendit; illud nobis identidem in officijs diuinis D. Pauli occlamitans : Fratres, hora est iam nos de somno surgere. Rom:13.B.

Potissimùm verò id nunc quærit diligenti Aduentus Christi meditatione, quam tam hoc tempore in nobis requirit assiduam, vt inde etiam nomen voluerit habere totas has consequentes septimanas. Nempè quia nihil efficaciùs bonæ menti, ad omnem in ea feruorem excitandum proponi; nihil vtiliùs ad eandem in omni pietate ritè instituendam obijci posse intelligebat. Vnde & eundem ad finem illud Mat:21.A *potissimum Euangelium Matthæi, plerisq; in locis legit hodie ac prædicat, quod de vltimo est Christi Hierosolymam ingressu : quia in eo ipso & aduentus totius, qualis fuerit ratio, seu modus, tanquam in forma atq; idæa propria, illustri quodam Christi exemplo describitur; & quod caput est, etiam adhortatio quædam peculiaris, ex antiquis scripturis desumpta, continetur, ad diligentem eiusdem attentionem contemplationemq;* : Dicite, *inquit Matthæus ex Propheta*, filiæ Sion. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super Asinam & pullum filium subiugalis. Matth.21. A 5. Zach: 9. 9.

Nos igitur, & eundem, quem sibi in hisce habet Ecclesia, finem nobis propositum habentes; &

textui Euangelij ac verbis in primis allatis, tanquam proposito ei aptißimis, inhærere cupientes; ostendemus breuiter: Primò quidem, quàm appositè nos hinc, solideq; Ecclesia Catholica tum inflammet ad omnem pietatis ardorem, tum instruat; vt inde & alacriùs ipsi, & certiùs salutem nostram o-
Phil. 2. 12. *peremur. Deinde verò, quam ea quoq; in re, longè ab omni scopo aberrarint Ministri nostri, vnaq; cœtus suos secum abduxerint in errorem.*

Duo de Aduentu capita expendenda; 1. venisse verè, & quidem omnibus Saluatorem, 2. modo penitus despicabili venisse. primùm ad animos excitandos pertinet, secundum ad informandos.

52. 52. D*Vo potißimùm de Aduentu Christi capita diligentiùs expendenda, atq; identidem mente agitanda ex Prophetæ verbis, nobis commendat Ecclesia, vnde nos porro officij nostri circa isthæc accura-*
1. Omnibus Saluator venit. *tiùs monitos hoc tempore velit. Primùm, verè venisse nobis Christum Saluatorem, omnibus ac singulis, quicunq; tandem, aut qualescunq; simus, nemine excluso. Hoc ijs continetur Prophetæ in Euangelio:* Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi, *siue vt apud Prophetam ipsum, paulò etiā pluribus dicitur:* Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi iustus
2. Modò maximè despicabili venit. & Saluator. *Alterum, venisse forma, mundo quidem despicabili, attamen omnibus hominibus aperta illa atq; obuia; humillima, inquam, mansuetißima,*

tissima, pauperrima, laboriosissima. Id iis significatur Propheta in Euangelio: Venit tibi mansuetus, & sedens (*siue vt Propheta ipse loquitur*, ipse pauper & ascendens) super asinam & pullum filium subiugalis.

Hæc, inquam, diligentius his diebus meditanda monet Ecclesia. Id enim ex illis Euangelistæ didicit: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus, &c. *Dicite, inquam, hoc est, in memoriam reuocate, annunciate, inculcate piis omnibus, imò homini cuiuis, & quidem eo fine, vt ipse inde expergiscatur, atq; intendat sedulò rerum tantarũ momentis.* Ecce, *inquam, hoc est, oculos aperi quisquis es, animum intende, studium applica, vt ritè perspicias quid dicatur; quia* Rex tuus *taliter* venit tibi. *Et primò quidem illo capite finem fructumq; Aduentus Dominici, nobis proponit considerandum, maximum sanè illum ac latissimè patentem: vt ita ad eum amplectendum inuestigandumq; totis viribus excitemur. Altero verò illo, modum ac formam viuendi singularem innuit, quo vsus est Saluator, tempore Aduentus illius sui, ad eiusmodi nobis fructum comparandum: vt ita ad eum, iisdem vestigiis, quàm proximè fieri possit, conquirendum consectandumq; informemur. Quibus quidem duobus in capitibus, plenissima continetur ratio integræ ac veræ Christianæ conditionis: dum priore illo animus inflammatur ad expetendam salutem tantam; altero verò etiam intellectus instituitur, & via ostenditur, ad eandem indubitato inueniendam. Sed singula ea accuratiùs videamus.*

Maxima sit salus ea necesse est, quam Saluator Christus, & tantus ipse in se, & tam laborioso nobis aduentu suo comparauit, & tanta exultatione denunciat excipiendam.

53. Saluti ardorem in nobis excitat Ecclesia.

53. *DIco Ecclesiā primo hic loco, aduentus Christi meditatione, noua in nobis desideria quærere, vt magna alacritate, & Christum ipsum aduentantem, & oblatam per eum salutem optemus. Id satis illis declarat:* Exulta filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce Saluator venit, &c. *Et certè nihil efficaciùs intelligenti animæ proponi potest mysteriis tantis: sed attentione opus est, & meditatione diligentiore, vt animum ista penetrent. Nam ea nisi adhibeatur, nihilo nos etiam hoc sacro tempore ista accendent magis, quam accendere solent reliquo anno toto, quo nihilo eadem & credimus, & intelligimus minùs, quàm credamus & intelligamus modò: sed quia parum attente expendimus, propterea minùs efficaciam eorum experimur. Et ideò etiam meritò illo nos initio aggreditur Ecclesia: (Ecce) hoc est, attentiùs iam tandem ista intuere, & contemplare ô Christiane.*

Excitat nos Ecclesia meditatione duplici.

Vult verò ea, duo hîc ista studiosiùs nos considerare. Primùm reuera maximam esse salutem, quā adueniens nobis apportauit Christus noster: secundò, ab eadem neminem prorsus esse exclusum, nisi qui iam ipse sponte se sua excludat. Vtrumq; nobis ex Prophetæ verbis insinuat. Primùm quidem illud, partim,

partim ex ipsa aduenientis propter eam Regis, & aduentus eius conditione ac modo: partim ex singulari illa ad exultandum propterea ac iubilandū annexa cohortatione. Alterum verò inde, quod hæc ipsa, etiam illi filiæ Hierusalem denunciari iubeantur, quas certum est ex ijs, propter insignem suam nequitiam propriam, nullam prorsus accepisse vtilitatem; quin contra potiùs exitium retulisse extremum ac sempiternum.

Qualis igitur iste primum quantusq; sit Rex nobis adueniens Saluator, nō multis quidem Propheta exaggerat (nec mirum, vt qui non tam maiestatem eius immensam, quam modestiam quandam humilitatemq; incredibilem, hoc loco sibi sumpserat declarandam) attamen satis insinuat, dum eum & Regem, & Regem filiæ Sionis, seu Hierusalem, & Saluatorem appellat. Eo ipso enim nos remittit ad omnem eam amplitudinem in eo, iurè meritò contemplandam; quæ totis passim scripturis Regi tali, hoc est, Messiæ vero, atq; expectatissimo illi Iudæorum liberatori adscribitur. Magnitudo salutis allatæ ex Regis huius magnitudine æstimenda.

Verè enim hic ille Rex est, cuius se maiestati inclinet necesse est, omnis alia maiestas, etiam Regum omnium, quantumuis maximorum, quia illud ei eo in genere nomen proprium est, vt vocetur Rex Regum, & Dominus Dominantium, cuique propterea omne genu *tandem* flectatur *oportet, non* terrestrium *solùm mortaliumue, sed &* cœlestium, & infernorum. *Verè is Rex ille, cuius si amplitudinem imperij spectes, tanta est, quæ non aliis,* Apo:19.17 Phil:2.10. Imperij eius amplitudo.

quam

ipsis orbis terrarum terminis circumscribi possit. Id quod ne Propheta quidem hic noster dissimulauit, dum mox post tanta humilitatis ipsius mentionem: Potestas, *inquit*, eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ, *Sed clarius alter*: Dedit ei (*Deus Pater*) potestatem & honorem, & regnum, & omnes populi & linguæ ipsi seruient.

Zach: 9.10
Dan: 7.14
Imperij eius æternitas.

Verè Rex ille, cuius si regni stabilitatem consideres, tanta est, quæ in omnem æternitatem finem durationis nullum sit acceptura.: Regnabit enim in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. *Et vt clariùs etiam alter*: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. *Rex, inquam, cuius si antiquitatem inquiras, tanta est, quæ nullum vnquam initium habuerit ætatis. Verbum enim is illud Dei est, quod certo quidem tempore in mundum veniens caro factum fuit; sed tamen longè antè iam, etiam antequam* Abraham fieret *ipsum* erat. *Imò quod iam inde*: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, *vt profitetur Ioannes: adeóque cuius* egressus fuit ab initio, à diebus æternitatis.

Luc. 1.23.
Dan: 7.14
Idem æternus ac vetus Deus.
Ioã: 8 58.
Ioan. 1 A
Mich: 5.2.

Rex, cuius si nobilitatem attendas, tanta est, quæ non alium quam Deum ipsum naturalem suum agnoscat patrem. Vocabitur enim, *inquit*, filius altissimi, *Et* quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, Rex *deniq; idem omnium* sæculorum, immortalis, & inuisibilis, *idem*

Luc: 1. CD
1. Tim: 1.7.

verus

verus & naturalis cum Patre & S. Spiritu Deus, idem creator cœli & terræ Deus, idem omnipotens & sempiternus Deus: Hic est enim, *inquit de eo Ioannes*; verus Deus, & vita æterna *Et idem alibi*: Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. *Et Paulus*: Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. *Talis, inquam, iste, & tantus Rex Sionis adueniens nobis Saluator.* Ioan.5.20. Ioan.1.A Coll.1.,6.

Et quanta igitur etiam ea salus, quam tantus iste Rex suo illo nobis aduentu conciliauit? & tali præsertim aduentu, qualem hic nobis Propheta prænunciat, hoc est, pauperrimo illo, ideóq; & laboriosissimo, & ab omni regia pompa, ac specie penitus alieno. Qua de re nos paulo post etiam pleniùs. Sanè si ex authoris præstantia; etiam operis magnitudo legittimè colligitur: si ex causa merito, etiam effectus excellentia: ex precij amplitudine; etiam rei cuiusuis dignitas ac valor iurè æstimatur, non possumus non concludere salutem hanc tanti Saluatoris, omnium maximam esse, atq; adeò immensum quoddam pondus annexum habere: vt quæ ab alio nullo, quàm eo, qui simul ipse & optimus esset, & maximus Deus, mundo potuerit comparari; nec alio potuerit modo, quàm aduentu tali tamq; laborioso ocmparari.

Dum

Ex magnitudine operæ, momentum operis intelligitur. 3, milia.

Dum vides molem quamuis, etiam à pueris circumuolui, facilè intelligis rem minimi operis esse, quæ voluitur; at si tanta ea sit, quam ne centum quidem vel homines, vel iumenta, aut plures etiam circumagere queant: iam eo ipso certè facilè animaduertis longè maximi eam esse momenti. Quòd si verò tanta ea sit, quæ nulla humana vi, nulla ope omninò poßit vel loco moueri, iam non immeritò subinfers immensi cuiusdam ponderis esse.

Ex precij ratione dignitas rerum ponderatur.

Ita dum cernis rem quamuis hemidrachmio aliquo vno redimi posse, facilè colligis rem nihili ac triobolarem esse. At si tanti sit, quæ non nisi talento vno magno, aut decem etiam talentis integris præstent: iam certè longè digniorem existimas. Quod si verò etiam tanti, quæ ne decem quidem, aut centum millibus talentorum comparetur, meritò concludis infiniti rem precij cuiusdam esse.

Maximi igitur precij salus Christi.

Salus igitur ista nostra, Saluatoris nostri, cui conquirendæ nec precium potuerit inueniri dignum aliud vllum, quam vita ipsa ac sanguis tanti Regis, filij, inquam, Dei, & quidem filij veri Dei: nec opera digna vlla, quam tot annorum labores, sudoresq́; maximi eiusdem tanti Regis, filij, inquam, Dei, ac veri Dei; tanti sit neceßè est, quæ ne comparationem quidem vllam admittat precij cuiusquam, in omni natura creata. Tanti, inquam, cuius æstimationi cedant oporteat, omnes diuitiæ mundi totius, omne deniq; precium aliud, quod vel sub imaginationem cadere poßit, quia omnem comparationem talem excellit longißimo interuallo Regis istius Saluatoris

toris amplitudo; qui tamen aduentu isto suo totum se impendere debuit, & maximo quidem labore suo, ad salutem nobis istam conquirendam. Quod si tanta salus ista, quam igitur ea meritò votis omnibus expetenda? quam meritò omni conatu atq; industria nostra amplectenda, dum offertur, consectandaq;? quam ipse adueniens Rex noster eam apportans, obuiis vlnis animisq; excipiendus?

Quàm vero meritò etiam occasione eiusdem ad omnem & exultationem, & iubilationem nos monet excitatq;, vnà cum Propheta, Ecclesia? Exulta satis, *inquiens,* filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi Saluator. *Id quod consequenter iam nobis etiã accuratiùs quale sit, expendendum venit. Nam vel ex eo solo etiam summa præstantia boni istius singularis, quod iste Rex nobis adueniens inuexit, haud obscurè intelligi datur. Attende igitur illud hîc primùm, non aliam ob causam nos hîc ad gaudium istud inuitari, quam ob ipsum istum aduentum Saluatoris huius. Tantundem enim est, quod hîc dicitur:* Exulta, Ecce Rex tuus venit; *ac si diceretur: in eo ipso tibi iustissima est exultandi materia, quòd venit iste tibi Rex tuus.*

Magnitudo salutis allatæ, ex gaudio annunciato æstimanda.

Gaudium annunciatum.

Deinde verò illud etiam aduerte, non ad quamuis gaudij formam nos his prouocari; sed ad eam, quæ in gaudiorum genere sit omnium maxima. Non enim illud solùm dicit: Gaude filia Sion, lætare filia Hierusalem. *Sed* exulta *ac* iubila, *hoc est, ita gaude, vt totam propterea te simul effundas, in omni-*

Exultatio, iubilatio.

omnimodam lætitiæ significationem; non corde solùm gestiendo, sed & ore iubilando, & toto simul corpore exsiliendo, imo exultando. Hoc enim propriè est exultare, hoc est, præ gaudij quadam exuberantia, etiam in corporis gesticulationes se effundere.
Luc: 1.44. *Vnde illa:* Exultauit infans in gaudio in vtero meo. *Hoc iubilare, hoc est, eadem ex causa, in vocis etiam modulationem prorumpere, vnde Psal:*
Psal: 46.2. Iubilate Deo, in voce exultationis.

Deniq; illud etiam perpende, non quemuis esse per quem hæc ad nos inuitatio directa est, sed vt Euangelista testatur, Dei Prophetam; hoc est eum qui non ex seipso ad ista hortetur gaudia, sed ex singulari instinctu spiritus Dei. Non enim voluntate hu-
2. Pet. 2.21 *mana allata est aliquando prophetia, vt Petrus testatur; sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Quantùm igitur gaudiorum segetem eam esse necessè est, ob quam ad tantum lætitiæ excessum,*
Gaudij mũdani materia. *ipse nos inuitat spiritus Dei? Omnium certè bonorum fortunarumue mundi totius præstantiam, longissimè excellat oportet. Neq; enim tanti æstimat spiritus ille diuinus, vllas vel pretiosissimas mundi huius facultates, vt propterea vnquam quenquam, ad lætitiæ quamuis significationem edendam adhortetur; nedum ad tantam illam, qualem diximus, quin potiùs infælices iudicat omnes, qui nimiis in vita hac fortunis affluunt. Eo enim illa etiam Chri-*
Luc: 6.24. *sti spectant:* Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis,

tis, quia lugebitis & flebitis, &c. *Itemq; illa, cùm aliquando discipuli eius redeuntes cum gaudio gloriarentur etiam dæmonia sibi subiecta fuisse:* Veruntamen in hoc nolite gaudere, *inquit,* quia spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Et alibi*: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Deniq; non alia hæc hîc est exultatio iubilatioq; quam nobis prænunciat hoc loco Propheta Dei, quàm illud ipsum* gaudium magnum, *quòd non adeò post multas septimanas, ex ore etiam Angeli Dei audiemus Euangelizari, tanquam iam iam* futurum omni populo, *eò quòd* natus *iam sit* Saluator *mundi,* qui est Christus Dominus. *Idem enim prorsus est Rex iste Sionis apud Prophetam, qui Christus Dominus apud Angelum illum.*

Luc. 10. 20
Mat. 5. 12.
Luc. 2. 10.

Sed hæc quidem de his: sequitur vt quomodo neminem prorsus exclusum ab ea exultationis ac lætitiæ prædicatione, velit Propheta, consideremus.

Omni homini quantumuis moribus perdito, parata est ex parte Aduentus Christi salus, tantùm vt iam seipsum inde ne quis excludat.

55. E*Tenim, maximum esse salutis illius pondus, quam Rex hic Sionis Saluator tantus ipse, & tali adueniens modo, intulit mundo, ac tanta cum lætitiæ inuitatione voluit denunciari; nemo certè est qui dubitare possit. Sed illud fortè iam moueat scru-*

pulum, cuipiam, quantumuis de ea prædicari audiant omnes: non omnibus tamen fortaßè re ipsa comparatam; sed ijs duntaxat, qui reuera eam sint perseueranter complexi, hoc est, electis Dei solis: cæteris non sua solùm negligentia exclusis. (quod in confessò est apud omnes) sed & ipso arcano Dei consilio semotis repulsisúe; ita vt iam ne poßint quidem quantumuis fortè vellent ipsi, admitti ad tanti huius gaudij participationem.

Omni homini parata Christi aduentu salus.

Imo verò dico paratum esse prorsus omnibus, diuinam si spectes Christi clementiam, nemine excluso; nisi qui seipsum fortè ipse prior excluserit. Ex ipsa id Prophetæ, quam tractamus, vaticinatione satis dilucidè intelligi datur, tantùm vt expendamus paulò attentiùs: & de quo tempore ad literam loquatur Propheta, & quibus potißimùm loquatur, & quis deniq; fuerit rei totius eius euentus. Hæc enim si ritè inter sese conferamus: inueniemus luce clariùs, ijs quoq; & verè denunciatam fuisse salutem, hanc, & ideò verißimè ex parte Saluatoris Dei comparatam; qui tamen tandem ab ea longißimè omnium excidere; sed propria sua culpa ac nequitia excidere, nō deficiente vel in minimo ijs, quæ sufficere ipsis potuisset, gratia atq; auxilio Dei, ex parte Saluatoris huius.

Quæ sit hic filia Sion, & filia Hierusalem.

De quo igitur primum tempore hîc vaticinatur Propheta? Dico dubium esse nullum, quin de eo, quo Christus tandem re ipsa atq; ad literam, vt dicitur, asino insidens inuectus est vltimo, & ad passionem iam suam Hierosolymam profectus. Ita enim

Mat-

Matthæus, & Ioannes grauißimi Euangelistarum Mat.21.5.
eum locum interpretantur. De ea etiam filia, vel Ioa.12.15.
Sion, vel Hierusalem loquitur Propheta, quæ illo ipso tempore viuebat, quo ista sunt facta; eam præmonet, ei aduentum Saluatoris denunciat, ei signū iam verè venientis Christi, imò præsentis insinuat. humillimam nempè asinæ inequitationem; eam denique vt cum exultatione ac tripudio summo excipiat aduenientem, hortatur.

Sed quæ ea tandem, aut qualis filia, seu Sionis, seu Hierusalem? Dico nihil esse vsitatiùs Prophetis, quàm vt incolas loci cuiusuis, filias eiusdem appellent, habitatores, inquam, Sionis [a] filiam Si- a Isa.4.4.
on, ciues Hierosolymitanos [b] filiam Hierusalem, po- b Soph.3.14
steros Idumæorum [c] filiam Edom, municipes Baby- c Tre.2.13.
lonis [d] filiam Babylonis, homines Aegyptios, [e] fili- d Thre.3.21
am Aegypti, & ita de reliquis incolis regionis cu- e Zac.2.7.
iusuis. Et hîc quoque igitur ciues, incolasq; omnes, Sionis ac Hierusalem compellat, eo nomine Propheta. Id quod ratio etiam ipsa dictat: nam ad literam alioqui ista astringere, & vnicam aliquam solam & in singulari natam, vel Sionis vel Hierusalem muliebris sexus, in hisce accipere, absurdißimum vtiq; foret. Nam neque vel Sion alioqui ipsa, vel Hierusalem, gignere poterat filiam vllam, sed homines, vel Sionis, vel Hierosolymorum: neq; Saluator iste, vel soli alicui fœmellæ vni, vel solis mulierculis omnibus, qui erant in locis istis; sed vtriq; sexui toti, tum veniebat ad salutem. Omnibus, inquam, Hierosolymitis veniebat, siue ij in alto aliquo honoris ac

dignitatum fastigio essent constituti; siue in ima plebe numerati.

Omnes hic & Sionis, & Hierosolymorum ciues compellantur.

Atque hoc est, quod simul seorsim etiam Sionem exprimit Propheta, cum solius Hierosolymæ mentio satis esse potuisset. Sion enim vtiq; pars fuit Hierosolymorum, non ciuitas ipsa distincta: sed quia præcipua vrbis pars erat Sion; & in qua primores ferè Iudæorum, & Principes tum Sacerdotum, tum populi habitabant, vtpotè Regia olim Dauidis, & posterorum eius (vnde & ciuitas Dauid propriè vocitata) idcircò eius primùm distinctè meminit, tum Solymæ reliquæ: illud intelligi volens, omnes in vniuersum se appellare Hierosolymitanos, seu de primoribus, essent Iudæorum, siue de infima plebe, seu Sacerdotes ij forent, siue de populo quiuis; omnibus, inquam, æqualem lætitiæ materiam, siue salutem in christo Rege propositam se denunciare. Omnibus igitur æquè inde exultandum, omnibus iubilandum esse.

2. Reg: 5. 7.

Et quales ij verò eo tempore, aut qui tandem fuere, quibus talia denunciantur? Nempè primogenitus tum Sionis, Caiphas, vtpote princeps ipse Sacerdotum; proximus Annas, eiusdem tum socius in Sacerdotio, tum coniunctione socer. Cæteri consequenter seniores populi, ac Magistratus Templi, de quibus hinc inde in passione Domini, mentio habetur, maiori scilicet ex parte certissima sathanæ mancipia, & filij tenebrarum, & titiones inferni omnes. Ii enim ipsi sunt, qui eo ipso tempore, quo tantam eis gaudiorum ac salutis segetem oblatam,

Luc: 3. A
Ioan: 18. 13

per

per Christum narrat Propheta, eo ipso, inquam, noctes diesq́, non alia agitabant consilia, quàm vt eundem ipsum Christum Saluatorem, non morti solùm traderent, sed internecioni etiam darent tali, qua ne memoria quidē ipsius vlla relinqueretur in terris. Vnde illa tum vox illorū : morte turpissima condemnemus eum. *Item alia illa* : Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. *Quod si primores tales, quid de reliqua multitudine Solymorum sentiendum putamus? Nempè & ij, paucißimis exceptis, in minimo meliores, sed, vt fit, eiusdem farinæ communiter omnes. Quales enim in Repub. principes, tales ferè & cæteri solent esse Reipub. eiusdem ciues.* Sap: 2.20. Hier: 11.19

Itaq́ videmus euentu ipso, nihil minùs ijs obtigisse ex hoc Christi ad ipsos aduentu, quam gaudium & fælicitatem: quin calamitatem potius extremam, vel infortunium atq́ exterminium sempiternum. Id quod ipse etiam Rex Saluator, eo ipso tempore, quo Asino suo ita mansuetus ijs ad salutem inuehebatur; minimè siluit, dum appropinquans iam Sioni ipsi, ac mœnibus Hierusalem, & videns ciuitatem fleuit super illam, ac dixit: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustiabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem, &c. Luc. 19. C

56. *Et tamen iis quoq́ verißimè denunciata salus ista per Prophetam, verißimè parata per Christum* Etiam impijssimis istis proposita salus.

stum Saluatorem. Iis enim propriè ac maximè ad literam loquitur, vt vidimus, Propheta, iјs gaudium & exultationem offert, iјs dicit venire Saluatorem : Ecce, *inquit*, Rex tuus venit tibi iustus

Ioa. 16. 13. & Saluator *Et quod dicit verum vtique dicit, quia ex Spiritu Dei dicit, hoc est ex Spiritu illo veritatis, qui vt falli in se omninò nequit, ita fallere falsitate vlla vel minima, neminem potest. Nec solus ipse dicit, sed itidem etiam Christus ipse*, qui via, veritas, & vita est, *verbo suo infallibili confirmat. De eodem enim ipso tempore, atque iјs iјsdem etiam Sionis ac Hierosolymorum filiјs loquens, de quibus Propheta loquitur, atque exitium illud, quod paulò antè diximus, iјs interminans, illa etiam adiungit Christus* : Quoniam si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. *Et post comminationem illam*. Eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. *Quibus quidem paucissimis in verbis, tria vides, quæ singula abundè confirment, quod volumus. Nam & diem eam Hierosolymæ vocat*, in hac die tua, *inquiens* : *Et eorum* quæ ad pacem *erant ipsi, expressè meminit. Et denique illud ipsum tempus*, tempus visitationis *eius appellat*.

Dies nostra *Dies, nostra non alia iurè vocatur, quam quæ in bonum nobis salutemq́; nostram illucescit; ideóq; & dies hic Hierosolymorum talis. Id quod inde satis etiam intelligitur, quod mox dum dierum meminit exitiј ipsius Christus, non iam eos dies ipsius,*

sed

sed contrarios ipsi nominat. Quia venient, *inquit*, dies in te, *hoc est, dies contrarij tibi non iam tui illi, sed aduersum te.* Quæ ad pacem nobis, *non alia vocantur in scripturis, quàm quæ ad salutē nostram spectant, præsertim cùm de Christi pace agitur. Hæc est enim pax illa, quam in ipsa propterea Domini Natiuitate, seu aduentu primo, gratulantur Angeli hominibus cantantes*: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ voluntatis. *Hæc de qua Petrus in prima sua ad gentiles in præputio concione:* Verbum, *inquiens*, misit Deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum. *Hæc quam Paulus, vnà cum gratia Dei vbiq; in omnibus passim Epistolis suis initio precatur sanctis:* Gratia, *inquiens*, vobis & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Iesu Christo. *Deniq; hæc pax Christi est propriè, non alia, quam ipse nimirum mundo intulit, pax nostra nobis factus, Deum reconcilians mundo, & mundum Deo: qua ex conciliatione omnia necessariò consequuntur salutis bona. Dum igitur ea, quæ ad pacem spectabant talem Sionis ac Hierosolymorum omnia, illa ipsa die parata ijs ipse hic Christus affirmat; ipsissimam ei certè salutem præ foribus esse affirmat.*

Ea quæ ad pacem nobis.

Luc. 2.14.

Act. 10.36.

Ad extremū idem vocat tempus visitationis *Hierusalem: at scripturæ aliam non agnoscunt visitationem, siue tempus visitationis per Christum, nisi quæ ad salutem nobis facta est. Id quod clarissimè nobis denunciat Zacharias*: Benedictus, *inquiens*,

Tempus visitationis nostræ.

Luc. 1.68. ens, Dominus Deus Israël, quia visitauit &
Ibid. G 28. fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius. *Et mox*: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto *Ecce visitationem Dei per Christum factã, eamq; & cum visceribus misericordiæ coniunctam, & cum redemptione omni illa, quam pridem promiserat Deus per Prophetas suos, quotquot à saculis fuerant vnquam, qui videlicet aduentum Saluatoris prænunciarant. Et hæc quoq; igitur parata atq; oblata eidem illi, de qua loquimur filiæ Sionis, ac Hierosolymorum.*

Damnatio Sionis & Hierusalem omnium grauissima.

At quàm ingratæ illi? quàm scelestæ? quàm extremæ reprobæ? nempè quæ inter mortales omnes, ne possent quidem inueniri homines alij impientiores, vt qui in ipsum Regem, salutis suæ authorem Deum, immanissimo quodam furore teterrimas manus suas iniecerint, atq; ad mortem vsque crucis ipsi inferendam fuerint debachati. Quam ergo ijdem etiam longissimè tandem ab ea omni salute extorres facti? quam graui contra damnatione obnoxij? nempè quæ nulli vnquam mortalium profundiori. Neq; enim dubium vllum est, hanc ipsam, de qua loquimur, filiam, vel Sionis, vel Hierusalem, prout nullos vspiam vnquam homines sibi habuit nequitia pares, & qui æquale aliquod, nedum maius quoduis, flagitium designarint, quam ipsa admisit, ipsum Dei filium summa cum iniuria crucifigendo: ita grauiorem etiã subijsse subireq; in

omnem

omnem æternitatem, præ omnibus reprobis aliis condemnationē. Quandoquidem iusto iudicio Dei, ad sceleris admissi rationem, adæquari omnis damnatio debet.

At verò hæc si ita habent, vti dubium certè nullum habent, quem tandem vel perditissimorum hominum exclusum diuino consilio à salute ista Christi credemus? Nullum profectò, nisi qui seipsum fortè sponte sua excludat. Id quod ipse aliquando iis improperat Christus, dum se quidem, haud secus ac gallina solet aggregare sibi pullos suos, ita sedulò ac sollicitè sibi etiam ipsos adiungere voluisse testatur: sed ipsosmet id acceptare dicit noluisse. Etenim si ipsi quoq;, qui omnium profundissimè fuere condemnati, ideóque, & reprobati à Deo præ reprobis aliis cunctis, tamen etiam sic habuere sibi apertam aduentus huius Christi gratiam, atq; obuiam; modo attendere voluissent ipsi: profectò nulla potest esse reprobatio cuiusquam tanta, quæ ipsa ex sese omnem adimat facultatem salutis Christi adeundæ, nisi vbi & reprobus ipse penitus obsurduerit, ad omnem Dei sese vocantis, atq; inuitantis ad pœnitentiam vocem. Mat: 23.37

Nulli quantumuis reprobi exclusi à Christo nisi ipsi nolint accedere.

Sed hæc hactenus de hisce. Ex quibus illud iam satis perspicitur, quomodo & reuera maxima sit salutis materia illa, vt initio diximus, quam aduentu suo nobis attulit Christus, & omnibus reuera comparata atq; oblata, nemine inde, quantumuis reprobo reiecto, nisi qui ipse eam repudiando, seipsum inde tandem seiungat. Vndè quidem, & illud porrò

omnimodam lætitiæ significationem; non corde solùm gestiendo, sed & ore iubilando, & toto simul corpore exsiliendo, imo exultando. Hoc enim propriè est exultare, hoc est, præ gaudij quadam exuberantia, etiam in corporis gesticulationes se effundere.

Luc: 1.44. *Vnde illa:* Exultauit infans in gaudio in vtero meo. *Hoc iubilare, hoc est, eadem ex causa, in vocis etiam modulationem prorumpere, vnde Psal:*

Psal: 46.2. Iubilate Deo, in voce exultationis.

Deniq; illud etiam perpende, non quemuis esse per quem hæc ad nos inuitatio directa est, sed vt Euangelista testatur, Dei Prophetam; hoc est, eum qui non ex seipso ad ista hortetur gaudia, sed ex singulari instinctu spiritus Dei. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, vt Petrus testatur: sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines. (2. Pet. 2. 21) *Quantùm igitur gaudiorum segetem eam esse necessè est, ob quam ad tantum lætitiæ excessum, ipse nos inuitat spiritus Dei? Omnium certè bonorum fortunarumue mundi totius præstantiam, longissimè excellat oportet. Neq; enim tanti æstimat spiritus ille diuinus, vllas vel pretiosissimas mundi huius facultates, vt propterea vnquam quenquam, ad lætitiæ quamuis significationem edendam adhortetur; nedum ad tantam illam, qualem diximus, quin potiùs infælices iudicat omnes, qui nimiis in vita hac fortunis affluunt. Eo enim illa etiam Christi spectant:*

Gaudij mũdani materia.

Luc: 6.24. Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis,

tis, quia lugebitis & flebitis, &c. *Itemq; illa, cùm aliquando discipuli eius redeuntes cum gaudio gloriarentur etiam dæmonia sibi subiecta fuisse:* Veruntamen in hoc nolite gaudere, *inquit,* quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Et alibi*: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Deniq; non alia hæc hîc est exultatio iubilatioq; quam nobis prænunciat hoc loco Propheta Dei, quàm illud ipsum* gaudium magnum, *quòd non adeò post multas septimanas, ex ore etiam Angeli Dei audiemus Euangelizari, tanquam iam iam* futurum omni populo, *eò quòd* natus *iam sit* Saluator *mundi,* qui est Christus Dominus. *Idem enim prorsus est Rex iste Sionis apud Prophetam, qui Christus Dominus apud Angelum illum.*

Luc. 10. 20 — Mat. 5. 12. — Luc. 2. 10.

Sed hæc quidem de his: sequitur vt quomodo neminem prorsus exclusum ab ea exultationis ac lætitiæ prædicatione, velit Propheta, consideremus.

Omni homini quantumuis moribus perdito, parata est ex parte Aduentus Christi salus, tantùm vt iam seipsum inde ne quis excludat.

55. E*Tenim, maximum esse salutis illius pondus, quam Rex hic Sionis Saluator tantus ipse, & tali adueniens modo, intulit mundo, ac tanta cum lætitiæ inuitatione voluit denunciari; nemo certè est qui dubitare posit. Sed illud fortè iam moueat scru-*

pulum, cuipiam, quantumuis de ea prædicari audiant omnes: non omnibus tamen fortaßè re ipsa comparatam; sed ijs duntaxat, qui reuera eam sint perseueranter complexi, hoc est, electis Dei solis: cæteris non sua solùm negligentia exclusis. (quod in confesso est apud omnes) sed & ipso arcano Dei consilio semotis repulsisùe; ita vt iam ne poßint quidem quantumuis fortè vellent ipsi, admitti ad tanti huius gaudij participationem.

Omni homini parata Christi adventu salus.

Imo verò dico paratum esse prorsus omnibus, diuinam si spectes Christi clementiam, nemine excluso; nisi qui seipsum fortè ipse prior excluserit. Ex ipsa id Prophetæ, quam tractamus, vaticinatione satis dilucidè intelligi datur, tantùm vt expendamus paulò attentiùs: & de quo tempore ad literam loquatur Propheta, & quibus potißimùm loquatur, & quis deniq; fuerit rei totius eius euentus. Hæc enim si ritè inter sese conferamus: inueniemus luce clariùs, ijs quoq; & verè denunciatam fuisse salutem, hanc, & ideò verißimè ex parte Saluatoris Dei comparatam; qui tamen tandem ab ea longißimè omnium excidere; sed propria sua culpa ac nequitia excidere, nō deficiente vel in minimo ijs, quæ sufficere ipsis potuisset, gratia atq; auxilio Dei, ex parte Saluatoris huius.

Quæ sit hic filia Sion, & filia Hierusalem.

De quo igitur primum tempore hîc vaticinatur Propheta? Dico dubium esse nullum, quin de eo, quo Christus tandem re ipsa atq; ad literam, vt dicitur, asino insidens inuectus est vltimo, & ad passionem iam suam Hierosolymam profectus. Ita enim Mat-

Matthæus, & Ioannes grauißimi Euangelistarum, eum locum interpretantur. De ea etiam filia, vel Sion, vel Hierusalem loquitur Propheta, quæ illo ipso tempore viuebat, quo ista sunt facta; eam præmonet, ei aduentum Saluatoris denunciat, ei signū iam verè venientis Christi, imò præsentis insinuat. humillimam nempè asinæ inequitationem; eam denique vt cum exultatione ac tripudio summo excipiat aduenientem, hortatur. Mat. 21. 5. Ioa. 12. 15.

Sed quæ ea tandem, aut qualis filia, seu Sionis, seu Hierusalem? Dico nihil esse vsitatiùs Prophetis, quàm vt incolas loci cuiusuis, filias eiusdem appellent, habitatores, inquam, Sionis [a] *filiam Sion, ciues Hierosolymitanos* [b] *filiam Hierusalem, posteros Idumæorum* [c] *filiam Edom, municipes Babylonis* [d] *filiam Babylonis, homines Aegyptios,* [e] *filiam Aegypti, & ita de reliquis incolis regionis cuiusuis. Et hîc quoque igitur ciues, incolasq; omnes, Sionis ac Hierusalem compellat, eo nomine Propheta. Id quod ratio etiam ipsa dictat: nam ad literam alioqui ista astringere, & vnicam aliquam solam & in singulari natam, vel Sionis vel Hierusalem muliebris sexus, in hisce accipere, absurdißimum vtiq; foret. Nam neque vel Sion alioqui ipsa, vel Hierusalem, gignere poterat filiam vllam, sed homines, vel Sionis, vel Hierosolymorum: neq; Saluator iste, vel soli alicui fœmellæ vni, vel solis mulierculis omnibus, qui erant in locis istis; sed vtriq; sexui toti, tum veniebat ad salutem. Omnibus, inquam, Hierosolymitis veniebat, siue ij in alto aliquo honoris ac*

a Isa: 4. 4.
b Soph: 3: 14
c Tren: 2. 13.
d Thre: 3. 21
e Zac: 2. 7.

dignitatum fastigio essent constituti; siue in ima plebe numerati.

Omnes hic & Sionis, & Hierosolymorum ciues compellantur.

Atque hoc est, quod simul seorsim etiam Sionem exprimit Propheta, cum solius Hierosolymæ mentio satis esse potuisset. Sion enim vtiq; pars fuit Hierosolymorum, non ciuitas ipsa distincta: sed quia præcipua vrbis pars erat Sion, & in qua primores ferè Iudæorum, & Principes tum Sacerdotum, tum populi habitabant, vtpotè Regia olim Dauidis, & posterorum eius (vnde & ciuitas Dauid propriè vocitata) idcircò eius primùm distinctè meminit, tum Solymæ reliquæ: illud intelligi volens, omnes in vniuersum se appellare Hierosolymitanos, seu de primoribus, essent Iudæorum, siue de infima plebe, seu Sacerdotes ij forent, siue de populo quiuis; omnibus, inquam, æqualem lætitiæ materiam, siue salutem in christo Rege propositam se denunciare. Omnibus igitur æquè inde exultandum, omnibus iubilandum esse.

2. Reg: 5. 7.

Et quales ij verò eo tempore, aut qui tandem fuere, quibus talia denunciantur? Nempè primogenitus tum Sionis, Caiphas, vtpote princeps ipse Sacerdotum; proximus Annas, eiusdem tum socius in Sacerdotio, tum coniunctione socer. Cæteri consequenter seniores populi, ac Magistratus Templi; de quibus hinc inde in passione Domini, mentio habetur, maiori scilicet ex parte certissima sathanæ mancipia, & filij tenebrarum, & titiones inferni omnes. Ii enim ipsi sunt, qui eo ipso tempore, quo tantam eis gaudiorum ac salutis segetem oblatam,

Luc: 3. A Ioan: 18. 13

per

per Christum narrat Propheta, eo ipso, inquam, noctes diesq; , non alia agitabant consilia, quàm vt eundem ipsum Christum Saluatorem, non morti solùm traderent, sed internecioni etiam darent tali, qua ne memoria quidē ipsius vlla relinqueretur in terris. Vnde illa tum vox illorū : morte turpissima condemnemus eum. *Item alia illa:* Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. *Quod si primores tales, quid de reliqua multitudine Solymorum sentiendum putamus? Nempè & ij, paucißimis exceptis, in minimo meliores, sed, vt fit, eiusdem farina communiter omnes. Quales enim in Repub. principes, tales ferè & cæteri solent esse Reipub. eiusdem ciues.* Sap: 2.20. Hier: 11.19

Itaq; videmus euentu ipso, nihil minùs ijs obtigisse ex hoc Christi ad ipsos aduentu, quam gaudium & fælicitatem: quin calamitatem potius extremam, vel infortunium atq; exterminium sempiternum. Id quod ipse etiam Rex Saluator, eo ipso tempore, quo Asino suo ita mansuetus ijs ad salutem inuehebatur; minimè siluit, dum appropinquans iam Sioni ipsi, ac mœnibus Hierusalem, & videns ciuitatem fleuit super illam, ac dixit: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustiabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem, &c. Luc. 19.G

56. *Et tamen iis quoq; verißimè denunciata salus ista per Prophetam, verißimè parata per Christum* Etiam impijssimis istis proposita salus.

ſtum Saluatorem. Iis enim propriè ac maximè ad literam loquitur, vt vidimus, Propheta, iis gaudium & exultationem offert, iis dicit venire Saluatorem: Ecce, *inquit,* Rex tuus venit tibi iuſtus & Saluator. *Et quod dicit verum vtique dicit, quia ex Spiritu Dei dicit, hoc eſt ex Spiritu illo veritatis, qui vt falli in ſe omninò nequit, ita fallere falſitate vlla vel minima, neminem poteſt. Nec ſolus ipſe dicit, ſed itidem etiam Chriſtus ipſe,* qui via, veritas, & vita eſt, *verbo ſuo infallibili confirmat. De eodem enim ipſo tempore, atque iis iiſdem etiam Sionis ac Hieroſolymorum filiis loquens, de quibus Propheta loquitur, atque exitium illud, quod paulò antè diximus, iis interminans, illa etiam adiungit Chriſtus:* Quoniam ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. *Et poſt comminationem illam.* Eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. *Quibus quidem pauciſſimis in verbis, tria vides, quæ ſingula abundè confirment, quod volumus. Nam & diem eam Hieroſolymæ vocat,* in hac die tua, *inquiens: Et eorum* quæ ad pacem *erant ipſi, expreſſè meminit. Et denique illud ipſum tempus,* tempus viſitationis *eius appellat.*

Ioan 6, 13.

Dies noſtra

Dies, noſtra non alia iurè vocatur, quam quæ in bonum nobis ſalutemq; noſtram illuceſcit; ideòq; & dies hic Hieroſolymorum talis. Id quod inde ſatis etiam intelligitur, quod mox dum dierum meminit exitij ipſius Chriſtus, non iam eos dies ipſius, ſed

sed contrarios ipsi nominat. Quia venient, *inquit,* dies in te, *hoc est, dies contrarij tibi non iam tui illi, sed aduersum te.* Quæ ad pacem nobis, *non alia vocantur in scripturis, quàm quæ ad salutē nostram spectant, præsertim cùm de Christi pace agitur. Hæc est enim pax illa, quam in ipsa propterea Domini Natiuitate, seu aduentu primo, gratulantur Angeli hominibus cantantes:* Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ voluntatis. *Hæc de qua Petrus in prima sua ad gentiles in præputio concione:* Verbum, *inquiens,* misit Deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum. *Hæc quam Paulus, vnà cum gratia Dei vbiq; in omnibus passim Epistolis suis initio precatur sanctis:* Gratia, *inquiens,* vobis & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Iesu Christo. *Deniq; hæc pax Christi est propriè, non alia, quam ipse nimirum mundo intulit, pax nostra nobis factus, Deum reconcilians mundo, & mundum Deo: qua ex conciliatione omnia necessariò consequuntur salutis bona. Dum igitur ea, quæ ad pacem spectabant talem Sionis ac Hierosolymorum omnia, illa ipsa die parata ijs ipse hic Christus affirmat; ipsissimam ei certè salutem præ foribus esse affirmat.*

Ea quæ ad pacem nobis.

Luc. 2.14.

Act. 10.36.

Ad extremū idem vocat tempus visitationis Hierusalem: *at scripturæ aliam non agnoscunt visitationem, siue tempus visitationis per Christum, nisi quæ ad salutem nobis facta est. Id quod clarissimè nobis denunciat Zacharias:* Benedictus, *inquiens*

Tempus visitationis nostræ.

omnem aeternitatem, prae omnibus reprobis aliis condemnationẽ. Quandoquidem iusto iudicio Dei, ad sceleris admissi rationem, adaequari omnis damnatio debet.

At verò haec si ita habent, vti dubium certè nullum habent, quem tandem vel perditissimorum hominum exclusum diuino consilio à salute ista Christi credemus? Nullum profectò, nisi qui seipsum fortè sponte sua excludat. Id quod ipse aliquando iis improperat Christus, dum se quidem, haud secus ac gallina solet aggregare sibi pullos suos, ita sedulò ac sollicitè sibi etiam ipsos adiungere voluisse testatur: sed ipsosmet id acceptare dicit noluisse. Etenim si ipsi quoq; qui omnium profundissimè fuere condemnati, ideóque, & reprobati à Deo prae reprobis aliis cunctis, tamen etiam sic habuere sibi apertam aduentus huius Christi gratiam, atq; obuiam; modo attendere voluissent ipsi: profectò nulla potest esse reprobatio cuiusquam tanta, quae ipsa ex sese omnem adimat facultatem salutis Christi adeundae, nisi vbi & reprobus ipse penitus obsurduerit, ad omnem Dei sese vocantis, atq; inuitantis ad poenitentiam vocem.

Mat: 23.37

Nulli quantumuis reprobi exclusi à Christo nisi ipsi nolint accedere.

Sed haec hactenus de hisce. Ex quibus illud iam satis perspicitur, quomodo & reuera maxima sit salutis materia illa, vt initio diximus, quam aduentu suo nobis attulit Christus, & omnibus reuera comparata atq; oblata, nemine inde, quantumuis reprobo reiecto, nisi qui ipse eam repudiando, seipsum inde tandem seiungat. Vnde, quidem, & illud porrò

facilè est videre, quàm aptè Ecclesia tali meditatione animos nostros hoc sacri temporis initio inflammare nitatur, ad omnem in salute ea amplectenda feruorem; dum ex vna quidem parte, ingentem proponit, & qui æstimari satis nunquam possit, salutis nobis fructum oblatum; ex altera verò omnem adimit de impossibilitate illius assequendæ, aut nimia difficultate (quàm iniicere quandoq; pusillanimis diabolus solet) hæsitationem. Sequitur vt quomodo eadem nos etiam informet, ad ritè salutẽ hanc consectandã Aduentus huius meditatione, perquiramus.

Eo fine modum nobis describit Ecclesia Aduentus Christi, vt doceat eâdem viâ etiam nobis salutem Christi adeundam esse.

57\. Vult nos etiam modũ Aduentus Christi contemplari Ecclesia.

57\. DIco *igitur Ecclesiam secundo loco etiam viam nobis ostendere velle, Aduentus Christi contemplatione: qua partam nobis per eum salutem, quàm tutissimo consectemur. Eo nos illis inuitat ac dirigit Euangelista:* Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & super asinam sedens. &c. *Nimirum vult ea non solùm, vt Saluatorem nobis venisse Christum intelligamus, sed simul etiam studiosè expendamus, totam aduentus eius formam, tam, inquam, pauperem illam, tam humilem, tam laboriosam, qualis reuera fuit, & quæ inde consequuntur; tanquam ea quoque in re, permagnum nobis sit momentum positum, ad salutem eam ritè percipiendam. Ideo enim non minùs etiam isthæc* nobis

*nobis vult denunciari Ecclesia, & ad ea consideranda nos excitari, cum sub eodem illo (*Dicite filiæ Sion*) itemq́ue sub eodem illo (*Ecce*) etiam ista declarat esse comprehensa. Neq; aliud tamen illud est momentum, quàm vt ea ratione simul viam nobis ostendisse Christum animaduertamus, qua persequi nos velit salutem nostram: nempe, vt iisdem vestigiis iam insistamus progrediamurq́ue, per temporalia isthæc ad cœlestia, quæ ipse nobis suo aduentu exemploq́ue hîc impressa reliquit.*

Sed vt legitimè hîc partim textui Euangelij ac prophetiæ istius, partim pio isti in iis Ecclesiæ instituto inhæreamus, hæc tria ordine veniunt attentiùs consideranda. Primùm, in quo sit potissimùm modus iste positus aduentus eius, quem ad literam tam sedulò hîc nobis contemplandum proponunt, tum Propheta primùm, tum inde etiam Euangelista iste. Secundò, eum hîc quidem vt in exemplo vno vitæ Christi, eoq́ue singularissimo propriè nobis describi: attamen communem fuisse etiam cursui ipsius reliquo toti, ita vt ab eo nunquam deflexerit Christus; licet non semper æquè illustribus eum exemplis mundo declararit. Ad extremùm, non aliam fuisse causam, ob quam æquè susceperit talem aduentus sui formam Christus; quam vt ita viuam nobis imaginem exhiberet, secundùm quam nobis etiam per temporalia ista foret transeundum, vt æterna illa bona consequeremur.

Tria hîc circa modum aduentus Christi consideranda.
1.
2.
3.

In quo igitur primùm propriè modus iste Dominici Aduentus? Dico in summa illecebrarũ mun-

di hu-

di huius omnium negatione, ac contemptu; contrarioq́, vicißim earum rerum omnium complexu, quæ mundus hic omnium maximè auersatur. Id satis ijs declarat S. Spiritus, dum per Prophetam quidē, eum nominatim exprimit pauperem venire: Ipse, *inquit*, pauper; *per Euangelistam verò, mansuetum, siue humilem*: Venit tibi, *inquit*, mansuetus, *per vtrumq; verò post laboriosum pedestris itineris curriculum confectum, tandem asinam conscendere, ærumnosum & ipsum æquè, atque abiectißimum iumentum, sicq; regium suum persequi triumphum.*

Rex noster pauperrimus. *Verè pauperrimus Rex iste Sionis, qui tum quoque cum communibus omniū votis proclamari vellet publicè regnum suum, ac Rex ipse, filius Regis Dauid salutari; ne asellum quidem vllum inuenit proprij peculij sui, sed eum debuit aliunde & ex publicis biuiis mutuari. Id quod satis ex Luca descriptione intelligitur, nempè alienum fuisse etiam asinum hunc, nec proprium Christi ipsius.* Luc. 19. 33.

Humillimus Rex noster. *Verè humillimus Rex iste, qui in eo etiam, quem vnicum egit vita sua tota triumphum, non alium voluit adhiberi apparatum, quam quem declarat Euangelista: non alio, inquam, inuehi iumento regio, quàm simplicißimo asello, nec aliis vti peristromatis regijs, quam rustico rudis plebeculæ vestitu, non alio regio comitatu circumsisti, quam piscatoribus partim discipulis, partim ex infima plebe adunatis turbis.*

Verè vir laborum atq; ærumnarum omnium

Rex

Rex iste, qui vita sua tota, nunquam ne iumentum quidem conscendisse legitur, nisi vna hac vice triumphaturus; neque triumphum egisse ante similem vllum, quàm nunc demùm ad crucem mortemq; omnium laboriosissimam acerbissimamq; sese sponte sua illaturus; ac nec tunc quidem, alio vti iumento voluisse; quàm æruminosa asella, iugo ac laboribus, æruminisq; omnimodis, & nata, & subacta perpetuò atque exercitata. Quis verò Regum mundi omnium, qui vnquam vel nati sunt, vel nascituri; simili in casu similem triumphandi formam sibi assumpsisset? Quis non eorum omnium, quantò celebriorem diem esset acturus, tanto maiore sese fastu instruxisset, vt appareret; quàm maximè fieri posset conspicuus, atque illustris, locupletissimus; inquam, splendidissimus, omnibus copiis commoditatibusq; affluentissimus? Contraq; quæ his contraria sunt omni studio conatuq; deuitasset? Tam quidem hæc in propatulo sunt, ac manifesta omnibus, vt ne verbis quidem habeant pluribus opus. Vir laborũ Rex noster.

Clarissimum ergo & illud est, ea quæ maximè omnium adamat mundus, ea hîc Christum maximè omnium declinasse, diuitiarum, inquam, copias iactantiamq; honorum apparatus atque ambitionem, deliciarum illecebras & ostentationem, contraq; sibi delegisse, quæ iis maximè sunt aduersa, egestatem, contemptum, molestias, ac labores.

58. *Quòd si talis etiam in celeberrimo isto suo triumpho Christus, quid de reliqua ipsius vita tota existimandum? id quod secundo hic loco nobis considerandum.* 58. Eandem seruauit semper vitæ suæ formam Christus.

randum diximus. Etenim si tum quoque non nisi egentissimus, despectissimus, ab omni luxu remotissimus, & esse voluit, & haberi; quando, si ad commune mundi huius cursum se conformare voluisset vnquam, maximè omnium in contrarium debuisset conniti: dubium certè nullum est, quin reliquo tempore toto, longè etiam magis abhorruerit ab omni simili mundi honore. Quando verò vnquam maiorem habuit occasionem, externam etiam rerum omnium copiam atque affluentiam assumendi demonstrandiq́;, quàm die ista? quando non iam corde solùm credi voluit à singulis, verus esse ille Rex Israël, ac filius Dauid, tot sæculis antea expectatus; seu & publicè renunciari ac proclamari, & ab omnibus pro tali excipi, ac salutari? Idq́; tanta cum voluntate sua, vt ne pateretur quidem sibi eo in genere quicquam contradici.

Scimus quidem iam & alias aliquando, eousq́; progressam, piam erga Christum plebis affectionem; vt publicè etiam, iam iamq́; eum essent aggressuri Ioan: 6. B *ac rapturi, vt regem suum pronunciarent. At tantùm adfuit ab eo tum ipse consilio, vt sponte sua fugam inde iniret, seq́; ex oculis manibusq́; eorũ subtraheret. Nunc verò etiã cũ impij Pharisæi impedire niterentur huiuscemodi Regij honoris acclamationes, minimè tamen admisit, quin reclamantibus:* Luc: 19. Dico vobis, *inquit*, si hi tacebunt, lapides clamabunt. *Nimirum verè semper idem Rex hic Sionis Christus, semper sibi similis, semper in omni sensu suo à studiis mundi huius totus alienus, imò sem-*

semper iis contrarius. Nam & propterea, quem nunc Regium honorem titulumque sponte sua assumpsit; studiosissimè tum refugit, quia absque omni fastu nunc, & cum summa simplicitate videbat eum se acceptare posse, qui tunc non sine ambitione quadam vulgi illius, & mundi concupiscentia, ac vanitate offerebatur.

Ergo videre est toto Aduentus sui tempore; hoc est, vita sua tota, nunquam non similia abiectionis ac mundo penitus contraria consilia consectatus. Hæc in natiuitate eius, hæc in vita cursu reliquo; hæc in passione, mirificè vbique elucescunt. Quid enim in iis omnibus non tenuissimum, abiectissimum, ærumnosissimum?

Cùm quacunque ei collibitum fuisset ratione, tempore, inquam, loco, modo, nasci potuisset; noluit in iis omnibus quicquam, nisi omnium incommodissimum. Tempus elegit non regni Israëlis, sed seruitutis (dies nimirum Regis Herodis Idumæi) nec seruitutis quoduis, sed descriptionis, quando vix natus iam capite censeri, ac tanquam alienæ potestatis notari & describi eum oportebat) sed & in ea ipsa descriptione, non floridam æstatem, sed horridam brumam; nec brumæ quamuis partem, sed mediam ac Solsticio vicinissimam; ac ne in ea quidem lucem, sed tenebras & noctem, ipsamque etiam mediam & maximè profundam. Locum sibi sumpsit non Romani imperii arcem Romam, ac ne Iudææ quidem caput Hierosolymam: sed quæ in Principibus Iuda suapte natura minima erat Bethlehem;

Modus Aduentus Christi in natiuitate eius.

lebem, & in eo quoque, non nisi suburbia, & in ijs non nisi stabulum, & quidem stabulum publicum, & in ipso quoq; non nisi præsepe alienum. Eademq; ratio est cæterarum circumstantiarum omnium natiuitatis: seu matrem spectes Mariam, seu nutritium Ioseph, seu viles pannos, seu bouem & asinum, seu pastores, & quicquid demum simile his in considerationem venire potest.

Modus vitæ Christi.

Vitam deinceps cùm ducere posset omni rerum copia affluentem, ac redundantem, noluit tamen, ne in ea quidem quicquam insigniter locuples, insigniter commodum, insigniter illustre: imò proprium voluit nihil, ne quidem in quo caput posset reclinare suum, nihil splendidum, nihil non plenum laboribus sudoribusq; quotidianis, in frigore, in æstu, in fame & siti, in peregrinationibus continuis, in prædicationibus assiduis, adeóque in peruigiliis nocturnis, similibusq; corporis afflictionibus quibusuis, prout his omnibus sacra Euangelia passim attestantur.

Modus exitus seu mortis Christi.

De passione ad vltimum & morte, quam ad extremam in ea nuditatem & inopiam fuerit redactus, quàm atroci ac crudeli supplicio fuerit confectus, quàm ignominiosa & infami morte sublatus; quantisq; in his omnibus ærumnis, contumelijs, acerbitatibus exagitatus, quid attinet multis describere, cùm nihil sit tritum ac proclamatum magis? Quæ cùm ita habeant, nulla certè vitæ ipsius pars, singularis inopiæ, extremæ humilitatis, ac maximorum denique laborum, expers fuit. Talis igitur

Aduen-

Aduentus Regis huius nostri totus, talis œconomia eius vniuersa, semper à mundi studijs seiunctissima, semper, inquam, ea refugiens, quæ mundus maximè complectitur, semper ea complectens, quæ maximè mundus fugit.

Propria causa tantæ abnegationis sui in modo Aduentus Christi, fuit; vt imitationis necessariæ nobis ita præberetur exemplum.

59. *SEd quæ tandem eius rei propria causa? Dico vnam ex primarijs eam fuisse, vt viuo ita exemplo suo, viam nobis commonstraret: quomodo, si æternam tandem adire placeat salutem, temporalia ista nos contemptim transire oporteat; quomodo, inquam,* tanquam aduenas, *nos*, & peregrinos *gerere*, abstinendo à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam; *quomodo* abnegare impietatem omnem, ac secularia desideria; contraque sobriè, piè, ac iustè viuere in hoc seculo, *sicq;* expectare beatam illam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. *Qui enim per nimium mundi huius amorem à via excideramus salutis, ac cœlestia perdideramus, per eiusdem despicientiam in viam rectam reducendi eramus. Docendiq; igitur etiam cum primis, quomodò mortuos mundo, Deo viuere, imò crucifigi mundo, ac mundum vicissim habere nos oporteret crucifixum. Id quod vt nulla alia ratione, vel illustriùs docere, vel efficaciùs persuadere*

59. Propria causa tantæ abiectionis Christi, nostra instructio.

1. Pet. 2. 11

Tit. 2. 12.

Gal. 6. 14.

ſuadere nobis Rex hic noſter potuiſſet: ita nec voluit, quàm tam viuo vitæ, atque obſeruationis propriæ exemplo.

Neceſsè erat pro noſtra inſtructione, tam viuo nos exemplo dirigi:

Luc:14.16
Mat:16.26
Mat: 6.34

Et ſumma noſtra neceßitas id requirebat, vt ita fieret, & ſcripturæ ſacræ eidem authoritas vndique aſtipulatur, & ratio denique ipſa euincit, eo vel maximè fine factum. Etenim certum erat Chriſto, neminem ad ſalutem ſuam admittere, niſi qui mundi vanitates omnes animo excelſo deſpiceret; niſi qui quicquid mundus habet chariſsimum, id odio haberet, etiam vſque ad animam ſuam; niſi qui ſe ipſum propterea totum abnegaret, contraq; crucem ſuam tolleret, ac adamaret, Deiq; ante omnia iuſtitiam quæreret. Id quod frequentiſsimè iteratum legimus in ſcripturis. Eo vt nos perduceret, ad radicem vt ſecurim poneret, neceſſe erat, ad ſiniſtrum, inquam, iudicium, quod communiter habemus omnes de rebus mundi huius, reformandum. Id enim dum ſibi relinquitur, impoßibile eſt, vt non & approbet mirificè, quæcunq; in mundo ampla videntur ac præclara, & totis viribus eadem ſectanda proponat, ſicq; quàm longiſsimè à via ea quam Chriſtus oſtendit ſalutis, nos abducat.

Mundi illecebræ magnæ & vehementes.

Nec mirum id. In conſpectu enim ſunt poſita nobis, ea quæ mundi ſunt omnia; cùm contra cœleſtia longiſsimè abſint, in procliui ſunt omnibus, palpari poſſunt manibus, percipi auribus, luſtrari oculis, ſenſu quouis hauriri. Itaq; etiam, ſi ſuauia ſunt, non poſſunt non ſuauiter afficere; & ſi vtilia ſunt, non poteſt eorum fructus latere; &, ſi illuſtria ſunt,

non

non possunt non summopere allicere. Nihil simile vsu in cœlestibus venit. Ergo & totus mundus passim, mortales, inquam, vniuersi, sponte sua mirificè mundana amplectuntur, omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis ordo, docti indocti, magni parui, senes iuuenes, sublimes, abiecti, omnes ea sectantur, omnes quasi ipsa natura duce & authore, toti in ijs sunt conquirendis, accumulandis, conseruandis, omnes summam quandam fælicitatem in ijs collocatam arbitrantur. Quis verò non etiam ipse eadem approbaret, eadem sectaretur? tanto impetu & sensus quotidiani, & cursus communis omnium terrigenarum abreptus.

Magnę illecebræ mundi, magno exemplo erant reijciendæ.

Hæc igitur opinio, antè omnia euellenda erat ex animis nostris, vt in alteram partem inflecteremur. Obijciendum, inquam, sensui nostro efficax quidpiam sensibile, quod ratio facilè complecteretur; opponendum exemplo tantorum, exemplum aliquod idoneum, quod nemo cum ratione posset reijcere, neminem puderet imitari. Venit ergo Rex iste Sionis, Rex Regum idem, & Dominus Dominantium, imò Deus ipse, conspicuus nobis factus ac palpabilis, qui in contrarium nos sui, atque inuisibilium suorum amorem pertraheret. Venit mundana omnia calcans, atque aspernans penitus, vt eadem nos quoque calcare doceret; cùm tantus esset ipse, quem neque pudere nos meritò posset, ad imitandũ nobis proponere, (vtpotè summum ipsum filiũ Dei) & certum esset errare minimè in eo rerum delectu potuisse, vtpote ipsam sapientiam Patris. Venit

verò eo modo necessario. Nam si ipse quoque in vita sua fuisset, ea quæ in mundo sunt conspicua, affectu aliquo singulari sectatus: iam profectò nemo fuisset inuentus omnium, qui per mundi contemptũ singularem, ad cœlestia sibi contendendum censuisset

60. *60. Atque hoc est, quod de exemplo nobis à Christo relicto, Apostolicæ scripturæ passim insinuant.* Testantur scripturæ vitam totam Christi nobis propositam in exemplum. *Hoc est, inquam, quod Lucas dicit in scriptum se retulisse, quæ* cœperit Iesus & facere & docere. *Primùm, inquam, facere; quæ nos docturus erat.* *Hoc est quod Ioannes, christum non vitam solùm nobis factum, sed & viam & veritatem docet.* Acto: 1.1. *Vitam, inquam, per mortis redemptionem, veritatem* Ioan:14.6. *per fidei doctrinam, & viam per vitæ exemplum.*

1.Ioa:2.6. *Hoc quod idem Ioannes alibi:* Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. *Hoc quod Christus ipse in singulis illecebrarum mundi partibus despiciendis, nominatim nos ad suum imitandum exemplum inuitat.* *Nã cùm tria sint capita præcipua, in quibus omnis* 1.Ioan:2.6 *mundi vanitas versatur; Ioanne teste: Concupiscentia carnis in deliciis, concupiscentia oculorum in facultatibus, & superbia vitæ, in honoribus vitæ huius; ac primùm quidem illud calcarit Dominus continua tolerantia ærumnarum ac dolorũ, vt, qui* Heb: 12.2. proposito sibi gaudio, sustinuerit crucem cõfusione contempta, *alterum verò mira illa, atque extrema vitæ huius pauperie; & tertium denique, perpetua gloriæ omnis mundanæ fuga, ac despectione: ad singula ea seorsim exemplo suo directè nos hortatur.*

Et

Et ad primùm quidem illud, dum identidem prædicat: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. *Ad alterum verò dum diuitem illum studiosè monet*: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & veni sequere me. *Ad tertium demum*: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Et dum de insigni illo humilitatis, quod in pedum lotione dederat, exemplo loquitur*: Si ego, *inquit*, laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Et mox*: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Matt. 10. D 23.* *Matt. 19. C 21.* *Matt. 11. D 29.* *Ioan. 13.*

Denique, hoc est, quod Paulus in vniuersum de toto Christi aduentu loquens, eandem in nobis requirit affectionem cordis, eundum sensum animorum, quem & Christo fuisse animaduertimus, siue in summa illa suipsius exinanitione, qua in forma cùm Dei esset, ad similitudinem hominum efformari voluit, imò etiam formam serui accipere; siue in extrema illa humiliatione, obedientia, patientiaq́; qua humiliauit semetipsum, factus Patri obediens, non vsque ad mortem solùm, sed & mortem crucis: Hoc igitur, *inquit*, sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, &c. *Manet igitur illud conclusum, quod benedictus iste Rex noster Sionis, tam paupere nobis forma venerit, tam humili & mansueta, ac tam denique laboriosa: id* *Phil. 2. A*

non alio fine factum, quàm vt efficax nobis in seipso, earum rerum omnium imitandarum exemplũ præberet, viamq; salutis certiùs adipiscendæ ita commonstraret.

61. *61. Id quod ad extremùm etiam ratio ipsa in fide fundata confirmat. Duplex enim sibi sumpsisse officium in isto suo aduentu primo Christũ inuenimus, cui explendo omnem postmodum vitam suam impendit: alterum vt salutem ipse nobis merito suo compararet; alterum vt in via ad eandem consequendam nos dirigeret. Ex primo Saluatorem eum hoc loco nominat Propheta, alibi redemptorem, aduocatum, mediatorem nostrum nuncupat scriptura. Ex secundo, Regem hîc Propheta, nobis non sibi ipsi venientem, alibi legiferum, Doctorem nostrum, Prophetam, scriptura appellat. Primùm illud sanguinis precio ac merito vitæ obtinendum ipsi erat, alterum doctrina atque exemplo perficiendum. Ad alterutrum horum finium relatum essè intelligamus necessè est, quicquid vnquam in illo genere, de quo diximus, vel suscepit, vel passus est Christus.*

Ratio dictat ob exemplũ nostri tantã suscepisse sui abnegationem Christum.

Atqui ad redemptionem nostram perficiendam, minimum istorum omnium sufficiebat. Minima, inquam, pars istarum molestiarum, quas sustinuit tota vita sua, satis erat; idq; nõ vni solùm mundo redimendo, sed & pluribus, adeóque infinitis, si tot condere Deo ab initio libuisset. Ratio in promptu est, quia infinitæ cuiusdam dignitatis erat, Rex iste noster Sionis, verus simul Deus & homo ipse, ideóque & precij cuiusdam ac meriti infiniti, quæcunque

Officium redemptionis nostræ, minimo poterat expedire Christus.

cunq; Patri æterno pro nobis offerebat: non maxima solùm opera ac laboriosissima illa crucis, sed & minima quæq; ac tenuissima vitæ totius; præsertim quæ, vt Circumcisio, sanguinis aliquam effusionem habebant annexã, quandoquidem in sanguinis sparsione potissimùm redemptionis nostræ precium placuit Deo reponi.

Neque enim tam ex operis ipsius, vel substantia, vel quantitate, coram Deo meriti cuiusuis æstimatur valor, quàm ex operantis dignitate ac præstantia. Quæ cùm in Christo, vtpotè in vero simul ac naturali filio Dei, fuerit infinita, infinitum simul precium ac pondus addidit cuicunque ipsius, quantumuis minimo labori. Sicuti contra etiam offensæ cuiusuis magnitudo ac fœditas, non tam ex admissi ipsius vel substantia, vel momento penditur, quàm ex maiestate illius, in quem peccatur. Quæ cùm in Deo sit infinita, contra quem omne committitur scelus. infinitum simul quendam conciliat reatum cuiuis peccato, quod lethale vocamus; quantumuis id, in ratione sui, minimum fortè nobis videatur, quale infælix illud Adæ pomum fuit.

Certa quidem ista & indubitata sunt fideli cuiuis. Quod si ita: ne illud quidem etiam ambiguum, quod diximus; minimè requisitam ad redemptionem nostram etiam ex condigno operandam, tantam laborum ac passionum molem, quantam Christus subijt, quin etiam guttam sanguinis vnam sufficere ad id potuisse. Neque eo igitur fine susceptam, vtpotè minimè ei necessariam. Ergo ob alterum illum, hoc

est ad nostrum exemplum atque instructionem, vt nos inde & seriò disceremus, mundana ista omnia contemnere, ac cœlestia consectari; & peccati ipsius turpitudinem in se summam, ac diuinorum iudiciorum grauitatem, quæq; ijs innexa sunt, legitimè æstimare, inferni, inquam, damnationem intolerandam in malis, & cœlorum gaudia in bonis incomprehensa. Quæ quidem nos nullo alio argumento æquè discere potuissemus, vel abhorrere in malis, vel in bonis adamare; quàm ex tanto vitæ ac mortis Christi excessu. Sed hæc de hisce. Sequitur vt Ministrorum etiam de ijs sententiam examinemus.

Ministri articulum Aduentus Christi insigniter extenuarunt; dum & annuam eius memoriam sustulêre, & solis prædestinatis factum asseruêre, nec esse iam vllam eius imitationem necessariam ad salutem docuêre.

62\. 62. *OStendimus quàm aptè nos Ecclesia, hoc sacro tempore tum meditatione Aduentus Christi, ad omnem feruorem excitet; tum exemplo eiusdem ad omnem pietatem informet. Quid contra Ministri nostri? Dico si quæ sit eorum in hisce ab ipsismet quæras sententia, non facilè quenquam affirmaturum, se in vllo omnium, quæ diximus, à nobis discrepare. Verum, vt quidam dixit, opera fallunt.*

Plaut: in pseu: Aduentus tempus sustulêre Ministri.

Primum enim, dum omnem sacri huius temporis obseruantiam, quantum in ipsis est, penitus è cœtibus & memoria suorũ eliminauêre, nec quicquam

quam singularis ædificationis in locum eius substituere: Satis quidem eo ipso attestantur, susq; deq; se ferre, vt ista, eo maximè quo fieri diximus modo in Ecclesia, etiam obliuioni perpetuæ mandentur.

Deinde verò, salutis quidem per Christum allatæ, de qua diximus initio, minimè dubitant immensum in se ipso pondus esse? attamen, si quæras, sitne ea verè ex ipsa Christi intentione parta omnibus, atque aperta? hîc iam magna Ministrorum pars, minimè omnibus partam concedet: imò quotquot tandem ab ea excidunt reprobi, ijs ne apertam quidem stetisse vnquam; sed directè, etiã consilio Christi, non culpa solùm ipsorum, præclusam perpetuo mansisse. Hæc Caluinistarũ communis est opinio, docentium pro solis prædestinatis redemptionem aduentus Christi susceptam procuratamue. Solis prædestinatis venisse Christum docẽt Ministri.

Denique quod ad viam attinet assequendæ salutis, exemplo Christi per aduentum eius demonstratam complanatamq;: id eo, quo diximus modo, ne possunt quidem admittere Ministri communiter omnes, cùm nihil requiri in nobis doceant ad salutem, tanquam viam seu medium salutis, præter vnicam ac solam in Christum fidem. De primo horum, diximus quantũ satis esse potest primo discursu, n. 2. 10q; Viam salutis assequendæ in sola fide, non etiam Christi imitatione, esse volunt Ministri.

Non solis prædestinatis venit Christus, sed mundo toti Saluator, idque imitatione sui.

63. DE secundo multa inuenies infra Dominica proxima post Domini Natiuitatem, vbi quomodo Chri- 63. Ministrorũ sententia de Aduentus Christi fine.

Vide Dom: n. 13. Christus positus fuerit multis ex Israël in ruinam (quod Beza cum suis asserit destinato etiam consilio Dei, non sola ipsorum culpa factum) multis in resurrectionem ex professo disputatur. Vide ea de re summarium discursus illius totius initio positum, vt inde porrò colligas, quæ loco huic commoda sint futura, siue ad sententiam Ministrorum ritè intelligendam, atq; à Catholica secernendam; (de qua ibi maximè n. 13. 14. 31.) siue ad veritatem ipsam Catholicam inde confirmandam (de quo potissimùm n. 8. 9. 16.)

Hîc vt ne longiores euadamus, quàm par est, hoc solùm libet ex superioribus considerare attentiùs, certissimum videri ex ipsa ista historia Aduentus huius Dominici, quam tractamus, etiam indignissimis ac maximè reprobis, hanc eandē exultandi ac iubilandi, occasione Aduentus huius, materiam, denunciari paratam. Demonstrauimus id duplici nos ex testimonio scripturarum; primùm ex ipsa illa Zachariæ vaticinatione, vbi docuimus filiam Sion
n. 55. filiamúe Hierusalem, quas ille ad litteram alloquitur, populum fuisse eum Iudæorum, cum principibus ac senioribus suis, qui eo ipso tempore, etiam ad
n. 56. crucem tandem Christum adegêre. Quod ne fortè quis in dubiū vocaret, ex altero inde approbauimus quo Christus ipse adimplens Prophetæ prædictionem, confirmat, se ea quæ ad pacem, hoc est, ad salutem erant ciuitati toti, in hac visitatione sua ipsi offerre, licet interitura illa nihilominus, sed culpa sua, æternum esset.

Confer

Confer accuratè loca ista duo scripturarum, & clarissimum tibi fiet quod dicimus. Vna enim eademq; de re loquuntur, & alter alterum interpretatur, Christus, inquam, Zachariam, idq́; non re solùm ipsa, adimplens facto, quæ ille sermone prædixerat, sed sat claris etiam verbis. Eo enim propriè pertinet illud Christi: Et quidem in hac die tua. *Iis enim declarat, se de ea ipsa luce ac die, etiam nominatim loqui, de qua eadem certum est Prophetam loqui, hoc est, qua asino ipse insidens, mansuetus ac Saluator tum veniebat ciuitati. Et de ea ipse dicit,* ea quæ ad pacem, *se illi offerre, eademq́; singulariter ad tempus misericordiæ ac visitationis ipsius pertinere, & ipsam tamen sic quoque, sed culpa sua, miserrimè perituram esse.*

Et Zacharias & Christus, etiam reprobis Dominum testantur venisse.

Atque eodem pertinet illud etiam, quod paucis post diebus eidem impiæ filiæ Hierusalem intonat Christus, cùm eam increpans: Hierusalem, Hierusalem, *inquit,* quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. *Eodem quod Ioannes alibi:* Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In propria venit, & sui eũ non receperunt, quotquot autem receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Eodem, & quidem maximè, quod illa similitudine declarat Christus, qua regijs nuptijs regium aduentũ suum comparat; clarissiméque simul demonstrat, iussisse*

Mat. 23. 37.

Ioan. 1. B

iußiße se denunciari inuitatis, etiã perditißimis; parata eße ipsis omnia, vt venirent: Dicite, *inquit*, inuitatis, ecce prandiũ meum paraui, tauri mei & altilia occisa, & omnia parata, venite ad nuptias. *At quales illi?* Illi autem, *inquit*, neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam, reliqui verò tenuerunt seruos eius & contumeliis affectos occiderunt. *Hæc ibi Christus: Qui verò omnium reproborum, qui vnquam fuere, qui modò sunt, qui olim futuri sunt, magis reprobi quàm isti, ideóque & minùs prædestinati, quàm isti? Et tamen ad nuptias aduentu hoc Domini instructas inuitantur, vocantur, parata sibi omnia habere nunciantur.*

Matt. 22. A

Absit igitur longißimè, omnis à nobis talis opinio, quenquam ex parte Christi ipsius ac definito consilio eius, ab Aduentus huius gratia abactum existimare. Omnibus patet materia gaudiorum ipsius, omnibus paratum est nuptiale conuiuiũ ipsius, omnibus in promptu est fons ablutionis illius; tantum vt obsequamur ipsi, & accuramus, & loti ingrediamur nuptias illas, & vestitu nuptiali instructi accumbamus; & omnia ecce salua nobis. Et hæc quidem propriè de Caluinistis nostris nouis hæreticis prædestinatianis.

64. *64. Iam de tertio illo, quo ad viam salutis per Christum monstratam: in eo communiter, & Caluinistæ, & Lutherani æquè, & errant ipsi, & in errorem suos mittunt. Nihil iis certius, quàm sola nos fide per*

Ministrorũ de via salutis, per Christi imitationem, sententia.

per Christum, vt medio saluari, opera nostra non nisi in fidei testimonium requiri. Fide enim aliòqui fieri, vt omnia quondam opera Christi, omnia merita, omnis virtus nobis applicentur, imputentur, conserantur, ac propria deniq; fiant. Nimirum fide apprehendi Christum, quantus quantus est, cum omnibus diuitiis gratiarũ suarum, in quibus & summa illa paupertas, & infima humilitas, & extrema mundi despicientia, vna cum obedientia, reliquisq; eius virtutibus vniuersis. Apprehendi autem eo modo, quo eleemosyna oblata aut gratia quæuis, manu mendici apprehenditur, sicq; in propriam venit accipientium potestatem. Igitur, quod talium imitatio in nobis requiratur, neq; id tanquam ad adeunda cœlestia necessarium requiri; cum vna virtutum illarum Christi merita, ad id abundè sufficiant; quæ omnia iam fide nostra sint facta: & impossibile esse, vt satis præstemus; cum omnia opera nostra cũ peccato etiã mortali necessariò sint coniuncta, ideóq; etiam sola inchoata quædam in iis omnibus, obedientia sufficiat, quæ hominibus testetur fidem nostrã viuere, non quæ Dei iudicio foret satis.

Praxis communis Euangelicorum in seria Christi imitatione.

Hæc communissima est Ministrorum de operum Christianorum conditione doctrina; hæc tota imitationis Christi apud illos ratio, seria, inquam, illa nulla, neq; in re ipsa. & executione; neq; in fide eorum, & opinione. Id quod vel sola experientia quotidiana, ac vulgaris Euangelismorum istorum omnium cursus abundè testantur. Vbi enim vlla spontaneæ paupertatis, qualis in Christo fuit, ac plenæ ab-

næ ab-

næ abdicationis facultatum omnium, vestigia apud illos? Non solùm nulla ea est in re, sed & superstitionis cuiusdam extremæ insimulata, opinione ipsorū, in religiosis ordinibus nostris, qui talia profitentur.
Mat:19:12 Vbi vlla perpetuæ castitatis, qualis Christi fuit; ac plena cuiusdã sui ipsius voluptatumq; carnis omnium castrationis, vt Christus loquitur, professio apud illos? Et ea quoque exterminata penitus Euangelismis ipsorum, & doctrinæ dæmoniorum nomine, in Ecclesiastico nostro cœtu condemnata. Vbi voluntariæ mortificationis sui ipsorum, ac crucis propriæ, in asperitatibus vitæ huius quibusuis sponte suscepta tolerantia? qualis Christi fuit in tam arduo illo ieiunio, totq; aliis vitæ illius ærumnis laboribusque. Ne mentio quidem, in forma tali, quin ipsa quoque Antichristiani cuiusdam cultus specie, in nobis reprobata atque exsibilata. Eademq; ratio est ad extremùm, etiam de obedientia perpetua, quæq; per eam fit, propriæ voluntatis in humile obsequium maiorum abnegatione, quam noui isti Ministri nostri, ad exemplum Christi, iam ne norunt quidem.

Propria Christi de imitatione sui sententia.

Longè verò nos aliter imbuit Catholicæ doctrinæ veritas, quæ vt vt re ipsa, tam perfectam illam Christi imitationem in extrema sui ipsius, rerumq; omnium, ac mundi huius totius abdicatione, minimè præceptam vniuersis norit: attamen in animi saltem approbatione præparationeq;, si ita res ferat, cunctis necessariam docet: & quidem vt medium quoddam vnicè requisitum, atque à Christo præscri-
Luc:14.26 ptum omnibus adipiscendæ salutis: Si quis enim, inquit

inquit ille, venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suã, nõ potest meus esse discipulus. *Et mox:* Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. *Itemq; mox*: Qui habet aures audiendi audiat. *Ita vt inaniter tibi polliceatur regnum Christi, quicunque illud non iisdem persecutus fuerit vitæ suæ vestigiis, quibus id persecutus est Christus.* Luc:14.33

Stat hæc Regi Sionis isti fixa immotaq; sententia, vt, quemadmodum ipse non nisi per angustissimam viam, arctissimamq; portam vitæ totius suæ laboriosissimæ, crucisq;, intrauit in gloriam suam: ita nemini pateat aditus eodem, nisi qui & ipse per angustam abnegationis suæ portam contenderit eodem. Ignauus illi reprobusq; miles, pugil, cursor, operarius est, quicunque absque certamine coronam, absque lucta præmium, absq; cursu brauium, absq; labore mercedem salutis sibi deposcat, cùm neminem saluti prædestinarit Pater eius æternus, quem simul etiam non prædestinarit, priùs conformem fieri imaginis filij sui, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus; *omnibus nimirum illis indolis eiusdem, sensus animorum ac spiritus eiusdem, lineamentorum denique omnium, per vitam Christiano more ritè exactam cum primo genito illo eorundem.* Luc:24.26 Luc.13.24 Rom:8.29

Magna corruptela in his Ministrorum, mirifica mundi illusio.

65. AT vero his positis, quantam corruptelam 651

articuli huius de Christi Regis nostri aduentu inuexisse Ministri isti, dicendi sunt? quàm grauiter à se decepto mundo illudere? Nolumus hîc altius repetere, quanta eo ipso & piæ consolationis, & Christianæ instructionis segete, priuarint rudem plebem suam, dum sacram istam aduentus Dominici obseruantiam ex suis conuentibus sustulere: de qua re nos discursu priore fusiùs) illa duo de quibus proximè, quæ propria sunt loci huius, quantæ sunt deprauationis? quantæ fraudis? Voluit primùm Christus Aduentus sui salutem propositam atque patentem esse ex parte sua omnibus, etiam ingratissimis, etiã certò tandem perituris, vti vidimus. Itaq; omni hominum generi etiam reproborum denunciari eam facit, & tanquam ijs etiam, imò toti mundo parata omnia denunciari, & quidem non fictè illud, non simulatô: sed verißimè; vtpotè diuinitus ad id destinatis preconibus suis. Veniunt verò ecce præclari isti Euangelij prædicatores, & intra arctißimos quosdam limites, ex ipsius etiam Christi parte contrahunt constringuntq; totum eum apparatum: imò eo tandem angustiarum includunt: vt si benè attendamus secundùm ipsos, nemo tandem ne ipsorummet quidem, reuera certus esse posit, verè ne sibi etiam sit parta per Christi aduentum salus, portaq; aperta cœlorum an secus.

Dom: infr. S. Nat. Nimirum nemini secundùm eos venit redemptor Christus nisi prædestinato; cæteris, si quibus Euangelium prædicatur, potiùs in ruinam positus venit, vt infra de eorum sententia docebimus, quam salu-

ſalutem, idq́; proprio ac diſtincto conſilio ſuo. Prædeſtinatus nemo eſt niſi fidelis, & quidem ſecundùm ipſos, Bezano ſeu Caluiniano ſpiritu fidelis, quiq́; propterea etiam hoc ipſum credat, quod dicimus, nemini Chriſtum veniſſe non prædeſtinato. Tales per omnia, & ante iſthæc ſæcula fuere nulli vſpiam terrarum; quod indubitatum nobis eſt, & nunc quoque, ſi toti reliquæ hominum vniuerſitati comparentur, ſunt pauciſsimi, quod æquè certum eſt. Extra eos quicunque ſunt, quicunque fuere vſpiam terrarum, quicunque futuri ſunt mortalium, non ſolùm re ipſa nemo vnquam, vel habuit, vel habet, vel habiturus eſt, partem vllam in aduentu Chriſti ſalutis: ſed ne ex parte quidem Chriſti, vel potuit habere vel poteſt, poteritue ſecundùm iſtos, quia noluit pro ipſis pati Chriſtus; ipſo arcano ſuo conſilio, & de induſtria eos omnes excluſit, ſeiunxit, reiecit penitus ab omni participatione ſui, nulla etiam habita peccatorum ipſorum ratione. Si quid igitur iis vnquam vſpiam prædicatum fuit Euangelii; ſi quid annunciatum gaudii, de Saluatoris aduentu, ſi qua ſalutis pars oblata: id ex ipſius Chriſti parte nunquam verùm fuit ſecundùm iſtos, nunquam ratum, ficta igitur, fucata ſimulataq́; in eo genere omnia. Sed & in hunc diem æquè quantumuis congregationi alicui integræ Aduentus iſtius Dominici læta denunciatio fiat, ad neminem tamen ea pertinet, niſi ſimul Caluinianam acceptet prædicationẽ. Quin talis etiam quicunque ille ſit, nihil habet certius, ad ſe quoque pertinere poſſe partem ſalutis

istius, nisi quatenus de ipsa sua æterna prædestinatione Dei certus est. Id verò cui tandem eorum omnium patet? cui reuelatum? cui plenè compertum est? An non certissimum illud, quod dicit scriptura: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.

Eccle: 9. 1.

Nemini certum relinquunt Ministri verè pro ipso venisse Christum.

Sed enim certissima sibi fide sua persuadent, se certos esse prædestinationis illius. Ita quidem miseri: sed & in omni ista sua persuasione certissimò se decipiunt, cùm ipsa experientia quotidiana doceat, infinitos eorum, etiam post omnem persuasionem huiuscemodi mutare tamen passim opinionem; & vel redire ad Catholicos à quibus exiêre, vel longiùs etiam siue ad Arianismum deficere, siue ad paganismũ plenum; semetipsos ita in priore illa sua sententia erroris ac deceptionis condemnantes.. An non igitur reuera ita nemo tandem certus, venisse etiam sibi Christum redemptorem in mundum, secundùm Ministros istos, ne ipsimet quidem Bezano spiritu tincti fideles? Et tamen plenis buccis interim pollicentur aduentus eiusdem nomine, omnem salutem, omnem gratiam, omne gaudium, omnibus auditoribus suis, & quidem nomine Dei ipsius pollicentur, eius se certissimos Apostolos nunciosue in id annunciandum missos mundi toti, mentiuntur. An non ergò extrema Aduentus Dominici deprauatio isthæc? An non turpissima mundi illusio?

Illusio mundi per Ministros inuecta.

Mat. 22. A

Instruxit aduentu suo cœnam magnam cœle-

stis

stis Rex noster Christus mundo vniuerso, iussit denunciari vniuersis parata omnia: Illi excusarunt. Negant Ministri, ijs quicquam etiam inde ab initio inuitationis, fuisse à Christo paratum. An non maxima corruptela ista? Nihilominus etiam ita pergunt, Dei nomine inuitare quemuis, etiam talium, tanquam ad sibi parata omnia. An non indignissima illusio ista? Comparauit aduentu suo medicamenta saluberrima animorum cœlestis medicus Christus mundo toti; Aduocari iussit omnes quotquot laborent morbo quocunque damnationis, accedant, vtantur, sanentur: Venite, *inquit,* omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c. *Plurimi renuunt. Negant Ministri ijs quicquam nomine Christi verè propositum pharmacorum. An non insignis deprauatio ista? Nihilominus tamen sic quoque eosdem non cessant Christi nomine excitare, etiam renuentes tales, ad acceptanda sibi oblata remedia salutis. An non miserrimus fucus iste? Denique promeruit aduentu suo brauium fælicitatis æternæ cœlestis athleta noster Christus mundo vniuerso; quod idem proposuit omni homini in harenam descendenti, ac legitimè decertanti ad finem, atque ad id præstandum communiter omnes homines promiscuè exhortatur. Multi ingredi certamen renuunt, multi in medio deficiunt. Negant propterea Ministri iam inde ab initio talibus quicquam ex ipsius Agonothetæ parte propositum. An non peruersa interpretatio ista? Nihilominus tamen sic quoque instant etiam ijsdem, vt pugnent acriter, vt perseuerent, vt bra-*

niũ consectentur. An nõ fœdissima quædam fraus? fœdissima deceptio ista? Sed hæc quidẽ ex parte quastionis istius: Quid verò de altera illa? an non simillima Euangelismorum istorum ratio?

66. *66. Voluit enim ecce secundò Christus, partam quidem esse salutem aduentu suo hominibus omnibus; sed eandem tamen communicatam nulli, nisi qui eadem via, qua ipse in mundo hoc, re ipsa insisteret; qui, inquam, ad ipsius exemplum, animo toto, & mundum ipsum, & quæcunq; sunt mundi pro ipso Christo despiceret conculcaretq; eundemq; ad finem potissimùm omnem eiusmodi suscepit, quam ostendimus, vitæ tam contemptam mundo rationem. Veniunt verò ecce præclari isti Ecclesiæ reformatores, & conditionem quidem illam, exemplo Christi requisitam, minimè verbis negant: at re ipsa totam tandem in alienum sensum ita deflectunt distorquentq;, nihil vt integrum in ea suis reliquum faciant; nec desistunt tamen sic quoq; omnem salutis copiam suis polliceri. Deflectunt, inquam, dum vnius fidei apprehensionẽ satis esse suis prædicant ad omnem Christi virtutẽ, cuiuscunq; generis penitus penitusq; sibi appropriandam, haud secus ac si quis ipsemet easdẽ Christi actiones peregisset: de cætero satis esse obedientiam præstare eam Christi imitationi, quam fides talis dederit, quamtumuis inchoatam tantùm atque ex ipso suo genere peccatis etiã varijs contaminatã.*

Fœdissima Euangelij totius deprauatio, turpissima mortalium illusio. Deprauatio, inquam, tum quia longè aliam docuit sui imitationem, tanquam

viam salutis necessariam, vti vidimus, Christus; quam imaginariam talem; veram, inquam, illam, realem, operosam, atque actu ipso exercitatam: tum quia sic omne consilium, etiam Christi ipsius, in tanto mundi contemptu vita sua tota præ se ferendo, penitus exinaniunt ita abolentq;. Solius namque ita meriti gratia susceptam à Christo omnem illam tam extremam, tamq; mundo insolitam vitæ tenuitatem, asperitatemq; fateantur necesse est: non verò vlla realis exempli nostri, aut instructionis causa, de qua re nos fusiùs antè (n. 51.) At merito Christi quæuis sufficiebat, etiã communissima vitæ ratio, imò quæuis vel minima Patri præstita obedientia, vt æque vidimus antè, quandoquidem omnis operis cuiusuis exilitatem in ipso, immensa personæ in eo operantis merentisq; Maiestas facilè supplebat. Inane ergo ita fuit etiam in Christo ac superuacuum, quicquid vltrà consuetum hominibus omnibus viuendi morem assumpsit, inanis, inquam, tantus paupertatis tam insolitæ cultus: inane perpetuæ castitatis studium; inanis tantæ despectionis amor; inanis reliqua austeritas omnis; Non minùs atque apud Euangelicolas istos omnes Ministrorum sectatores hodieq;, omnia talia vanissima nunc censentur, si quis similia fortassè conetur. Nempè quia Christi, inquiunt, meritum ipsis ad omnia est satis. At æquè & absq; istis, Christo ad meritum omne, quæuis alia vitæ ratio poterat esse satis. Fœdissima igitur deprauatio isthæc.

Nec minùs certè turpis hominum miserrimorum

rum deceptio, qui sic quoq; ab istis perpetuò iubentur esse securi de salute per Christi aduentum parta, cùm ne pedem quidem adhuc posuerunt vnum in viam directam salutis illius: adeóq; ne cogitationem quidem adhuc seria nullam ac legittimam conceperint, eiusdem salutis ritè adeundæ.

PARÆNESIS VNICA Ad Lectorem.

67. 67. AD *te ad extremùm venio, Lector amice, quisquis es, tecum hîc colloqui vnáq; tecum, meditationem isthanc totam concludere, ac quid hinc te peculiariter obseruare in rem tuam par sit, expendere volo.*

Sacrum aduentus Dominici tempus adesse minimè te latet; ac ne illud quidem te fugit, in eo aduentũ Christi, pia Ecclesiæ celebratione recoli eum ad finem, vt fructum salutis per illum nobis comparatum, & certiùs, & copiosiùs assequare.

Pia meditatio Dominici Aduentus. *Attende igitur primùm diligentiùs piissimam piæ matris Ecclesiæ, eum ad scopum ex Propheta admonitionem.* Ecce,*inquit ea, ô quæcunq; es anima fidelis, filia Sionis noua: filia spiritualis Hierusalem,* Ecce, *inquã,* Rex tuus venit tibi iustus & Saluator. (ipse pauper ac mansuetus) & ascendens super asinam & pullum filium subiugalis. *Attende hæc, inquam, paulò accuratiùs, & videbis nil aptiùs tempori, nil breuiùs verbis, nil sensu fœcundiùs, nil ad salutis in te desiderium studiumq; excitandum formandumq; efficaciùs, tibi proponi potuisse.*

Zach. 9. 9. Matt. 21. 5.

Vis enim intelligere primùm, quis sit iste aduentus, de quo nunc meditandum tibi? Aduentus est Regis Sion: Ecce *enim inquit, ô filia Sion*, Rex tuus venit tibi. *Aduentus ille omnibus antiquis sæculis expectatißimus, aduentus omnibus olim sanctis desideratus. Ille, inquam, quem multi iusti & Reges, & Prophetæ, quondam cupierunt videre, Christo ipsô testante, nec impetrauêre tamen, quantumuis ardentißimis eum votis, ità vt vel disrumpi cœlos ipsos propterea exoptarent, ad patefaciendam proficiscenti ad nos faciliùs viā, expetiuêre. Id quod propterea quotidianis hoc ipso tempore repetitionibus iterat, rememoratq; tibi Ecclesia, dum illud identidem Prophetæ suis occinit:* Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem; *vt vel inde discas, si sapias, quàm nunc quoque tibi cordi sit habendus ille, qui tam quondam optabilis visus est antiquis illis sapientibus Domini aduentus. Ecce enim, idem ille iustus, quem vt nubes pluerent ille optabat: idem ille Saluator, quem vt terra germinaret, desiderabat; idem, inquam, ille Rex venit adestq; tibi, iustus simul & Saluator.*

Quis aduentus iste, & quam olim optatus.

Luc. 10. 24

Isa: 64. 1.

Isai 45. 3.

Vis verò simul & clariùs perspicere, quæ sit tota conditio aduentus eiusdem? Ecce Rex est, qui venit. Et quantus ille, qui simul est Deus omnium creator natura, & homo omnium redemptor merito; vt & natura & merito, omnis sit creaturæ hæres absolutus, ideóque Rex Regum omnium, & Dominus omnium Dominantium? Vidisti de his superiùs suo loco plura, n. 53.

Rex est, qui venit, & quantus.

2. Rex tuus, & quomodo.

Ecce verò idem Rex, secundò; Rex tuus est. Non, inquam, peregrinus quispiam, & de quo fortè cogitare possis, nihil ad te pertinere, quod veniat; vt si de Rege quouis extero audias, quantumuis illo potente ac diuite; puta vel Chinensium, vel Iaponiorum, vel Tartarorum, vel similium alienigenarũ, per fines fortè tuos transituro: sed Rex tuus. Tuus, inquam, etiam Rex, tuus Dominus, & natura, vt dixi, quia te creauit, & emptionis iure, quia te redemit. Et quidem Rex eo ipso, tuus absolutus, hoc est, non qui, vt Reges mundi huius, vel in solas fortunas duntaxat, quale quale Dominium habeant; vel si multum, & in corpus ipsum ac vitam hanc mortalem, nec longiùs, ne ad capilli quidem vnius latitudinem, se extendere vllo modo queunt: sed Rex, qui plenam semper potestatem habeat, & in animã, & in corpus; hoc est, & in temporaria tua ista præsentia, & in futura ac sempiterna: Qui, *inquam, vt ipse dixit aliquando,* & animam *possit* & corpus tuum perdere in gehennam.

Mat. 10. 28

3. Rex veniens tibi & quomodo.

Et ecce tertiò tantus iste, ac tam propinquè ad te quoque pertinens Rex, venit tibi. Non *sibi, inquam, venit, sed tibi, & quidem tibi quoque, seu quisquis es, seu qualis qualis es, nominatim, ac in particulari; ita denique tibi, ac si soli tibi, nec alteri cuiquam. O rem omni consideratione dignissimã.*

Nil sibi quærit Rex iste, sed nobis.

Non venit, inquam, quemadmodum Reges huius sæculi venire solent, vt tributa, census, vectigalia tibi imponat, vt ex te sibi thesauros colligat, vt ditior ipse ex te fiat, vtpotè solus sibi per omnia sufficiens;

ens; & tantus in se, vt nulla ei possit fieri in vllis bonis suis, inq; inexhausto illo pelago thesaurorum suorum accessio: sed quantus quantus venit, tibi venit; tibi bono, si velis, tibi saluti, si satagas, vel certè damnationi maiori, si negligas, venit: vtpotè & iustus simul & Saluator; iustus vindex malorum, ac negligentiũ, piissimus verò, ac mansuetissimus, Saluator pœnitentum. Is est enim iste Rex idem, qui de seipso testatur, non venisse se ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Tibi verò etiam venit, quicunq; es in particulari. Propterea enim in singulari Propheta loquitur: Dicite filiæ Sion: Ecce venit tibi. *Non, inquã, dicite Sioni, dicite Hierosolymis: Ecce vobis adest Rex vester: sed filiæ Sion, etiam vnicuiq; filiæ Hierusalem cuicunq; etiam illi, vti vidimus, indignissimæ ac maximè omnium reprobæ, & quæ nihil æquè tum moliebatur, quàm quomodo, quàm ægerrimè faceret ipsi Saluatori, ipsumq; adeò si posset, pessundaret totum. Neque enim ex parte sua Rex iste noster, cuiquam etiam tali fores præclusas vult salutis suæ; quin patẽtes eas ac apertas ex se & omnibus, & singulis; & tibi quoque, inquam, quisquis es, seu magnus mundo, ac illustris, seu infimus ac despectus totus, seu pius ac magnus Deo, seu impius totus, ac propterea vel maximè inuisus Deo. Propterea enim etiam in cruce iam pẽdens pro ipsis illis impiissimis carnificibus suis, piissimam ad Patrem tandem fudit Rex idem Saluator intercessionem.*

Cuiuis etiam in singulari venit Rex iste.

N. 45. 46

Luc. 23. 43.

Cuiuis etiam totus venit Rex iste.

Tibi quoque venit, inquam, itaq; se tibi impendit totum, ac si soli tibi se debuisset totum. Neq; enim aliud precium redemptioni applicuit singulorum, aliud mundi vniuersi; sed totum sese omnibus, & totum singulis. Tantidem, inquam, constitit illi salus tua, quisquis es in singulari, ô homo, quanti mundi totius hominumq; vniuersorum. Infinito enim merito precioq; sanguinis Regis huius, æquè opus fuit, vt redimerere tu: quiuis, inquam, hominũ omnium (vt ex interminatis videlicet illis inferni suppliciis, ad immensa gaudia cœlorum transferêre;) atque vt mundus ipse redimeretur vniuersus. Ergo fidenter de se aliquãdo dicit, magnus ille quondam peccator, imò vt de seipso alicubi testatur, peccatorum primus S. Paulus: Qui dilexit me, *inquit, de Christi aduentu loquens,* & tradidit semetipsum pro me. *Semetipsum, inquit, quantus scilicet quantus erat, tradidit filius Dei Christus, etiam pro me, diligens me.*

1. Tim. 1. 15 Gal. 2. 20.

Venit pauper & mansuetus Rex noster.

Ad extremum verò, Ecce etiam in his omnibus venit tibi idem Rex tuus pauper ac mansuetus totus, & ne summi quidem triumphi sui, in mundo hoc, tempore; aliud iumentum, quam asinam pullumue eius ascendens ad equitandum. Ita scilicet semetipsum exinaniens per omnia tui causa; quia tale quid tuæ salutis conquisitio in ipso requirebat. Cùm enim Rex esset ditissimus ipse, fieri tamen ad tempus voluit omnium pauperrimus, vt ita æternas tibi cœli diuitias compararet; & cùm esset gloriosissimus omnium, voluit fieri videriq; despectissimus

mun-

mundo, vt ita amplissimos tibi cæli honores obtineret, & cùm omnibus denique cæli deliciis optimo iure potuisset perpetuò affluere, proposito tamen licet tanto sibi gaudio, elegit crucem confusione contempta, vt ita æternas tibi cælorum voluptates promereretur. Tanti nimirum fuit, tui se Regem istum profiteri Saluatorem, tanti fuit venire, vt salutem tibi conquireret æternam. Hebr. 12. A

68. *Ecce igitur quis iste qualisúe aduentus, de quo nunc Ecclesia, breuissimis quidem illis, at simul plenissimis verbis Propheta ab eadem tibi propositus declaratusq́;. Iam hîc te porrò ego compello, Lector amice quisquis es, patere verò tu obsecro, paulo me propiùs etiam ad cor tuum & cogitationes loqui. Intellexisti enim certè Regem tuum aduentantem tibi denunciari, idq́; ipsum quale & quantum sit, exemplis his ex Prophetæ Ecclesiæq́; verbis didicisti. Tu verò interim quò hæc animi tui sensu acceptas? quò hæc, inquam, sensu, vel excepisti iam, vel excipienda hisce diebus tibi statuisti? Afficiunt ne ea animũ tuum, vti fas est, iamq́; tanto Regi aduentanti aditũ ad te, vt par est, idoneum facere propterea decreuisti? an hæres etiam num dormitabundus, ac stertens totus, haud secus ac si ad te nil spectaret denunciatio talis? Nempe hæres tu etiamnum fortassè, illa cogitatione detentus: pridem iam præteriisse quæ Propheta denunciauit, pridem, inquam, aduenisse Christum, pridem consumasse cursum suum, pridem rediisse in cælum vnde venerat: nec esse propterea quod nunc quasi peculiare quid autem nouum, no-* 68. Pridem præterijt Christi aduentus.

bis

bis tale quid patiamur denunciari, quodq; nouos inde animorum motus singulares vllos, tanquam de re noua ac singulari concipiamus.

Nec tamen propterea modo negligendus.

At memineris stultißimum primùm esse omnem huiuscemodi sensum tuum. Quid enim? venit ante mille sexcentos iam annos Christus, nũ tu propterea iam tum totus mundus à peccatis tuis, totus saluus ac beatus à miseriis tuis? qui heri primùm aut nudius tertius conceptus, ac mundo huic editus fuisti, qui hodieq; mille malis ac calamitatibus in corpore, mille noxis ac peccatis in anima obnoxius infectusq; manes. Si satis tibi, tot iam ante sæcula præteriisse Domini ac Saluatoris tui aduentum, quomodo in tantis etiamnum hodie ærumnis tu? sin ab his quoque etiamnum hodie liberandus saluandusq; es, quomodo absq; adueniente tibi Saluatore liberabere? quomodo absque denunciata tibi salute eius aduentante? quomodo absque præmonitione animi tui quam tantopere in Euangelio hoc commendatam vides, vt non aliam ob causam illud Prophetæ addiderit Euangelista: Dicite filiæ Sion; *non aliam ob causam illam exhortandi particulam,* Ecce Rex tuus *vterq; expresserint, & Propheta, inquã, & Euangelista?*

Sed enim nullo fortaßè dices certo ad id tempore anni opus fuisse, quod inde aduentus diceretur. Toto enim anno paßim tali nos memoria excitandos, atque animo reformandos esse. Non malè tu id quidem, sed si omni tempori vitæ ipse id sentis commune esse debere, quomodo non etiam huic? Quòd si toto

reliquo

reliquo anno paßim tu ignauus ad ista totus, & frigidus, & extra omnem sensum deuotionis singularis in hisce positus; an non tali nunc tanto Ecclesiæ Catholicæ studio excitatus, te vel meditationi trades totum merito, exurgesq; in Regis tui occursum? Planè nisi insensatus sis totus ac vecors, intelliges tute ipse concludesq; tecum, meritò vel nunc attendendum tibi diligentiùs, sinusq; animi tui omnes pandendos, vt eos liberè securéque subeat, cum omni salute sua aduenien s iste Rex tuus tibi Saluator.

Omninò præparandi animi aduentui Christi.

69. *Neque enim aliud etiam Ecclesia ipsa, in tota ista aduentus Christi celebratione propositum habet, quàm vt id, quod anno toto, cùm paßim à nobis fieri deberet, paßim tamen negligitur: vel ea ratione nunc nouo quodam studio pietatis suppleatur, ad fructum Dominici aduentus, in animis nostris inserendum innouandumq;.* 69.

Perge igitur iam mecum, & cùm animaduertas, omninò præterire te cum ratione non posse, quin nouo quodam animi sensu, tempus istud sacrum concelebres, ex ijs ipsis quæ dicta sunt hactenus, qualis iste meritò esse debeat animi tui sensus nouus condisce. Ecce enim Rex est, qui venit tibi in mundum Saluator. Rex vti vidimus optimus, maximus; Rex tuus proprius, hoc est in te quoque plenißimam vitæ ac necis, etiam æternæ, potestatem habens. Rex qui seipsum totum etiam tibi, hoc est, etiam tuæ vnius saluti procurandæ impendit, ita vt nihil ampliùs pro reliquo mundo vniuerso saluando laborârit, quàm pro te vno; nihil minùs pro te vno, quàm

pro

pro reliquo mundo vniuerso. Iam tu igitur ipse inde iudica, qualiter te esse deceat affectum, vt ritè excipias, taliter tibi aduenientem Regem Saluatorem tuum.

1. Animo euigilandū. *Certè enim segniter te hîc agere primùm nullo modo conuenit. Id enim neque immensa maiestas Regis huius, neq; seuera eius iustitia, cum summa potestate vindictæ omnis coniuncta (venit enim Rex iste etiam iustus, & non Saluator solùm) neq; maximum salutis momentum, quod talis iste ac tantus Rex, non aliter quàm tali tamq; ærumnoso suo aduentu, parere tibi potuit solus, debuitq; ferrent. Sed & turpissimum tibi foret, tam parum te tam optato nuncio iam præsentis Saluatoris permoueri, dum ad eum excipiendum excitaris; quem antiqui illi patres, tam ardenti, vt vidimus, cum desiderio expetiuêre, antequam venisset, vt vel cælos ipsos disrumpi propterea, ad exitum ei ad nos faciliorem aperiendum, peroptarint. Ergo huc illa propriè spectat, & pia pariter & æquissima Ecclesiæ commonitio, qua ipsum primum sacri huius temporis ingressum facit, quamq; meritissimo identidem in diuinis suis officiis hodie iterat ingeminatq;.* Fratres, *inquiens* hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quàm cū credidimus, *& quæ sequuntur. Denique surgendum tibi primùm à somno ignauiæ est, satagandum & sollicitè inuigilandum est, vt tantùm Saluatorem condignè excipias, cum tanta aduenientem salute.*

Isa: 64. 1.

2. Etiam surgendum à peccatis. *Et quia idem ipse Saluator, cum summè etiam iu-*

am iu-

um iustus sit, non potest non omnem nequitiam summopere auersari: illud quoque inde ante omnia tibi sedulò cauendum est, vt ne tot antiqua peccata nouis, hoc maximè tempore, flagitiis accumules.

Surgendum igitur secundò etiam à somno peccatorum, a letheo, inquam, illo ac mortifero sopore iniquitatis, ab operibus sectandis tenebrarũ. Neq; enim habitare poterit summa innocentia in corpore animaue subdita peccatis; neq; saluandum suscipiet quenquam medicus iste, ac Saluator cœlestis, qui pergat continuò nouis atque lethalibus se conficere perdereq; vel ægritudinibus, vel plagis. *Sap: 1.*

Quia verò idem iustus Saluator, passim de seipso protestatus est, omni quidem homini se venisse ad salutem, & maximo peccatori cuiuis; nec vllum tamen se admittere ad eam nisi per condignos pœnitentiæ fructus: (Non enim veni, *inquit ipse de se,* vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: *Ideóque & prima omnium eius concio non alia fuit, quàm:* Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum:) *hinc in illud iam etiam seriò est incumbendum tibi, vt non tantùm nouis te modò non inquines peccatis; sed etiam ab antiquis tuis, & pridem commissis, animum tuum omni studio expiare contendas.* 2. Abijcienda opera tenebrarum. *Mat. 4. 17. Mat. 9. 13. Matth: 4.*

Ita ergo iam tertiò etiam surgendum tibi à somno est peccatorum, vt opera tenebrarum in posterum non fugias solùm, declinesq; : sed etiam quæ olim fortè fuerint à te commissa, abijcias à te penitus, elimínesq; per pœnitentiam. Neque enim alia conditione, di-

ne, diuinus hic medicus noster ac Saluator, quenquam suscipit in curam suam, vt salutem ei suam propinet: nisi qui medicinas in id à se summo iudicio comparatas admittat vsurpetq́; Prima verò post relapsum medicina ipsius ac proxima, pœnitentia conuersio est.

4. induenda arma lucis. *Ad extremùm, quoniam tota animæ nostræ sanitas ac rectitudo, (quam diuinus hic noster Saluator, propriè mundo intulit, & à qua omnis illa tandẽ in cœlis etiã, salus æterna initiũ sumit) in eo est posita, vt animo ac spiritu nostro, toti conformemur animo ac spiritui ipsius Regis, huius iusti Saluatoris nostri,*

1. Pet: 1. 14 *siue vt B. Petrus alicubi loquitur:* Vt quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ nostræ desideriis, sed secundùm eum qui vocauit nos sanctum, etiam ipsi in omni conuersatione sancti simus: *idcircò iam ad extremum & hoc tibi elaborandum est cum primis, vt quæ tibi Dominus reliquit, omnis Christianæ conuersationis impressa vestigia exemplaq́; ea perpetuò iam teneas, ac sedulò consectere: vt ita fiat quod itidem ex Paulo hodie monet Ecclesia, vt post*

Rom: 13. E *abiecta opera tenebrarum, induas arma lucis, imò ipsum Dominum nostrum Iesum Christum.*

DOMI-

DOMINICA
Secunda Aduentus.

DISCVRSVS VNICVS in Euangelium Matth: 11.

IN illo tempore. Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiuiſtis & vidiſtis: Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mũdantur: ſurdi audiunt: mortui reſurgunt: pauperes Euangelizantur: & beatus eſt, qui nõ fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis videre, hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.

DEMONSTRATVR

Miniſtros noſtri ſæculi, cùm Ioannis præcur-

2. Rex tuus, & quomodo.

Ecce verò idem Rex, secundò; Rex tuus est. Non, inquam, peregrinus quispiam, & de quo fortè cogitare poßis, nihil ad te pertinere, quod veniat; vt si de Rege quouis extero audias, quantumuis illo potente ac diuite; puta vel Chinensium, vel Iaponiorum, vel Tartarorum, vel similium alienigenarũ, per fines fortè tuos transituro: sed Rex tuus. Tuus, inquam, etiam Rex, tuus Dominus, & natura, vt dixi, quia te creauit, & emptionis iure, quia te redemit. Et quidem Rex eo ipso, tuus absolutus, hoc est, non qui, vt Reges mundi huius, vel in solas fortunas duntaxat, quale quale Dominium habeant; vel si multum, & in corpus ipsum ac vitam hanc mortalem, nec longiùs, ne ad capilli quidem vnius latitudinem, se extendere vllo modo queunt: sed Rex, qui plenam semper potestatem habeat, & in animã, & in corpus, hoc est, & in temporaria tua ista præ-

Mat. 10. 28

sentia, & in futura ac sempiterna: Qui, *inquam, vt ipse dixit aliquando,* & animam *poßit* & corpus tuum perdere in gehennam.

3. Rex veniens tibi & quomodo.

Et ecce tertiò tantus iste, ac tam propinquè ad te quoque pertinens Rex, venit tibi. Non *sibi, inquam, venit, sed tibi, & quidem tibi quoque, seu quisquis es, seu qualis qualis es, nominatim, ac in particulari; ita denique tibi, ac si soli tibi, nec alteri cuiquam. O rem omni consideratione dignißimã.*

Nil sibi quærit Rex iste, sed nobis.

Non venit, inquam, quemadmodum Reges huius sæculi venire solent, vt tributa, census, vectigalia tibi imponat, vt ex te sibi thesauros colligat, vt ditior ipse ex te fiat, vtpotè solus sibi per omnia sufficiens;

ens; & tantus in se, vt nulla ei possit fieri in vllis bonis suis, inq; inexhausto illo pelago thesaurorum suorum accessio: sed quantus quantus venit, tibi venit; tibi bono, si velis, tibi saluti, si satagas, vel certè damnationi maiori, si negligas, venit: vtpotè & iustus simul & Saluator, iustus vindex malorum, ac negligentiū, piissimus verò, ac mansuetissimus, Saluator pœnitentum. Is est enim iste Rex idem, qui de seipso testatur, non venisse se ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Tibi verò etiam venit, quicunq; es in particulari. Propterea enim in singulari Propheta loquitur: Dicite filiæ Sion: Ecce venit tibi. *Non, inquā, dicite Sioni, dicite Hierosolymis: Ecce vobis adest Rex vester: sed filiæ Sion, etiam vnicuiq; filiæ Hierusalem cuicunq;, etiam illi, vti vidimus, indignissima ac maximè omnium reprobæ, & quæ nihil æquè tum moliebatur, quàm quomodo, quàm ægerrimè faceret ipsi Saluatori, ipsumq; adeò si posset, pessundaret totum. Neque enim ex parte sua Rex iste noster, cuiquam etiam tali fores præclusas vult salutis suæ; quin patētes eas ac apertas ex se & omnibus, & singulis; & tibi quoque, inquam, quisquis es, seu magnus mundo, ac illustris, seu infimus ac despectus totus, seu pius ac magnus Deo, seu impius totus, ac propterea vel maximè inuisus Deo. Propterea enim etiam in cruce iam pēdens pro ipsis illis impiissimis carnificibus suis, piissimam ad Patrem tandem fudit Rex idem Saluator intercessionem.*

Cuiuis etiam in singulari venit Rex iste.

N. 45-46

Luc. 23. 42.

Cuiuis etiam totus venit Rex iste.

Tibi quoque venit, inquam, itaq; se tibi impendit totum, ac si soli tibi se debuisset totum. Neq; enim aliud precium redemptioni applicuit singulorum, aliud mundi vniuersi; sed totum sese omnibus, & totum singulis. Tantidem, inquam, constitit illi salus tua, quisquis es in singulari, ô homo, quanti mundi totius hominumq; vniuersorum. Infinito enim merito precioq; sanguinis Regis huius, æquè opus fuit, vt redimerere tu: quiuis, inquam, hominũ omnium (vt ex interminatis videlicet illis inferni suppliciis, ad immensa gaudia cœlorum transferêre;) atque vt mundus ipse redimeretur vniuersus. Ergo fidenter de se aliquãdo dicit, magnus ille quondam peccator, imò vt de seipso alicubi testatur, peccatorum primus S. Paulus: Qui dilexit me, *inquit, de Christi aduentu loquens,* & tradidit semetipsum pro me. *Semetipsum, inquit, quantus scilicet quantus erat, tradidit filius Dei Christus, etiam pro me, diligens me.*

1. Tim. 1. 15
Gal. 2. 20.

Venit pauper & mansuetus Rex noster.

Ad extremum verò, Ecce etiam in his omnibus venit tibi idem Rex tuus pauper ac mansuetus totus, & ne summi quidem triumphi sui, in mundo hoc, tempore; aliud iumentum, quam asinam pullumue eius ascendens ad equitandum. Ita scilicet semetipsum exinaniens per omnia tui causa; quia tale quid tuæ salutis conquisitio in ipso requirebat. Cùm enim Rex esset ditissimus ipse, fieri tamen ad tempus voluit omnium pauperrimus, vt ita æternas tibi cœli diuitias compararet; & cùm esset gloriosissimus omnium, voluit fieri videriq; despectissimus

mun-

mundo, vt ita amplißimos tibi cœli honores obtineret, & cùm omnibus denique cœli deliciis optimo iure potuisset perpetuò affluere, proposito tamen licet tanto sibi gaudio, elegit crucem confusione contempta, vt ita æternas tibi cælorum voluptates promereretur. Tanti nimirum fuit, tui se Regem istum profiteri Saluatorem, tanti fuit venire, vt salutem tibi conquireret æternam. Hebr. 12. A

68. *Ecce igitur quis iste qualisúe aduentus, de quo nunc Ecclesia, breuissimis quidem illis, at simul plenißimis verbis Prophetæ ab eadem tibi propositus declaratusq́; Iam hîc te porrò ego compello, Lector amice quisquis es, patere verò tu obsecro, paulo me propiùs etiam ad cor tuum & cogitationes loqui. Intellexisti enim certè Regem tuum aduentantem tibi denunciari, idq́; ipsum quale & quantum sit, exemplis his ex Prophetæ Ecclesiæq́; verbis didicisti. Tu verò interim quò hæc animi tui sensu acceptas? quò hæc, inquam, sensu, vel excepisti iam, vel excipienda hisce diebus tibi statuisti? Afficiunt ne ea animũ tuum, vti fas est, iamq́; tanto Regi aduentanti aditũ ad te, vt par est, idoneum facere propterea decreuisti? an hæres etiam num dormitabundus, ac stertens totus, haud secus ac si ad te nil spectaret denunciatio talis? Nempe hæres tu etiamnum fortaßè, illa cogitatione detentus: pridem iam præteriisse quæ Propheta denunciauit, pridem, inquam, aduenisse Christum, pridem consumasse cursum suum, pridem rediisse in cælum vnde venerat: nec esse propterea quod nunc quasi peculiare quid autem nouum, no-* 68.

Pridem præterijt Christi aduentus.

bis

bis tale quid patiamur denunciari, quodq; nouos inde animorum motus singulares vllos, tanquam de re noua ac singulari concipiamus.

Nec tamen propterea modo negligendus.

At memineris stultissimum primum esse omnem huiuscemodi sensum tuum. Quid enim? venit ante mille sexcentos iam annos Christus, nũ tu propterea iam tum totus mundus à peccatis tuis, totus saluus ac beatus à miseriis tuis? qui heri primùm aut nudius tertius conceptus, ac mundo huic editus fuisti, qui hodieq; mille malis ac calamitatibus in corpore, mille noxis ac peccatis in anima obnoxius infectusq; manes. Si satis tibi, tot iam ante secula præteriisse Domini ac Saluatoris tui aduentum, quomodo in tantis etiamnum hodie ærumnis tu? sin ab his quoque etiamnum hodie liberandus saluandusq; es, quomodo absq; aduenienete tibi Saluatore liberabere? quomodo absque denunciata tibi salute eius aduentante? quomodo absque præmonitione animi tui quam tantopere in Euangelio hoc commendatam vides, vt non aliam ob causam illud Prophetæ addiderit Euangelista: Dicite filiæ Sion; *non aliam ob causam illam exhortandi particulám,* Ecce Rex tuus *vterq; expresserint, & Propheta, inquã, & Euangelista?*

Sed enim nullo fortassè dices certo ad id tempore anni opus fuisse, quod inde aduentus diceretur. Toto enim anno passim tali nos memoria excitandos, atque animo reformandos esse. Non malè tu id quidem, sed si omni tempori vita ipse id sentis commune esse debere, quomodo non etiam huic? Quòd si toto

reliquo

reliquo anno paßim tu ignauus ad ista totus, & frigidus, & extra omnem sensum deuotionis singularis in hisce positus; an non tali nunc tanto Ecclesiæ Catholicæ studio excitatus, te vel meditationi trades totum merito, exurgesq; in Regis tui occursum? Planè nisi insensatus sis totus ac vecors, intelliges tute ipse concludesq; tecum, meritò vel nunc attendendum tibi diligentiùs, sinusq; animi tui omnes pandendos, vt eos liberè securéque subeat, cum omni salute sua aduenien s iste Rex tuus tibi Saluator.

Omninò præparandi animi aduentui Christi.

69. *Neque enim aliud etiam Ecclesia ipsa, in tota ista aduentus Christi celebratione propositum habet, quàm vt id, quod anno toto, cùm paßim à nobis fieri deberet, paßim tamen negligitur: vel ea ratione nunc nouo quodam studio pietatis suppleatur, ad fructum Dominici aduentus, in animis nostris inserendum innouandumq;.* 69.

Perge igitur iam mecum, & cùm animaduertas, omninò præterire te cum ratione non posse, quin nouo quodam animi sensu, tempus istud sacrum concelebres, ex ijs ipsis quæ dicta sunt hactenus, qualis iste meritò esse debeat animi tui sensus nouus condisce. Ecce enim Rex est, qui venit tibi in mundum Saluator. Rex vti vidimus optimus, maximus; Rex tuus proprius, hoc est in te quoque plenißimam vitæ ac necis, etiam æternæ, potestatem habens. Rex qui seipsum totum etiam tibi, hoc est, etiam tuæ vnius saluti procurandæ impendit, ita vt nihil ampliùs pro reliquo mundo vniuerso saluando laborârit, quàm pro te vno; nihil minùs pro te vno, quàm pro

pro reliquo mundo vniuerso. Iam tu igitur ipse inde iudica, qualiter te esse deceat affectum, vt ritè excipias, taliter tibi aduenientem Regem Saluatorem tuum.

1. Animo euigilandū.

Certè enim segniter te hîc agere primùm nullo modo conuenit. Id enim neque immensa maiestas Regis huius, neq; seuera eius iustitia, cum summa potestate vindictæ omnis coniuncta (venit enim Rex iste etiam iustus, & non Saluator solùm) neq; maximum salutis momentum, quod talis iste ac tantus Rex, non aliter quàm tali tamq; ærumnoso suo aduentu, parere tibi potuit solus, debuitq; ferrent. Sed & turpissimum tibi foret, tam parum te tam optato nuncio iam præsentis Saluatoris permoueri, dum ad eum excipiendum excitaris; quem antiqui illi

Isa: 64.1. *patres, tam ardenti, vt vidimus, cum desiderio expetiuêre, antequam venisset, vt vel cœlos ipsos disrumpi propterea, ad exitum ei ad nos faciliorem aperiendum, peroptarint. Ergo huc illa propriè spectat, & pia pariter & æquissima Ecclesiæ commonitio, qua ipsum primum sacri huius temporis ingressum facit, quamq; meritissimo identidem in diuinis suis officiis hodie iterat ingeminatq;.* Fratres, *inquiens* hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quàm cū credidimus, & *quæ sequuntur. Denique surgendum tibi primùm à somno ignauiæ est, satagandum & sollicitè inuigilandum est, vt tantùm Saluatorem condignè excipias, cum tanta aduenientem salute.*

2. Etiam surgendum à peccatis.

Et quia idem ipse Saluator, cum summè etiam iu-

um iustus sit, non potest non omnem nequitiam summopere auersari: illud quoque inde ante omnia tibi sedulò cauendum est, vt ne tot antiqua peccata nouis, hoc maximè tempore, flagitiis accumules.

Surgendum igitur secundò etiam à somno peccatorum, à letheo, inquam, illo ac mortifero sopore iniquitatis, ab operibus sectandis tenebrarū. Neq; enim habitare poterit summa innocentia in corpore animaúe subdita peccatis; neq; saluandum suscipiet quenquam medicus iste, ac Saluator cœlestis, qui pergat continuò nouis atque lethalibus se conficere perdereq́; vel ægritudinibus, vel plagis. Sap: 1.

*Quia verò idem iustus Saluator, passim de seipso protestatus est, omni quidem homini se venisse ad salutem, & maximo peccatori cuiuis; nec vllum tamen se admittere ad eam nisi per condignos pœnitentiæ fructus: (*Non enim veni, *inquit ipse de se,* vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: *Ideóque & prima omnium eius concio non alia fuit, quàm:* Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum: *)hinc in illud iam etiam seriò est incumbendum tibi, vt non tantùm nouis te modò non inquines peccatis; sed etiam ab antiquis tuis, & pridem commissis, animum tuum omni studio expiare contendas.* 2. Abijcienda opera tenebrarum. Mat. 4. 17. Mat. 9. 13. Matth: 4.

Ita ergo iam tertiò etiam surgendum tibi à somno est peccatorum, vt opera tenebrarum in posterum non fugias solùm, declinesq́; sed etiam quæ olim fortè fuerint à te commissa, abijcias à te penitus, elimineśq́; per pœnitentiam. Neque enim alia conditione, di-

DOMINICA
Secunda Aduentus.

DISCVRSVS VNICVS
in Euangelium Matth: 11.

IN illo tempore. Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiuistis & vidistis: Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mūdantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes Euangelizantur: & beatus est, qui nō fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne. Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.

DEMONSTRATVR

Ministros nostri sæculi, cùm Ioannis præcur-

soris Domini & nomen suis Euangelismis obtendant maximè & exemplum: reuera ab eiusdem & fide, & moribus longissimè omnium recessisse.

SVMMARIVM DISCVRSVS TOTIVS.

1. AGendum de statu Ioannis toto diligentiùs, quia vnum eum Ministri omni nouationi suæ maximè obtendunt; siue missionis in ijs defectum, seu miraculorum accusemus; seu omnem denique eam, quam in-
2. duxêre in Ecclesiam, secessionẽ. Hîc igitur de fide, ac moribus primùm Ioannis, in sequente Dominica de Missione eius, ac officio, vltima de doctrina agemus.
3. Fides Ioannis, ex moribus maximè dignoscenda
27. 28. est. Mores ij mũdo toti fuere admirabiles, nempè ha-
29. 30. bitatio ei Eremus, vestis cilicium, cibus locusta, vita tota cœlebs, & ab omnibus denique, quæ mundus maximè quærit, maximè abhorrens, in delicijs, diuitijs, honorum ambitione.
5. 6. Nec temerè talia assumpta, sed consilio certo, tanquam cum primis & Deo grata, & propriæ saluti vtilia, & ædificationi proximorum conducentia.
7. Omnia nimirum merè Papistica. Eadem enim quæ Ioannes tunc, etiam Ecclesia Catholica hodie tenet, de Eremi cultu, de ciborum abstinentia, de vitæ totius cœlibatu, & de omni denique etiam amictus
8. asperitate, in pœnitentiæ exercitium assumptis. Nil verò cum his commune habet Ministrorum nostrorũ synagoga. Nullam enim ea imitationem Ioannis in vlla parte asperitatis illius admittit, quin Minister esse nemo potest; nisi, etiamsi fortè ante quid simile Ioanni habuerit, id totum abneget, prius quàm Ministeri-
9. um nouum assumat. Cuius vel solus Archiminister Lutherus plenissimum nobis est exemplum.
10. Sed & doctrina Ministrorum tota è diametro est

Ioanni

Ioanni opposita Nam Eremi cultura, ijs est Antichristi deuotio; insolita vestitus asperitas, luporum Spiritualium insigne; cibi Venerisque abstinentia austerior, doctrina dæmoniorum. Vnde quidem eo etiam processêre audaciæ, vt omnem huiusmodi vitæ Ioannis insolitam seueritatem ei penitus ademerint. 11. 12

Et ex Eremo quidem eius, loca montana tantùm alij, aliqui etiam pascuosa & irrigua fecêre. Ineptissimè, cùm montana Ioannis fuerint celeberrima, puta Hebron ciuitas Sacerdotalis, desertum verò eius mansio perpetuo nominetur, plus decies à Spiritu sancto; & quidem latens, & quidem ad quod exeundum ex habitatis, &c. nec vllus Doctorum hactenus contrarium vel suspicione attigerit. 13. 34. 27.

Ex vestitu similiter Ioannis, non nisi montanis omnibus consuetum amictum consuêre Ministri, imò etiam vndulatum alij: Et vita denique tota non nisi communem hominem fecêre, cùm nil certiùs sit, quã & cœlibem semper fuisse Ioannem, ac vita tota singularem, & populo toto, & ipsis etiam inimicis Ioannis, & Christo denique ipso; atque omni ratione idem confirmante. 12. 16. 16. 28. 30.

Certissimi igitur impostores Ministri, qui toto diametro discessêre à Ioanne, perfectissimo Euangelij prædicatore, quemq;, si in concilio integro Ministrorum cum omni sua vitæ nouitate sistamus, non possint non exsibilare penitus tanquam Archihypocritam Papistam, vicissim à Ioanne audituri, genimina viperarum, quis &c. vnde meritò fugiendi. 17. 18. 19.

Sed & Ministri ipsi infælicissimi sunt, quorũ cum vnicũ sit exercitium damnare Papistas: id tamen præstare nequeunt, nisi simul continuò Ioannem damnent impij; dum & nouum sibi Ioannem effingunt, & vera Ioannis studia omnia aspernantur, & quæ Christus maximè probauit, omninò reprobant. Resipiscant ergo, alioqui væ diuinum eos attinget totos. 20. 21. 22.

Denique pij omnes Ioannem sibi diuinitus missum 23. 24.

meritò attendant, vitam insolitam contemplentur, lamentum eum ad plangendum inuitans esse agnoscant: Vox enim is totus pœnitentiam nobis inclamans. Et quàm mira lamentatio ista? O qui eam exaudiat.

Sequitur discursus ipse.

THEMA.

Quid existis videre, Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquàm Prophetam. Matt: 11.

De vita, moribus, ac fide Ioannis inquirendum.

1. 1. *OMnia quæ consequuntur toto reliquo Aduentus tempore Euangelia, de Ioanne Baptista præcursore Domini agunt; eiusq; nobis vel vitam ac mores, vel missionem atque officium, vel doctrinam denique & prædicationem sparsim describunt. De eo igitur iam in posterum, vt textui inhæreamus copiosiùs nobis agendum erit. Et quia res ea tota & dignissimam habet considerationem, & longè vtilissimam: commodum fuerit, vt eo pleniùs explicetur, per modum eam cuiusdam tractationis integræ, ita connectere, atque in Dominicas singulas consequentes distribuere; vt & Euangeliorum, quæ cuiusque diei propria fuerint, ratio habeatur, ne ab ijs longiùs recedamus; & res ipsa tota in se sibi certo nexu cohæreat, quo tanto eum faciliùs percipiamus.*

Tota porrò tractatio ea, illò nobis dirigetur, vt quan-

quandoquidem dubium nullum est B. Ioannem perfectißimum fuisse exemplar veri Euangelici prædicatoris (id quod ipsius etiam Christi in hoc Euangelio expresso testimonio confirmatur, qui ideò eum non solùm Prophetam, sed & plus quàm Prophetam fuisse affirmat) quàm diligentissimè inquiramus, cuius nam is religionis ac fidei, ex ijs quæ nunc paßim in orbe Christiano iactantur, prædicator, aut Propheta fuerit; Augustanæ ne aut cuiusquam alterius Euangelicorum confeßionis? an contra Catholicæ nostræ fidei, ac prædicationis Romanæ? Ioannes exemplar perfectum veri Euangelici prædicatoris

Quæstio longè maximi momenti. Eâdem enim operâ, qua eius decisionem legitimam inuenerimus, simul etiam certam salutis scientiam inuenerimus. Nam eam ille sua prædicatione docturus in mundum venerat: Et tu puer *(inquit de eo Spiritus S.)* Luc: 1.76. Propheta altißimi vocaberis, præibis enim ante faciẽ Domini parare vias eius ad dandã scientiã salutis plebi eius in remißionẽ peccatorum eorum. *Neq; aliud certè verum Euangelium vnquam mundo illatum fuit, quàm quod ille intulit sua prædicatione. Vnde & Christus ipse:* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; ex eo regnũ Dei Euãgelizatur, & omnis in illud vim facit. Luc: 16. 16

Vtrum Ioannes Baptista Euangelicus fuerit Minister, an prædicator Catholicus: Queúe Ministrorum hic sententia?

2. QVæritur igitur qualis Propheta, siue prædicator Ioannes? Euangelicus ne? (prout hoc sæculo variè 2. Ministri videri volunt Ioanni simillimi.

variè vocantur varij Ministri) an concionator Papista? dico si à Ministris definitio quæstionis huius expectanda sit, nihil fore certiùs, quàm vt Euangelicũ eũ fuisse audiamus. Ita enim hoc intimè persuasum habent, & singuli, & omnes nunc, sectarum Magistri, vt ouum ouo, lac lacti, aqua aquæ, non possit esse similior, quàm fuisse sibi Ioannem in prædicandi officio, seq; Ioanni existiment. Itaq; primis suis antesignanis etiam nomina ipsa Ioannis, vna cum officio toto, nihil veriti fuère adscribere. Ita Lutherus illis secundus Baptista, tertius Elias, verus præcursor secundi & magni aduentus Domini, angelus Domini exercituum, &c. Sed & in hunc diem quicquid ferè ijs generatim contra vocationem officiumq; ipsorum obijcimus, vnius Ioannis obtensione, se refutare posse arbitrantur.

Ministri in tribus similes Ioanni suo iudicio.

1. Quod venerũt à nullo missi.

Luc: 3. 2.

Querimur de ipsis, quod nimium importunè, contra omnem Ecclesiasticæ potestatis ordinem, motu proprio non vocati, non missi irruerint, seq; in prædicandi officium ingesserint. Respondebunt, nil se aliud fecisse, quàm quod Ioannes fecerit. Nam neque ipsum cùm prædicaturus esset; primùm ad Caipham Annamúe, principes sui temporis Sacerdotum, concessisse, vt facultatem prædicandi ab ijs postularet; nec quicquam omninò cum Sacerdotum Hierosolymitanorum magno concilio contulisse: sed solius spiritus ductum sequendo, sponte sua incepisse prædicare quæ prædicanda cognouerat. Eodem modo & se, suorumúe ordinum primipilos fecisse.

Si pergimus inquirere, quibus id signis demonstrent à Spiritu sancto se verè missos; quandoqui-

dem, quos Deus extra communem ordinem mittit, (id quod in Mose primùm, deinde in Christo ipso, & denique in ipsius Apostolis omnibus, alijsq; similibus Prophetis factum est) eosdem, ea virtute ex alto firmet; vt demonstrare poßint manifestis signis atque portentis, verè à Deo se missos: Respondebunt, nihil à se ampliùs requirendum, quàm quod à Ioanne requisitũ fuerit, nec eum quidem enim vlla signa fecisse: Ioannes, *inquit scriptura,* signũ fecit nullum. Omnia autem quę dixit de hoc (IESV) vera erant. *Eandem etiam sui suorumúe rationem esse.*

Exod. 4. B
Ioa. 10. 38
Mat. 10. A
2 Quod sine omni miraculo.
Ioa. 10. 42

Si denique addamus, omninò longè nimium ipsos progreßos, qui generalem quandam seceßionem ab Ecclesia docuerint, atque omnia propè innouarint, quæcunque ante hæc tempora in Ecclesiastica gubernatione, & optimè instituta, & religiosè obseruata fuêre. Respondebunt etiam Ioannem nouos ritus induxisse, Baptismum, inquam, instituendo, & antiquos Ecclesiæ præsides acerrimè increpando, atque vt progeniem viperarum auersando, simillimum scilicet ei quod ipsi designent. Ita nimirum per omnia videntur esse D. Ioanni simillimi; & quidem quantùm hactenus videmus, etiam speciem aliquam verisimilitudinis obtendere posse. Magna omninò res, si vera in se. Omnes enim certè etiam nos, quotquot salui esse cupimus, in eorum disciplinam nos tradere ita oporteret, ni vera salutis scientia vellemus excidere.

3. Quod omnia Pontificia aspernentur.
Matth. 3. A B

Verùm quàm inanis sit omnis iste illorum prætextus, infra clariùs, vbi de proprio Ioannis officio,

ac vocatione (Dominica sequenti) egerimus, ostendemus. Hîc interim illud fidenter asserimus, tam eos in omni tali prætextu longè abesse ab ipsa veritate, quàm qui longissimè: tam verò Ioanni in omni sua & professione, & Ministerio, & doctrina, re ipsa quidem esse dissimiles; vt atrum candido, frigidũ calido, nox diei, ignis glaciei, omnia denique quæ inter se pugnantia sunt maximè, dissimiliora esse non queant.

Agendũ primum de fide. Secundo de vocatione. Tertiò, de doctrina Ioannis.

Sed vt totum hoc quàm planissimum faciamus, tria hæc ordine consequentibus his Dominicis inuestigabimus, Euangeliis prout occurrunt inhærendo. Primùm quidam, quæ qualisue fuerit Ioannis ipsius fides in se, in qua saluum se fore crediderit, eademné quæ nunc Ministrorum est cuiusuis generis, an antiqua Catholica Romana? Et hanc ex ipso hoc maximè Euangelio hodierno, cùm aliis scripturæ sacræ locis eadem de re agentibus collato, definiemus. Secundò, quod propriè fuerit in toto illo prædicandi opere Ioannis consilium, quod officium, quæ vocatio missióue. Similis ne in his Ioannes Ministris, nostris an secus: hoc est, an potiùs conformis Catholicæ Romanæ Ecclesiæ per omnia. Et hæc occasione Euangelij sequentis Dominicæ inquiremus. Tertiò, ipsam doctrinam ac prædicationem Ioannis expendemus; conferemusq; cum ea quam vel hodie Ministri mundo venditant, vel Ecclesia Catholica perpetuò suis prædicauit. Et de hac Dominica vltima, iuxta ductum maxime Euangelij illius, quod tunc proponetur agemus.

Qualis

Qualis fuerit Ioannis fides, non aliunde magis, quàm ex vita ipsius cognoscitur.

3. *PRimum ergo illud hîc quærimus, qualis fuerit ea fides, quam Ioannes ipse pro se, proq; salute animæ suæ propria & tenuerit in corde, & palàm sit in opere professus. Dubium enim certè nullum est, quin eandem etiam publicè prædicauerit, docueritq; alios, & non aliam. Neque enim inconstans ipse arundo, aliud in ore, aliud in corde circunferens, sed sibi per omnia similis ac constans semper. Neq; possibile omninò est, vt si fortè Euangelicam ipse in sese fidem crediderit, prout nunc dicitur quid Euangelicum, aliquam aliam, Euangelicæ contrariam, prædicauerit; aut contra, si fortè tenuerit Romanam, prædicauerit eam, quæ Euangelica nũc vocatur. Neq; alia deniq; certior ratio iniri potest inuestigandi, qualis ipse fuerit prædicator, quam ex fide ea, quam ipse corde coluerit suo.* 3.

Non aliter prædicauit Ioannes quàm credidit.

Dico ergo qualis fuerit Ioannis fides in corde, non aliunde nos posse certiùs, quàm ex ipsis eius operibus moribusue concludere; quandoquidem ipse in hoc Euangelio Dominus testimonium ei perhibet, solide sibi per omnia constitisse: Quid existis, *inquit,* in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Illud insinuans manifestè; Minimè quidem talem vel fuisse in se Baptistam, vel ab aliis habendum esse. Minimè, inquam, iis similem, qui cum extrinsecus pleni appareant, intrinsecus vacui sint;*

Non aliter credidit Ioannes, quã vixit.

sed solidum fuisse per omnia, qualis, inquam, foris, talis & intus. Qualis ergo vita eius in opere, talis & fides eius in corde. Atqui vita Ioannis tota, nihil prorsus redolet Euangelicum, siue Euangelismo Ministrorum nostrorum consentaneum: sed omnia Catholica, Romana omnia, Papistica omnia. Et fides ergo ipsius talis.

Ex Euangelio hoc hodierno, totum istud intelligere datur, modo id libeat paulò expendere accuratiùs. Quod vt præstemus, primùm hîc ipsum Christi, quod vitæ ac moribus Ioannis præstat testimonium, attendemus: idq; partim quidem ex ipso Euangelio hoc, partim ex iis quæ immediatè id consequuntur, quandoquidem eodem spectant omnia, indagabimus: deinde verò sensum ipsum animi sententiamve, seu fidem de iis omnibus Ioannis perscrutabimur: Tum demum eadem ad nostrorum temporum prædicationes referemus, ac partim quidem cum doctrina Catholica comparabimus: partim cum Ministris conferemus, similitudinem singulorum horum, vel dissimilitudinem expendentes.

Vita Ioannis qualis, & mores.

4. Vita Ioannis. *Matt: 11. A B C. Luc: 7. 25.*

4. DE *vita ac moribus Ioannis hæc testatur in ipso hoc Euangelio Dominus:* Quid existis, *inquit,* in desertū videre? arundinem vento agitatā? sed quid existis videre hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur *(addit apud Lucam:* & qui in delicijs sunt*)* in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre, Pro-

Prophetam ?Etiam dico vobis, &c. *Et immediatè post hoc Euangelium*: Amen dico vobis, non surrexit maior inter natos mulierũ, Ioanne Baptista, &c. A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Cui autem similem æstimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coęqualibus suis dicunt: cecinimus vobis, & nõ saltastis, lamentauimus, & non planxistis. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens; Et dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis, manducans & bibens; Et dicunt: Ecce homo vorax est, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. *Hæc de Ioanne Christus.*

Iam hæc diligentiùs si attendamus, qualia in seipsis sint singula: facilè inueniemus, talia fuisse qualia sanctorum ante ea tempora, ab ipso condito mundo, nemo præstiterat; & ab omni quidem ea communi hominum sensu ac vita longè remotissima, in se verò ipsis asperrima, durissimáque, & omnem etiam excedentia communem hominum captum. Vnde quidem illud etiam videmus maleuolorum cõsecutum iudicium; cùm viderent humanum omnem modum transcendere, vt dicerent dæmonium habere: quemadmodum contra pij omnes, singularem in eo Dei potentiam angelicamq́; quandam, omni humana superiorem, venerabantur virtutem.

Habi-

Habitatio Ioannis Eremus.

Habitandi primùm commoditates si spectemus, desertum siue Eremus ei domus fuit; vbi consequenter stratum quidem dura humus, tectum verò vel cœlum apertum, vel spelunca quæpiam, aut rudi cespite congesta moles. Id illo nobis Dominus considerandum proponit, dum toties vti vidimus, deserti ingeminat mentionem: solatium ibi omne cognatorum, vicinorum, amicorum, procul. Neque enim alia deserti conditio. Quid existis, *inquit*, in desertum videre? &c. *Itaq; cùm commune sit hominum omnium studium, quamplurimorum aliorum quærere hominum cœtus; vnde faciliùs inueniat sibi quisq; auxilium, quauis in necessitate, solatiumúe: Ioannes contra sponte sua omni se tali subsidio abdicauit. Neq; id paruo aliquo tempore, sed tota propè vita sua, ab ipsa iam inde infantia exeunte:* Puer, *inquit Lucas*, crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ. *Hoc est vsque ad annum 15. Tyberij Imperatoris, siue trigesimum propriæ suæ ætatis.*

Luc: 1. 80.

Luc: 3. A

Iam ibi qualibus affluxerit delicijs, ex ipso primùm loco vel Dominus nos existimare: Quid existis, *inquit*, in desertum videre? hominem mollibus vestitum? *Addamus & nos, quod subaudiri Dominus voluit, vt ex Luca colligimus: aut fortè delicijs affluentem?* Ecce, *inquit*, qui in mollibus sunt, quiúe delicijs vacant, *non in desertis, sed in domibus Regum quæruntur. Ibi enim quærendi sunt, vbi inueniri possunt; in deserto inueniri ipse locus non patitur.*

Luc: 7. 25.

Itaq; amictus ipsi inde rudißimus, simplicißimus, asperrimus; totus scilicet in vna veste ex pilis Camelorum contexta, ac zona pellicea circum lumbos eius, positus. Ideò consequenter toto illi corpore subtilis pannus nullus, linea tela nulla, nullæ lactucæ latiores ac crispatæ, colli nuda tegentes, exornantesq;, capitis tegmen nullum, pedum amictus nullus. Tenuißima omnia, Eremo nimirum apta, & solitudini tantæ, quantam perpetuò coluit Sanctus.

Amictu Ioannis totu asper. *Matt: 3. 4.*

Cibus verò tam exilis quantitate, tam verò tenuis ex ipso suo genere, vt communi hominum æstimatione nullus propè fuerit iudicatus. Venit, *inquit Dominus,* Ioannes, neque manducans, neque bibens, &c. *vtq; impij etiam, non nisi diaboli id viribus adscribendum putarent, quod tam exiguo viueret. Apud Lucam verò exprimitur etiam dilucidè, neq; panem manducasse, neq; vinum bibisse, imò ne siceram quidem, siue vllum tale genus quod inebriare vnquam posset. Nimirum pura aqua illi haustus; totus verò cibus, locustæ ac mel syluestre, Eremo apta omnia. Neque enim lautiora suppeditare poterat homini, perpetuæ contemplationi dedito, solitudo tanta.*

Cibus Ioannis prope nullus.

Luc: 7. 33.

Luc: 1. 15.

Matt: 3. 4.

Quibus quidem positis vbi dulcis coniunx? vbi amplexus? vbi liberi? Procul omnis etiam cogitatio de his, nulla mentio etiã dum maximè fieri oportuisset, si fortè talibus coniunctus fuit Ioannes. Nusquã comparet vxor, nusquam liberi, qui vel panem illi necessarium pinsant suppeditentúe; vel quicquam cocti cibi vspiam subministrent; nusquam in deser-

Ioannes cœlebs perpetuò.

to,

to, nusquam extra desertum, ne quidem existente iam eo in carcere, vt nec postmodum in funere cu-
Mat.14.12 rando. Nam tum quoque soli discipuli curant omnia, prout in deserto ante, solus ipse sibi ministrarat per omnia.

Et quid mirum? Sine Baccho enim & Cerere, frigeat Venus necesse est. Ioannes abstinuit Cerere & Baccho, neque manducans, neque bibens, vt Dominus ipse testatur. Et quid, in deserto talia quærerentur? Ecce enim qui liberis operam dant, cùm pluribus semper indigeant pro coniuge, pro se, pro liberis, pro re familiari ac domestica, in cœtibus & multitudine hominum habitent necesse est, non ad inhabitatas solitudines demigrent. Ne in deserto ergo quærantur ij magis, quàm qui vel mollibus vestiuntur, vel deliciis toti sint mancipati.

Quæ hominibus cupita maximè, Ioannes refugit maximè.

Denique quicquid communi hominum sensui maximè collibitum est, id Ioannes tota vita sua maximè refugit; atque eo ipso fugit, quo talem sibi habitandi locum delegit. Gratissima sunt hominibus

Delicias.

quæcunque ad carnis fouendam voluptatem concupiscentiamúe faciunt; Ioannes omnem eius generis molliciem declinauit, in omni vestiū delicatiori cultu, in omni ciborum potusq; condimento, in omni

Diuitias.

Veneris illecebra à se longiùs amouendis. Gratissima est hominibus variarum fortunarum ac diuitiarum possessio, in omnibus ijs, quæ ad concupiscentiam oculorum fouendam faciunt: Ioannes omnem eius generis cupiditatem aspernatus est, eo concedens habitatum; vbi ne spes quidem esse posset vlla, congeren-

gerendarum poßeßionum. Gratißima denique superbia vitæ, & quicquid ad honorum diuersos gradus aucupandos pertinet: Ioannes omnem eius generis occasionem refugit; ibi suum figens habitaculum, vbi neque inter quos ipse emineret, adesset quisquam, nec qui omninò ei honorem vllum deferre poßet, inueniretur. Hi igitur mores Ioannis, hæc vitæ exercitatio perpetua. Honores.

Quæ fides sententiaue fuerit Ioannis de tantæ vitæ ac pœnitentiæ, quam egit austeritate.

5. *Quærimus ergo iam secundò, quis de his omnibus Ioannis sensus? quæ fides? Dico, Non alia sine dubio illa, quam omnem huiusmodi exercitationem Deo gratißimum esse cultum; sibi verò ipsi ad animæ suæ profectum fructuosum; & omnibus denique ijs, in quorum ea notitiam ventura erat, ad exemplum pœnitentiæ maximè salutarem. Eam reuera fuisse eius mentem, res ipsa docet, neque alio opus habet testimonio cuiusquam. Alioqui enim quam tandem ob causam, talem suscepit vitæ rationem? tam in se asperam? tam tempore diuturnam? tam omnibus hominibus insuetam? Inaniterne ac ociosè, nulla spe lucri, nulla mercede proposita? Tum verò is, prout vitæ transegit modum omni generi hominum insolitum; ita ipse omnium, qui vnquam fuère mortalium, amentißimus meritò fuisset censendus. Fieri enim omninò non poteſt, vt sapiens quisquam talem subiret asperitatem, nullo fine certo præmioue spectato.* 5. Certo consilio tali Ioanni suscepta asperitas.

Ex se

Ex se ipso hæc æstimet prudens quisq; , ac Christianus æstimator. Pone tibi , quisquis es Candide Lector , eam conditionem propositam; vt, non dico vita tua tota , sed vel anno vno , vel mense vno, imò vel septimana vna, tale institutum vitæ experirêre : tam vasta , inquam , ac deserta in solitudine , tam aspero in corporis habitu amictuúe, tam simplici victu locustarum ac mellis syluestris , tam omnium aliarum circumstantiarum, quas in Ioanne vidimus, accurata obseruatione degeres , idq; nullo fine certo , solius animi gratia , absq; omni spe lucri , vel fructus; ecquid consilium placeret? non acceptares conditionem? Nonné hæc hîc proxima tua foret responsio : acceptet similia vel canis , vel brutum quoduis, acceptet phrenesis, acceptet amentia, non ego. Ita quidem puto omninò responderes , ni fortè emotæ mentis haberi velles. Quis enim sapiens, vel vnius diei similes labores , inaniter prorsus ac gratis susciperet? Atqui Ioannes talis propè triginta annis , imò vita sua tota, tali in exercitatione perseuerauit. Hoc

Luc. 1.77. *enim est , quod in hoc Euangelio Christus negat , arundinis eum vnquam induisse inconstantiam, mutabilitatemúe. Idem verò non solùm non amens, sed Propheta , Christi ipsius testimonio , & plus quàm Propheta, & angelus Domini , in id principaliter missus in mundum, vt hominibus veræ sapientiæ rationem ostenderet.*

6. Triplex in his consilium Ioannis

6. Minimè ergo omnium ociosè elegit ipse, ac subijt talia tantaq; , sed certa deliberatione animi , certaq; fide. Nempè ea & maximi esse ponderis censuit

pri-

primùm apud Deum, & in omni inde vita Christiana longè saluberrima. Apud Deum, inquam, primùm. Neque enim ab hominibus in mundo hoc, vllam ijs quæsiuit sapientissimus Propheta, idemq́; fortissimus, atq; in intimam Eremum abstrusus, mercedem vel gloriam inanem; prouti eam ne inuenit quidem. Nam & à Principibus mundi huius propterea dæmonium habere dictus est, vti superiùs vidimus, non Dei spiritum; & paulo post etiam in carcerem coniectus, tandem capite plexus est. Deo, inquam, credidit inprimis taliter obsequium præstare gratum; ei se ea ratione probare, ei placere quàm maximè quæsiuit.

Neque expectatio fefellit. Tantam enim eo modo consecutus est apud ipsum gratiam, vt id & primùm Angelus fore nunciarit, antequam conciperetur in vtero matris: Erit enim, *inquit*, magnus coram Domino, *Et postmodum Christus ipse sit testatus:* Inter natos mulierum non surrexisse Ioanne quenquam maiorem. *Maior, inquã, non humana æstimatione, sed diuina, non in huiusmundi eminentia, sed dignitate cælesti & coram Deo. Nec mirum, quippe in omnibus his, ipsius Spiritus sancti ductum secutus fuit, non fallaces humanæ curiositatis sensus opinionesúe:* Spiritu sancto, *inquiebat Angelus de eo*, replebitur adhuc ex vtero matris suæ. *Et postmodum scriptura:* Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ. *In ipso, inquam, deserto vt ætate*

1. Gratũ exhibere Deo obsequium

Luc: 1.15.

Luc: 1.15.

Luc: 1.80.

crescebat, ita & spiritu, in ipsa illa asperitate vitæ totius, spiritu confortabatur, ideóque etiam ab eodẽ deducebatur in omne beneplacitum Dei. Neque enim possibile est, vno eodemq; tẽpore à Spiritu sancto confortari, & interim à Dei beneplacito deflectere.

Hæc ergo Beati Ioannis fides in exercitijs hisce, quod ad Dei obsequium gratum attinet; & quidem verissima illa, & à Spiritu S. diuinitus inspirata fides; ideóque etiam verè Euangelica & Christiana fides, & ad scientiam salutis, quam docturus mundum venerat ipse, vel maximè pertinens.

2. Propriam animæ suæ curare salutem.

In eo enim vtiq; tota salus nostra, vt Deus sibi complaceat in nobis, vtque in diuina ipsius gratia nos viuamus crescamusq; perpetuò. In eo totus vitæ fructus, quem quærere omninò aut sperare vspiam possumus. Quem propterea tanto conatu contentioneq; iurè sibi quæsiuit vnicè Ioannes. Atq; ita simul & illud constat, quod antea diximus, non solùm Deo cultum se gratum exhibere, tali asperitate Ioannem credidisse: sed & sibi ipsi pro animæ suæ salute, maximè fructuosum; quin etiam ad exemplum pœnitentiæ, in proximis excitãdæ, maximè salutare.

3. Proximo exemplum pœnitentiæ præbere.

Nam ad eum etiam finem omnem istam suam austeritatem direxisse Ioannẽ, ex ipsius Christi verbis ante allatis colligimus. Ibi enim, de se Dominus, loquitur: Cecinimus, *inquit*, vobis, & non saltastis, *de Ioanne verò*: Lamentauimus & non planxistis. *Et mox explicat quomodo accipi velit se quidem cecinisse, Ioannem verò lamentasse; nempè propter vitæ exemplum vel suauioris, vel asperioris.*

ctoris, quod vterque populo dederint: Venit *inquit*, Ioannes non manducans, neque bibens. *Ecce lamentatio Ioannis, ad planctum populi excitandum, suscepta.* Venit filius hominis, manducans & bibens. *Ecce cantus Domini, ad sensum conuersionis mitiorem, in populo commouendũ.*

Et certè, neque hîc in Ioanne inanis labor fuit. Licet enim multi duriores corde, parum aut nihil commoti tanto exemplo fuerint; quin aliqui etiam dæmonium habere ipsum proclamarint: attamen in plurimis, ardentissimum ita pietatis & pœnitentiæ studium fuit excitatum. Testatur id maximus ad Ioannem populi concursus: Exibat enim *(inquit scriptura)* ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, confitentes peccata sua, *& pœnitentiæ Baptismũ ab eo postulantes. Testatur infinita pœnitentium multitudo, & quidem in ijs ardor tantus, vt Dominus ipsè hîc asserat,* A diebus Ioannis regnum cælorum vim pati, & violentos illud *ad se homines* rapere. *Sed de his nos fusiùs, vbi doctrinam Ioannis ac pœnitentiæ prædicationem expendemus. Nunc ad nostra tempora ista referamus, & cum fide vel Catholicæ Ecclesiæ, vel Ministrorum nostrorum ea comparemus.*

Fructuosum Ioannis exemplum.

Matt: 3.5.

Ioannis & vita, & fides, in omni austeritate sua, tota fuit Papistica Romana.

7. D*Ico hanc talem Ioannis fidem, ipsissimam esse Catholicæ Ecclesiæ fidem; quam etiam in hunc*

diē docet vrgetq; Romana Ecclesia: cōtra verò eandem ex toto diametro repugnare omni Ministrorum Euangelismo, quem venditant. Vtrumq; videamus.

Fides Ecclesiæ Romanę de Eremo Ioannis.

Eremum sibi primùm elegit Ioannes; tanquam aptissimam in qua ab omni cura negotiorum mundi huius solutus, vni Dei obsequio vacaret totus. Fecit post ipsum itidem ipse etiam Christus Dominus; & alias passim, cùm diurnis laboribus fessus, nocturnam in montibus desertisúe locis orationi suæ quietem quæreret, sed tam maximè cum se peculiari certamine, contra Sathanam tentatorem ieiunijs continuis & orationibus paraturus esset. Amplectitur eandem sententiam doctrina Catholica Romana, miratur, laudat, inuitat ad imitationem. quotquot tanto se labori pares inueniant. Atq; hinc tantus Eremitarum numerus; tanta laus in Ecclesia; hinc tot Monachorum Cœnobia, tanta agmina, qui dum extremam aliquam solitudinem sectari nequeunt; saltem propiùs paulò, eandem mirantur imitanturq́; hinc omnium Catholicorum, talium saltem admiratio cōmunis, & approbatio veneratioq́; summa, tanquam singularium Dei seruorum, atq; ipsi Deo totiq; cœlo gratissimorum; & qui in terris adhuc constituti, iam angelicam quandam vitæ rationem æmulentur.

Mat: 14. B
Luc; 6. B
Mat: 1. D
Mat: 4. A
Mat: 1. B

Fides Ecclesiæ de cœlibatu Ioannis.

In tali Eremo perpetuò castitatis studium coluit Ioannes; edoctus à Spiritu S. quod Paulus postmodum, literis mandaturus erat: Quod is quidem, qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui verò cū

1. Cor. 7. 32.

vxore

vxore est, sollicitus sit, quę sunt mundi, quomodo placeat vxori, & sit diuisus. *Sectatus idem postmodum Christus, qui neque ipse alium sibi vitæ elegit modum, ac ne quidem ex matre alia, quam tali nasci voluerat; & eos in suis discipulis maximè probauit, qui se ipsos spontè sua castrarant, propter regnum Dei. Amplectitur idem institutum Ecclesia Romana, & quidem illud non solùm iam in Eremitis suis, aut cuiusuis generis Cœnobitis maximè comprobat: sed ne quidem ad gradus ordinum Ecclesiasticorum maiores, quenquam ante admittit; quam eidem se viuendi generi, certo proposito ac perperpetuo voto obligatum reddat.* Mat. 19. 12

Vixit vitam austerissimam in cibo potuq́; Ioannes, & talem quidem qua austeriorem tenuioremúe non potuerit, vtpotè humana ac mortali carne circumdatus. Vixit postmodum æquè & Christus quam diu quidem 40. dierum ieiunium suum exercuit. Vixêre tenuissimè etiam Apostoli. Amplectitur idē consilium cum primis Ecclesia Christi Romana; ita quidem, vt qui ex æquo Ioannem imitari posset, eum inter primos sanctorum cum Ioanne sibi locandum existimaret; dum verò illud fieri nequit, saltem qualem qualem imitationē Ioannis in omnibus exoptet. Itaq́; nullum ea agnoscit filium legitimum suum, qui dum nullo impedimento iusto tenetur; saltem non diebus certis in hebdomada, totam verò etiam postmodum XL. semel anno quouis, à delicatioribus carnium esculentis sese contineat. In religiosis verò, suis ordinibus varijs, quo quisque ad Ioannis absti- **Fides Ecclesiæ de abstinentia Ioannis.**

nentiam accesserit proximus; eo eundem miratur in hoc genere magis. Laudat Benedicti regulam vt sanctam, quæ carnes suis nunquam domi in cœnaculo ordinario proponit: laudat verò Carthusiæ regulam etiam magis; quæ nunquam tota vita, nec domi, nec foris, suis discipulis vllam gustanda carnis facultatem relinquit: laudat in eo genere maximè Minimorum regulam, qui voto etiam se obstringunt perpetuo, ne lactea quidem vnquam, aut quæ quouis modo è carnibus sementinam trahant originem, in ordinarium suum victum admittere. Et ita: si quis hisce etiam asperiùs quid ferre possèt, (modo rationabile faciat obsequium suum, ac intra sanctæ discretionis sistat limites) tanquam Beato Ioanni vicinissimum, etiam magis complecteretur Ecclesia probaretq;.

Fides Ecclesiæ de ruditate vestis Ioannis.

Vestitu ad extremùm vsus est Ioannes tenuissimo, rigidissimoq; prout ne Christus quidem postmodū hîc quicquam, nisi simplicissimum elegit; vtpotè qui in passione sua tandem, quando ad diem Paschæ solennissimum festinè agendum Hierosolymam venerat, nihil habere eo in genere inuentus est, præter

Ioa:19.23. *tunicam vnicam inferiorem inconsutilem contextā, indusij loco, per totum; & vestem aliam superiorem in quatuor partes à militibus distributam; quique*

Mat:10.10 *Luc: 9. 3.* *propterea & discipulis suis aliquando præceptum expressum dedit, vt neq; duas tunicas ipsi possiderent, neque calceamenta. Amplectitur eandem doctrinam etiam in suis, qui unq; ferre possint Ecclesia. Hinc enim tot nudipedum religiosi ordines, hinc*

conti-

continua Carthusianorum cilicia, hinc asperrimus Capucinorum habitus. Neq; quisquam est Catholicorum fidelium omnium, qui dum ipse tali asperitati se sentiat imparem: saltem in aliis non miretur exosculeturq; studium hoc pœnitentiæ & asperitatis. Hæc ergo Ecclesiæ hîc Catholicæ Romanæ fides, eadem per omnia cum illa Ioannis Baptistæ.

Ministrorum fides tota est Ioanni contraria; quæque non solùm nullam Ioannis habeat imitationem: sed & abducat omnes homines in contrarium.

8\. *AT verò è contra Ministrorum nostrorũ qualis? Eademne cum hisce, aut quæ vllam vel cognitionem cum illa habeat? Primùm: Si eadem; quid est quod tam sterilis sit ea ipsorum fides, vt si oculis etiam lustremus orbis terræ partes omnes, ad quascunque ipsi hactenus penetrarint: tamen ne vnicum liceat inuenire collegium, imò dicere ausimus, ne quidem hominem vnum, qui Ioannis tam austeras istas exercitationes, vel à longè sibi imitandas proponat? Quid est, quod nullus Ministrorum Eremum cum Ioanne deuotionis ergo petat, vt vni ibi Deo in omni asperitate vitæ vacet? Quid est, quod nullus victum Ioannis æmuletur, & Dei amore, non iam dico omni sibi cibo prorsus & potu temperet, præter nudas locustas, ac mel syluestre, & aquam; sed vel solis carnibus pœnitentiæ nomine etiam vna fortè quadragesima sola abstineat, nedũ anno vno toto? Quid est, quod vitam rei vxoriæ penitus expertem, nemo* 8. Nulla inter Ministros asperitatis Ioannis imitatio.

istorum sibi eligat? Imò verò quid est, quod homines magis vxorij nusquam reperiantur, quam sint Ministri, qui ad extremam vsque ætatem, nouis etiam sese nuptijs implicant potiùs; quàm vel vno atq; altero mense vitam cœlibem degere vellent, quartam etiam, vel quintam aut sextã iam, & ampliùs vxorem sibi copulantes, sæpè iam sexagenarij? Quid est, quòd nemo vna ex pilis Camælorũ veste cũ zona pellicea contentus esse, vel maxima mercede ipsi proposita vellet; ac de reliquo & capite aperto, & pedibus nudis, & corpore toto, nulla telæ subtilioris teneritudine foto, incedere?

Quid est, inquam, quòd ita prorsus nullum inuenerit in toto grege Ministrorum, imitatorem Ioannes, si vna eademq; ipsorum fides, cum ista Ioannis? Aut fortè ita penitus èlumbis, quin mortua iam tota, fides Ministrorum est; vt, in nullo poßit se exerere, vt ea quæ probet cum Ioanne maximè, eadem etiã præstare cum eo vel mediocriter conetur? Mortua ergo ita in ijs omnibus fides, quàm ipsimet, nisi faciat quæ credat, nullam esse proclamare solent. Aut tam sterile istorum fidei semen est; vt cum verum Christi semen, vtut hinc inde vel in petrosa incidat, vel in vias, vel in spineta, vnde ad maturam frugem non perueniat; tamen tandem in bona parte agri spiritualis, copiosißimum fructum afferat: istud contra elumbe semen, nusquam inuenire poßit vel vnum Ministrorum, in quo vires suas satis ostendat, atq; exoptatos tandem fructus ferat?

Sed nimirum ferre imitationis Ioannis fructus

nullos

nullos potest Euangelismus istorum; quia tota aliena fides ipsorum à fide Ioannis, quin è diametro contraria. Nam non modò nullum mortalium excitauit prædicatio istorum, ad fidem istam Ioannis reipsa, prout docuimus imitandam; sed è contra, quotquot forte inuenit in imitatione Ioannis ex fide antiqua Catholica positos: qaantùm quidem in se fuit, eos omnes prorsus in contrarium egit: vt, inquam, relicto melioris illius vitæ omni proposito, contraria sibi omnia assumerent, quo noui fierent Euangelismi istorum participes.

Ministet esse nequit, qui non renunciat omni imitationi Ioannis

Quotquot, inquam, in Eremis, quotquot in Cœnobijs inuenit vitam solitariam ac monasticam, amore pœnitentiæ, ac studio imitandi sancti Ioannis agentes; eos Euangelismus istorum inde extractos, in medios hominum cœtus, ac communem viuendi consuetudinem reposuit; quotquot cœlibem vitam sectantes inuenit, etiam voto iam ac mille ad id execrationibus astrictos; eos ad nouos thalamos, & insuetos Veneris amplexus, experiendos transtulit: quotquot in arcto pœnitentiæ studio, in omni victus ac mensæ asperitate, in omnium vestium simplicissimorum ruditate, & instituto iam se exercentes; eos ad omnem ciborum apparatum ac delicias, ad omnes vestium lautitias eduxit.

Communis quidem experientia totius Euangelismi istorum, his omnibus luce clarius attestatur. Quid ergo est, si eadem ipsis cum Ioanne fides? quomodo, non modò non ijdem, sed ita pugnantes, atque ita ex diametro toto contrarij eius effectus? Plantatio

tio salutis est fides Ioannis, arbor frugifera ac tota salutaris, similis ficui vitibusq́; Si eadem Ministrorum, quomodo nihil quidem similium fructuum, vuam, inquam, ficumq́; vspiam tulit; contra verò tribulos meros ac spinas per omnia propagauit? quomodo vt scriptura loquitur: Fel draconum vinũ corum, & venenum aspidum insanabile? *aut forte Ministrorum tanta impietas est, vt quod maximè vel credunt ipsi cum Ioanne, gratum Deo; vel alios credendum docent: ab eo tamen præstando vel maximè & ex professo homines quacunq; poßint ratione auocent? Sed nimirum illud verißimum est, quod diximus, fidem istorum à fide ista Ioannis, toto cælo dißidere; quantùm scilicet ab ipsa fide antiqua Catholica ac Romana, & ipsi dißident, & omnes nouæ eorum tam dissectæ inter se confeßiones.*

Deut. 32. & 33.

9. *9. In vno quidem id Luthero, primario ipsorum Patriarcha, ac secundo (si dijs placet) Ioanne Baptista, id cuiuis clarißimum fieri potest. Fuit is aliquando vt fidei Catholicæ antiquæ assertor non ignauus; ita fidei etiam Baptistæ imitator satis impiger. Itaq́; & Eremum sibi tum elegit, in quo ad imitationem Ioannis Baptistæ, perpetuò vitam ageret Deo dicatam: (ordinem nimirum Eremitarum D. Augustini ingreßus) & ad omnem Veneris vsum abnegandum, voto se castitatis perpetuæ obstrinxit; & victui religioso, amictuiq́; simplici ac contemptibili, perpetuæ paupertatis se vinculo obligauit. Durauit denique in huiuscemodi vitæ austerioris exercitijs, toto eo tempore, quo in fidei Catholicæ profeßione perseuerauit.*

Lutherus quàm diu Catholicus imitator Ioannis.

At

At verò quàm primùm noua noui Euagelismi sui agitare cœpit consilia; simul & fidem eam omnem, sensumq́ animi prorsus in contraria mutauit, & reipsa paulatim à sese eliminauit, quicquid antea piè amplexus fuerat, totus in studia contraria versus; ac deniq́ mundū etiam vniuersum, (quantùm quidem in sè fuit) contrariis opinionibus prorsus imbuere conatus est. Non ante quidem certè legitimum perfectumq́ Euangelij sui Ministrum factum sese existimauit: quàm & Eremum omnem, quem ante coluerat, penitus deseruisset eiurassetúe; & loco castitatis perpetuæ, quam eiusdem Ioannis exemplo susceperat voueratq́, nouis se nuptiis, & ijs etiam cum muliere, quæ similibus fuerat virginitatis vinculis ac voto ligata, contaminasset; & omnem denique vestem duriorem, cingulum, cappam, cucullum, vna cum omni victus tenuioris ratione, longissimè à se amouisset; quàm deniq́ ipse secundus (si diis placet) Baptista, Eliasúe tertius, vitam sibi elegisset ex omni parte, cum vita ac fide Ioannis Baptistæ penitus pugnantem. Tum demum, inquam, Minister perfectus Lutherus, tū vas Ministris nostris electum, tum exemplar noui Euangelismi atq́ idæa omnibus numeris absoluta, tum denique secundus Baptista, tertius Elias, præcursor magni aduentus Domini, gloriosus effectus salutatusq́.

Lutherus vt fieret Minister, necesse habuit desere Ioannis exemplum.

Alter Ioannes Baptista, tertius Elias.

Neque verò solus Lutherus talis, sed & primarij eius comministri & asseclæ communiter omnes: ex Eremitis, inquam, Monachis, vel certè Sacerdotibus Catholicis, populares mariti ac patresfamilias,

Luthero similes com ministri eius.

miliâs, atq; vno demum verbo viles apostatæ facti, vt noui istius Euangelij digni fierent Ministri. Tales, inquam, Zuinglius, Oecolampadius, Buccerus, Petrus Martyr, Pomeranus, Spangenbergius, & eiusdem farinæ alij infiniti, vel Monachi olim, vel certè sacerdotes Romani. Si aliunde ignotum esset, id quod quærimus, eademné Ministrorum fides cum fide Ioannis, certè vel sola isthæc, tam sibi contraria fidei vtrorumq; operatio communis, satis superq; testatum faceret, toto eas cœlo dissideré; non minùs quàm quod initio nos diximus, vel nigrum albo, vel tenebrosum lucido, vel glacies igni dissident, imò contrariantur.

Doctrina Ministrorum Euangelistica, vitæ ac fidei Ioannis è diametro opposita.

10. Eremi cultura Ministris Antichristi denotio est.

10. I*Am verò etiam doctrina ipsorum expressè contraria est. Totum enim illud quod fide sua Ioannem diximus probasse maximè, id isti suo Euangelismo reprobant maximè. Maximè, inquam, quia nõ vulgari solo titulo erroris, sed dementissimæ cuiusdã ac diabolicæ, atque Antichristianæ superstitionis ea damnant omnia. Puta Eremum sibi elegit, præ toto terrarum orbe Ioannes, deuotionis ergò, & in quo vni Deo vacaret: Contra isti Eremum eligere deuotionis ergò, in Antichristiani regni indiciis ponunt. Nam quod Christus de temporibus Antichristi loquens præmonuit:* Tunc si quis dixerit vobis.

Mat. 24. 26. ecce in deserto est, nolite exire, in penetrali-

bus

bus eſt, nolite credere, *Id iſti non verentur ad Eremitarum Eccleſiæ religioſorumq́; piiſsima inſtituta reducere, Quod quidem etiam in ipſa ſua Biblia referre Lutherus auſus eſt. Eodem enim loco in margine talem facit annotationem:* Iſtæ, *inquit,* ſunt ſectæ, & ordines, *de religioſis noſtris loquens. Et mox:* Penetralia iſta, peculiaria Cœnobia ſunt Eccleſiaſtica, & Monaſteria in campis & peregrinationes.

Ita quod Ioannes permagni fecit, in genere veſtitus ſui, vt ſummam ſectaretur ruditatem ac duritiem: Idem iſti in Monachis, ac variorum ordinum Religioſis noſtris, per omnia deridendum ſuis propinant; eo paſsim & picturis communibus, & popularibus ſuis concionibus illa Chriſti deflectentes: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Aſperitas veſtitus, Miniſtris luporũ ſpiritualiũ inſigne.

Mat: 7.15.

Quòd verò Ioannes, vel in cibis aſperrimum delectum habuit, vel in vita tota caſtitatem perpetuam coluit: ne illud quidem iſti in nobis aliter interpretantur, quàm ex mero dæmoniorum inſtinctu profectum. Eo enim illa Pauli perpetuò referunt: In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abſtinere à cibis quos Deus creauit, &c. *vbi quidẽ etiã particulariter Lutherus, in margine breuem illam annectit admonitionem, de falſis hîc Epiſcopis & ſtatu ſpirituali Paulum loqui. Quin alibi ipſum*

Ciborum, Venereorumúe ſeuera abſtinentia doctrina dæmoniorũ Miniſtris.

1. Tim: 4. 1.

Vide infra n. 30.

ipsum etiam Ioannem, in ieiunijs suis longè propiùs attingere ac proscindere ausus est, in ijsdem suis Biblijs Archiminister iste.

Nam cùm Ioannes, prout ipse ieiunabat continuò, ita discipulis etiam suis multa ieiunia iniunxisset, ijdemq; aliquando ad Christum venissent, quærentes, quare non etiam eius discipuli ieiunarent se ieiunantibus: cùm respondisset Dominus, quàm diu cum ijs ipse esset, nondum ieiunij ipsorū tempus venisse; ieiunaturos verò postea, post quàm ipse vt sponsus quidam ex nuptijs ab ijs abstractus fuisset: pius hic scilicet interpres Lutherus, non veretur in margine (apud Matth: 9.) illam annotationem adiungere, omnia illa ieiunia discipulorum Ioannis (consequenter & ipsa Ioannis) quia spontanea deuotione assumpta fuissent, tanquam hypocritarum nihili fuisse apud Deum. Deum talia spernere, quin simillima esse afflictionibus sacerdotum Baal, quas ipsi sibi cultris & lanceolis spontanea scissione quondam intulere. Legat qui volet potestúe ipsa Lutheri, prout sub ipso Vitembergæ edita fuere Biblia, variis annis quæcunque, inueniet passim apud Matthæum loco citato, in margine quæ diximus.

Matt: 9. B
Marc: 3. C
Luc: 5. F
3. Reg: 18. E

Ieiunia Ioannis Luthero Sacerdotum Baalis exercitia

Ita impius iste tot Ioannis tamq; austera ieiunia in discipulis ipsius, ad Baalis referre atq; assimilare sacerdotium, & impijssimum idoli fœdissimi audet cultum, idq; totum eo solo nomine, quod contra impium ipsius Euangelismum, spontanea sua electione ac voluntate ea suscepit, nullo legis præcepto obstrictus. Vide infra n. 31.

11. Mi-

11. *Mirabitur hîc fortè quispiam, quomodo isti cùm tantopere iactitent in suis, Ioannis Baptistæ officiũ atque Euangelium: tam manifesto tamen ea, quæ illius fuere, omnia in Catholicis aspernentur. Vbi enim frons eorum? vbi pudor? vbi sensus communis ac ratio? quicquid Ioannes approbauit maximè, id totum ipsi inficiari, auersari, oppugnare in nobis maximè; ac nihilominus & titulum Ioannis, & doctrinam maximè sibi vendicare? Mirum quidem profectò, sed lõgè magis mirũ illud, quod ijdem vt ne fortè parum pudenter talia conari viderentur, incredibilia audacia atque impudentia, omnem semel exuentes frontem; etiam totum illud quod de Ioannis fide ac moribus diximus, ausi fuêre adoriri atque inuertere.* Ministri ausi omnem vitæ austerioris pœnitentiam Ioanni adimêre.

Quicquid, inquam, tota hactenus in Ioanne vel maximè mirata fuit antiquitas, in tanta illius tamq; inaudita vitæ nouitate, ac pœnitentiæ seueritate; id vno verbo isti negare totum, ac subuertere penitus sunt aggressi. Quicquid, inquam, de eremi cultura assidua, de victu eius austerissimo, de habitu asperrimo, de admirabili vitæ totius continentia, ac sanctitate, vel maximè mirati fuêre pridem populi, ita vt vndique ad eum visendum audiendumue confluerent; quicquid eo in genere, vel maximè Christus ipse, vti vidimus, hoc Euangelio approbauit; quicquid totæ scripturæ sacræ vel maximè confirmauêre: id isti vno verbo inficiantur totum, subruunt, inuertunt. Matt. 3. A

Negant Ministri nostri, Ioannem quicquam in

tota

tota vita sua à communi huminum consuetudine alienum, siue in habitatione, siue in victu, siue in vestitu, siue vlla alia in re assumpsisse: nihilo, inquam, magis, quàm ipsi nunc Ministri à communi vita suorum, inter quos habitant, ac moribus vlla in re, ne vxoria quidem, sibi secedendum putauerunt; vti nimirum esset apud ipsos per omnia, qualis populus,
Osea 4. 9. *talis sacerdos. Incredibilis profectò audacia & temeritas. Sed primùm videamus vbi quiúe ipsorum talia audeant; tum quam proiecta id fronte, contra omnem veritatem audeant, ostendamus,*

De vita ac moribus Ioannis Ministrorum sententiæ impiæ.

12. D*Ico id ausos, quotquot ferè in Ministris singulari aliqua doctrina opinione excelluêre, qui ex professò ea de re tractare aggreßi sunt. Primarios nos adducemus· Caluinus ipse vbi de Ioannis victu ac vestitu meminit, nihil insuetum in eo admittit, sola communia omnia:* Non est dubium, *inquit*, quin hîc montanum hominem describat Euangelista, ob omni vrbano nitore & lautitiis remotum. *Idem etiam in deserto Ioannis, nil aliud significari agnoscit, quàm vastitatem, ac deformem populi illius Iudaici ruinam. Tropicè scilicet illa (* vox clamantis in deserto *) non ad literã accipiens. Beza verò longè etiã clariùs:* Quod, *inquit*, Ioannes dicitur concionatus in solitudine, non est ita accipiendum, quasi fugerit hominum cõspectum, vt ij postea fecerunt, qui

Caluin. in Harm. in 3. Matth.

Beza in 3. Matth.

qui propterea dicti ſunt Eremitæ, ſed deſertum ex vulgi conſuetudine hîc vocatur regio ſaltuoſa, in qua habitabat Zacharias, vt ſcribitur Luc: 1. D. 40. ibi quoq; fuiſſe domum Ioab legimus 2. Sam: 2. F. 34. Et huius deſerti ſex oppida numerantur, Ioſ: 15. 51. *Ita iſte. Ita celebres illi Lutheranorum Centuriatores, Illyricus cum ſociis de Ioanne:* Deſertum, *inquiunt*, hoc Ioannis, non de aliquo antro ab hominum conuerſatione remoto, accipiendum eſt, quaſi ibi velut Vrſus & Miſantropus delituiſſet, ſicut poſterioribus temporibus Eremitæ, & id genus homines, ſuperſtitioſos ſibi finxerunt cultus; ſed in œconomia ſacrorum parentum eſt educatus, qui habitarunt in loco ad regionem montoſam ſito, qui vulgò deſertum vocabatur. *Et iterum*: Fuit Ioannes in deſerto, hoc eſt, in regionibus circa Iordanem, vtpotè quæ ob vicinos montes, deſerta vocabantur, cùm tamen in eo tractu circa Iordanem, vtpotè piſcuoſo loco, pratis irriguo, & paſcuoſo, plurimi homines habitarunt. *Ita iſti: Iidem verò de veſte Ioannis:* Non eſt (*aiunt*) conſentaneum crudas tantùm pelles Camelorum ſic fuiſſe connexas, vt quidam opinantur, ſed vſitato genere veſtitus, quaſi illi, qui ad loca montoſa habitabant, induebatur. Centur: 1. li. 1. c. 10.

David verò Chytræus, longè etiam quid audet ampliùs, de veſtium Ioannis mollicie. Nam quam

ſcriptura ex pilis Camelorum confectam aſſerit, & *tanquam rudiſsimam, atque ab omni mollicie remotiſsimam deſcribit; eam ille in genere illo ponere audet, quod vndulatum olim vocare ſolebant veteres, non niſi nobilioribus hominibus conſuetum. Ipſum ea de re loquentem audi:* Veſtis, *inquit*, Ioannis erat contexta ex pilis Cameli, ſimilis ei quam hodie vulgò à Camelis vocamus, Kamelott, vel Schamlott, latinè vndulatam. Non fuit ſordida veſtis, neque precioſa, ſed mediocris Κοσμιος & in ijs locis ἐυπορισὸς. *Ita iſte. Deinde Martinus Buccerus de veſtitu æquè ac victu Ioannis ſic loquitur:* Fuit Ioannes in deſerto vilioribus, id eſt deſerti incolis aſſuetis, cibis, & veſtibus, panno ex pilis Camelorum confecto veſtitus, ne quis exiſtimet in morem noſtrorum Monachorum, peculiare ſibi aliquod cibi & veſtimenti genus delegiſſe. *Hæc Miniſtrorum primariorum ſententia; quos tota armenta reliqua ſecundariorum iam communiter conſequuntur.*

Chyt: in 3. Matt.

Veſtis Ioannis ex Schamlott.

Buccer: in Matt.

Itaq; qui hactenus ab omnibus retro ſæculis, iam inde ab ipſa Chriſti ætate incipiendo, creditus eſt ſingulari præ omnibus hominibus vitæ auſteritate excelluiſſe Ioannes Baptiſta, ita vt parem eo in genere nunquam ante habuerit; vnde quidem in ſummam admiratione͂ etiam vniuerſum rapuerit Iſraël: iam inaudito iſto Miniſtrorum Euangeliſmo, imò inaudita audacia, ita in ordinem redactus eſt, vt nihil prorſus habuiſſe in toto eo genere ſingulare videatur,

atur, præ omnibus montanis hominibus, loca alioqui piscuosa æquè ac pascuosa incolentibus, hoc est, omnibus ruralibus delicijs affluentibus, solasq; illas exquisitas lautitias, vel vestium, vel ciborum, aulis Regum ac Principum consuetas, solitis declinare. Sed quam id totum temerariè, videamus, ac de deserto Ioannis primùm.

Desertum Ioannis vera Eremus fuit, non montana Iudææ regio; alioqui habitatissima.

13. S*I vno fortè in loco scripturæ sacræ deserti Ioannis meminisset, fuisset forsan aliquis ambigendi locus; veramne eo nomine solitudinē intelligi voluisset, an quid secus. Nam cùm tam frequens alioquin occurrat Baptistæ mentio, ac loci nominatim, in quo ipse vel vitam degerit suam, vel concionatus sit: saltem aliquo in loco aliquam significationem dedisset, non Eremum se veram, sed vel ciuitatem aliquam montanam intelligere, vel locum habitatum quemuis; prout facit tunc scriptura, quando ad habitata prodire cepit propiùs Baptista, vt apud Ioannem videmus, quòd in Aenon iuxta Salin Baptizauerit. Iam verò cùm decies vel ampliùs eius rei meminerit scriptura, & nunquam tamen alio quàm deserti nomine mansionem Ioannis censeat, quomodo non summè erit temerarium, desertum ei negare, ac è contra loca omnibus delicijs rusticanis affluētia, vtpotè tam piscatione, quàm pascuis, & maximè ideò culta habitataq; ipsi asʃignare? Sed scripturas videamus.* 13.

Scriptura plus decies meminit deserti Ioānis, eadem appellatione semper.

Ioan: 3.33.

 Ita

Matt: 3. 3. *Ita enim primùm in hoc Euangelio Dominus*
Mar: 1. 3. *tertiò iterat*: Quid exiſtis in deſertũ videre? &c.
Luc: 3. 4. *Ita apud Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem,*
Ioan: 1. 23. *ex Iſaia Propheta*: Vox clamantis in deſerto,
Iſa: 40. 3. parate viam Domini. *Ita iterum apud Matthæum (cap: 3. A 1.) prædicaſſe dicitur* in deſerto Iudææ, *apud Marcum (cap: 1. A 4.) fuiſſe* in deſerto baptizans, *& prædicans baptiſmum pœnitentiæ; apud Lucam (cap: 3. A 4.) factum fuiſſe* verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto: *Et apud eundem etiam illud peculiariter additur, iam*
Luc: 1. 80. *inde à pueris deſertum incolere cepiſſe*: Puer, *inquit*, creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, vſque ad diem oſtenſionis ſuę ad Iſráël.

Itaq; & ex antiquis Prophetis, qui vnus meminit habitaculi Ioannis Iſaias, deſertum illud appellat, non aliter; & ex nouis tum Chriſtus ipſe, partim hîc apud Matthæum in hoc Euangelio, partim
Luc: 8. 24. *apud Lucam, idem Euangelium deſcribentem, tum*
Ioan: 1. 23. *ipſe Baptiſta Ioannes, ad Iudæorum legata, quis eſſet reſpondens, tum omnes deniq; Euangeliſtæ, conſenſu maximo, & perpetuo, idem habitaculum non niſi Eremum vocant in græco, deſertum in latino, nec vnquam aliter. Quin ergo nos vt ſcapham ſcapham, ligonem ligonem, ſecurim ſecurim ſignificare admittimus: ita & deſertum deſertum, Eremum Eremũ deſignare admittamus? præſertim cùm & tam abſona ſit iſta Miniſtrorum interpretatio, vt nullo eam pacto admittere, tot quæ adduximus loca poßint, & iis præ-*

iis præterea circumstantiis desertum hoc describat scriptura, quæ euidenter ostendant non nisi de vero deserto intellexisse; & nulli denique antiquorum Doctorum vnquam, vel in mentem venerit aliter hoc desertum accipiendum esse?

Absona primùm tota est Ministrorum interpretatio. Nam eo tandem declinat, vt in montanis Iudææ, in ciuitate paterna, ad quam nimirum conscendit festinans virgo Deipara, Elizabetham visitatura, inter sacros parentes suos educatum Ioannem insinuent. Hinc nimirum vt montanum nobis hominem describi vult Caluinus Ioannem, hinc Beza adeò diligenter annotat in montanis, seu in deserto Zachariæ domum sitam fuisse; Hinc Magdeburgenses expressè in œconomia parentum mansisse asserunt, prout ante vidimus. Absurdissimi Ministri *Luc. 1.38.*

At verò, ita iam non modò non in deserto, sed omnium propè celeberrimo antiquo loco totius Iudaicæ tribus, Ioannem imprudentes collocant; nempè in Hebron, cuius & frequentissima in scripturis sacris mentio est, & quæ aliquot annis ante Hierusalem, totius etiam gentis caput fuit. In eo namq; septem annis Dauid Regiam regni sui sedem constitutam habuisse legimus. Ipsa enim ciuitas illa in montanis Iudææ fuit, sacerdotalis habitationis, quam propterea cognatam visitatura ascendere debuit B. V. Maria. Montana Iudææ celeberrima. *2. Reg. 2.11*

Disertè nos id scriptura docet in Iosuæ: Vbi dum describuntur ciuitates, attributæ Sacerdotum domiciliis (inter quos necessè erat & sacerdotem Za- *Iosua 15.11* Hebron ciuitas Sacerdotalis Iudææ.

chariam sistere) nominatim exprimitur in monte Iudæ, Hebron olim Cariath-arbe dictam, ei vsui destinatam. Mat: 5. 15. *Poteſtné autem ciuitas abſcondi ſupra montem poſita? Negat id quidem expreſſè Dominus. Quantò verò minus illuſtriſſima propè totius tribus Iudæ ciuitas, hoc eſt, ſecunda ex centum quindecim,* Ioſua 15. A B C. *quæ apud Ioſuam enumerantur? quomodo ergo eam perpetuo in ſcripturis deſerti, eremi, ſolitudinis, nomine (vti ſupra vidimus, manſionem Ioannis vocari) intelligemus notatam? maximè verò cùm alioqui Hebron ipſa, plus quinquageſies in ſcripturis proprio ſuo nomine exprimatur, nec vnquam tamen deſertum fuiſſe adſcribatur? Itané autem Miniſtris noſtris merum ac perpetuum ſcripturæ deſertum, vnum idemq́ eſt cum ſumma celebritate? obſcurum ac latens idem quòd lucidum atque omnium oculis expoſitum? nox idem quod dies? Ita quidem ſi quod volunt iſti, licere ſibi omnia, idem & nos eis conceſſum fateamur. Sed clariùs id fiet; ſi alias etiam deſerti Ioannis circumſtantias attendamus.*

14\. Ioannis deſertum latens, at ciuitas paterna notiſsima.

14\. *Etenim non ſolùm deſertum perpetuò appellatur in ſcripturis, ſed & tale in quo ignotus fuerit, vſque ad diem, quo in publicum primùm anno decimo quinto Tyberij Imperatoris prodijt.* Erat, *inquit Lucas*, in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſráël. Luc: 1. 80. *Deinde oſtenſionis eius diem illum Lucas vocat, quo tandem ab intima illa eremo, ad loca Iordani hominesq́ prodire cœpit paulò propiùs, atq́ ita ſeſe in publico oſtendere, vt partim prædicatione, partim baptiſmo ſuo, ſe manifeſtaret Iſraëli.*

Ille

Illo vsque igitur minimè ostensus, sed latens, ignotus, & à communi hominum conuersatione totus in eremo sua separatus. At verò in ciuitate paterna tam illustri, neque latere omninò potuisset, vir & tantus ipse, & tanti sacerdotis filius, tantaq; matris; & alioquin tanta circum ipsum, in ipsa natiuitate miracula facta fuerāt, quæ ne permisissent quidem eum in tota illa vicinia vspiam delitescere, vt de quo illa testetur Lucas: Timor, *inquit*, factus est super omnes vicinos eorum, *(audientes nimirum mirabilia, quæ circa infantē diuinitus conceptū natumq; acciderant)* & super omnia Montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hęc, & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. *Et non ita multo post*: Erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ. *Luc: 1.65.*

Adde quod & in hoc Euāgelio, & paßim tale desertū describatur, ad quod perueniri non potuisse, nisi exeundo ex locis habitatis expreßè ponitur: Quid existis, *inquit*, in desertum videre? *Et iterum iterumq;*: Sed quid existis videre, &c. *Matth: verò alibi etiam sic ea de re loquitur*: Tunc exibat ad eum Hierosolyma & omnis Iudæa, & omnis Iudææ regio, &c. *Extra regiones ergo habitabat ipse Iudææ, cùm inueniri non potuerit nisi exeundo ab omni Iudææ regione.*

Iudæam exire oportuit venientes ad Ioannis desertum: *Matt: 3.5. Mar: 1.5.*

Adhæc omnis ratio victus vestitusq; propriißimam eius fuisse solitudinem testantur. Hoc enim est quod

Omnia Ioannis desertum verum sapiunt.

est quod Lucas affirmat, neque panem manducasse, neq; bibisse vinum; nimirum quia intimum desertũ, & ab omni cultura hominum remotum, neq; panis ferax esse poterat, neq; vini. Contra verò nominatim adhibuisse ad victum exprimit Matthæus mel sylue- Matt. 3. 4. *stre, & locustas. Ita vestitus rudissimus ex pilis Camelorum textus, zonaq; dermatina siue coreacea rudis ac cruda, desertis aptissima.*

Signum præsentis Messiæ prædicatio in deserto.

Deniq; notat ipse Lutherus, nec malè, in Bibliis suis in illa Matthæi ex Isaia, Vox clamantis in deserto, &c. *Signum Iudæis à Propheta illis verbis illustre ac certum datum, quo aduenisse Messiam dignoscerent; si quando essent audituri, de aduentu eius hominem, non iam in templis & synagogis, sed in desertis concionantem. Idq; in Ioanne completum esse. At verò si in montanis Iudææ, hoc est communi hominum consortio, concionatus est Ioannes; neque nouum quicquam, neq; mirabile eo in genere attulit, & quod in singulare testimoniũ Messiæ iam præsentis seruire vllo modo posset: quia alio-* Act. 13. 17. *qui per omnia ea oppida Iudaica, æquè montana atque campestria, consuetum erat Sabbathis singulis, de scripturis sacris ac prophetarum vaticiniis, publicè dissèri & conciones haberi.*

Vnanimis Doctorum consensus de deserto Ioannis.

Ad extremum nullus est Doctorum omnium, cui ante hac tempora, vel in mentem venerit aliter desertum Ioannis, quàm pro deserto accipere. Citat hîc in suo Catholico Stapletonius de p̃senti Dominica agens, Originem Hom: 11. in Lucam, Chrysost: Homil: de Natiu: Ioan: Hieronymũ Epist: 4.

ad Ru-

ad Rusticum Euseb. lib. 9. demonstrat Euang. c. 5. Cyril Hom: in Vigil. Ioann. Baptist. Bedam in cap. tertium Matth. Theophilac. ibidem; Cassian. collat. 18. cap. 6. vnaq; omnes historicos Ecclesiasticos, Sozom. lib. 1. cap 12. Niceph: lib. 8. cap. 39. &c.

Hæc Staplet: qui quidem etiam in suis Euangeliorum Antidotis optimè notat, nil esse adrem, quod Beza vt supra vidimus, adducit locum scripturæ in Iosuæ, vbi in deserto Bethabara sex ciuitates fuisse enumeratur. Aliud enim in Hæbreo ibi nomen esse, alud ex Isaia apud Matthæum: & ibi quidem desertum posse loca saltuosa ac montana significare, hic verò non nisi eremum meram, & solitudinem. Quanquam ne sic quidem, & si vnum idemq; nomen vtrumque foret, consequens esset, & hic de Ioannis deserto, ita id accipiendum. Neque enim si semel ita inueniamus acceptum desertum, propterea semper ita accipietur, puta quando Moses eduxisse populum in desertum dicitur, atque in eo habitasse annis 40. quando Christus in desertum ductus dicitur à spiritu vt tentaretur à Diabolo, ita quando latuisse in deserto Ioannes dicitur, vsque ad diem ostensionis suæ, Constat enim ex certis rerum circumstãtijs, pro vt superius de hoc loco docuimus, non posse hic aliter, quàm pro vero deserto accipi, æque atque illud desertum vel Moysi, vel Christi, pro alio quàm vero deserto accipi non potest. Et hæc quidem de deserto Ioannis, iam cætera videamus.

Antid. Stapl in 3. Matth.

Ios. 15. B. 6.

An desertũ loca forte habitata significet.

Victus Ioannis, vestitusque ac vita tota, vere singularis fuit ac mirabilis, non illa mõtanis Iudææ incolis vulgaris.

Ioannes per petuo cælebs

15. *SI nil nisi commune in uictu, habitu, vita tota Ioannis, Euangelia nobis commendant, vt fallaces isti Ministri dicunt, illud verò solùm ostendere volunt, omnem vrbanum nitorem ac lautitias, eum declinasse, quid est primum quod tam altum sit silentium de dulcissima eius coniuge? tam Ministro cuius Euangelico necessaria, vt ni eam quis habeat, contra illa Pauli se deliquisse inexpiabili crimine existimet:* Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum?

Nam vxorem quidem nullam vnquam habuisse Ioannem, ne vnam quidem illam, quocunque ea modo apud Paulum vna intelligenda sit, partim ipsum scripturæ silentium, ea de re, etiam ijs in locis vbi maximè omnium vxoris præsentiam, si qua illa vspiam fuisset, exprimi oportuisset; vt supra vidimus, (de vita & moribus Ioannis) satis ostendit: partim ipse ille Ministrorum omnium rubor demonstrat, quo licet cætera Ioannis omnia (vti docuimus) impudentissima temeritate, ausi sint aggredi atque inuertere; nemo tamen eorum omnium ita adhuc perfricare frontem ausus est (nisi quidem nostra nos fallat memoria) vt vxorem illi vllam assignaret. In eo ne autem solo, quod & maximè omnium in optatis est Ministris omnibus, & in summè serium, vt ipsi volunt, scripturæ præceptũ habet.

1. Tim. 2. Act. 2.

G

habet, & maximè communi hominum vitæ vsitatum, princeps hîc omnis veræ Euangelicæ prædicationis, ab omni communi consuetudine Euangelismi huius; imò Sacerdotij etiam antiqui, (in quo, & ex quo natus erat ipse,) Sacerdos inquam ex Sacerdote, adeoq́; totius populi sterilitatem vnam in magna infœlicitate ponentis, sibi recedendum censuisset, homo inquam alioqui studiosissimus, vt isti volunt, vitæ omnium hominum communis ac peruulgatæ?

Deinde constat ita exactè in scripturis annotari de Ioanne omnia; & quæ inquam ad domicilij ipsius locum, & quæ ad cibum potumue, & quæ ad materiam etiam amictus, eius pertinuerint, vti de aliorum Sanctorum nullo, vel certe vix vllo. Si in ijs omnibus, non nisi vsitata ac communi sectatū voluere significare Euangelistæ, quo id tandem consilio? quo fine? quaue necessitate ita descriptum dicemus? Quid enim mirum, quid nouum? virum sanctissimum communi fuisse contentum sorte in hisce; nec vllos excessus adamasse aut consectatum fuisse! An verò solus Ioannes talis? Nonne omnes patriarchæ? omnes prophetæ? omnes sancti antiqui tales? Cur ergo & eorum singulorum non descripsit nobis in huiuscemodi rebus simplicitatem scripturæ; Ioannis tam studiosè descripsit? **De nullo Sanctorum scribuntur, qualia de Ioanne.**

Cur inquam non expressit nobis scriptura sacra quid in cibo potuve sugere, quid adhibere soliti fuerint? quali ex panni genere vestem gestare, quomodo vel in eremo vel prope, degere consueuerint,

aliaq́;

aliaq; his similia, in solo verò Ioanne expreßit? Quid verò Christus ipse? quid Apostoli? quid mater Christi? quid tot sanctißimi primi Ecclesiæ filij? An nō & ipsi omnes ab omni lautitia superflua alieni? Cur ergo non & ipsorū, vel in uictu, vel in vestitu tā serio describitur exercitatio peculiaris? In solo Ioanne cum tanta mundi admiratione describitur? An in solo Ioanne memoria perpetua dignares, communibus se hic finibus continuisse; in tot alijs, non minus & ipsis maximis Dei amicis, quorum eadem secundum istos ratio, indigna?

Plura scribēda fuissēt de Ioanne si vulgaria.

Quid? nonne æquè communis vsus est vulgarium hominum in victu quidem, panis quotidianus, vinum (in palestina præsertim partibus, vbi tum Ioannes) butyrum, caseus, lac, pira, poma, fructus, (pascuosorum ac saltuosorum oppidorum maximè propria) in vestitu verò, interula, pileus, tibialia, calcei, pannus quiuis vulgari ex lana cōtextus, mōtanis hominibus maximè vsitata? Cur ergo scriptura Sacra, ea quidē omnia reticet, solas verò exprimit locustas in cibis, ac mel siluestre? pane omni ac vino expresse negato? in vestibus verò tunicā ex pilis Camelorum confectam, ac pelliceam Zonam? An non satis superq; hoc ipso significare voluit, nihil se vulgare in Ioanne annotare; sed singularia omnia & à cōmuni hominum consuetudine longißime remota?

Nō vulgaria fuisse quę de Ioanne confirmat Christus ipse.

Confirmat idem Christus ipse indubitato testimonio, confirmat communis opinio omnium eorum, qui vel ipsi præsentes tum vidêre audiuêre vè Ioannem,

nem, etiam contemptores alioqui & omnis prædicationis illius osores; vel postmodùm vsque ad ista nostra Ministrorum tempora vixère Euangelij Doctores. Christus ipse victui quidem Ioannis tale testimonium perhibet, vt apud Lucam; eum neque panem manducasse, neque vinum bibisse asserat: apud Matthæũ verò, mox post hoc Euangelium neq; manducasse omnino, neque bibisse. Hoccine autem est communem cum cæteris hominibus victum vsurpasse? Vestitui verò tale tribuit Elogium, vt dignum fuisse spectaculum insinuet, ad quod visendum, vndique populi vsque in mediam solitudinem confluerent. Quid existis, *inquiens, in hoc Euangelio* in desertum videre? hominem mollibus vestitum: *Illud innuens & meritò iuisse & inter alia propterea iuisse, vt viderent coram, qualia domi nunquam viderent, hominem inquam non mollibus amictum, non communi ac vulgari, omnibusq; vsitato panno contectum; sed pilis camelorum simplicissimis, ac zona rudi crudaq; pellicea succinctum, minime scilicet positus communi in vsu hominum aliorum.* *Luc. 7. 33. Matth. 11. c. 18.*

16. *Vulgus verò commune, cui in hoc Euangelio loquitur Dominus, ita permotum fuit inaudito illo Ioannis vitæ rigore ac vestitus ruditate nouitateq;, vt vel ad eam visendam in desertum vsque excurrerit, atque vndique confluxerit. Ipsum hoc Euãgelium satis id dilucide contestatur, eo ipso quo quærit:* Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? *Et respondet,* Ecce qui in mol- 16. Idem confirmat populi sentẽtia cõmunis.

in mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Egreßi estis inquit contemplaturi Ioannis habitum, si mollem illum, vtique non venißetis in desertum, nam non eo loco talis inuenitur, sed in regum domicilijs. Singulare quid ergo quæsiuistis, & ab omni mollicie remotißimũ; & quale quæsiuistis, tale quid inuenistis, nec spe vestra fraudati estis. Addamus verò nos, si hominem quæsiuissent communi montanorum hominum more amictum; non vtique opus fuisse in desertũ excurrere, ac ne quidẽ pedẽ mouere longius. Omnia enim montana oppida, omnes pagi infinitos ipsis tales exhibuissent. Et tamen isti, relicta etiam omni Iudææ habitata regione (vti vidimus) in desertum vsque, ad spectandũ habitum vnius Ioannis excurrêre. Et hæc quidem affectio plebis communis in rebus Baptistæ admirandis.*

Idĕipsi inimici Ioãnis testantur.

Osores verò ac contemptores eiusdem, eo deuenêre impietatis; ex ipsa illa insolita eius viuendi austeritate, quam videbant: vt cum vna quidem ex parte, manifeste animaduerterent, omnem communem vitæ humanæ eum excedere morem; ex altera verò diuinæ id operationi nollent attribuere, totam tandem diabolicæ virtuti adscriberent. Testatur id

Matth. 11. *c.* 18. *ipse Dominus.* Venit, *inquit*, Ioannes neque manducans panem, neque bibens vinum, &

Lu. 7. *c.* 33. dicitis dæmonium habet: Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis. Ecce homo deuorator & bibens vinum. *Sane quidẽ, si nihil nisi humanum & consuetum eo in genere Ioannes*

annes sectatus fuisset; vnde ex ipso illo victus genere vel suspicio cuiquam, suboriri potuisset, dæmonis opera fieri quæ fiebant? cum quiuis hominum vulgarium ipsa vulgari vitæ suæ ratione, similia imitari soleret.

Ad extremum, vt totum hoc simplicissima cõsideratione terminemus, dum Scriptura Sacra ita accurate exprimit, melle siluestri ac locustis victitasse Ioannem, pilis verò camelorum ac zona pellicea tectum fuisse: vel illud significare voluit, nihil prætereà vnquam aut in cibum quotidianum suum adhibuisse, aut in amictum; vel omni quidem etiam alio, & ciborum & vestimentorum genere communi vsum, sed his peculiariter, tanquam communissimis, ac montanis hominibus maximè consuetis delectatum fuisse. Si primum illud concedant Ministri; nihil est quod quæramus amplius. Habemus enim certe hominem iam vltra communem hominũ consuetudinem, delectum tam ciborum, quam vestium asperrimum agentem; vt qui tota vita sua in vestitu quidem & capite, & pedibus, totus nudus perpetuo incesserit, & omni lino molliore sibi temperauerit: solo interim cilicio ex rudibus, cameli pilis contexto, carnem perpetuo atterens maceransq́; in victu verò, non tantum carne & pisce, sed & lacteis omnibus, & oleatis, & pane etiam ipso, & omni fructuum hortensium genere, atque alio quocunque esculentorum apparatu, abstinuerit penitus.

Idem ratio omnis euincit.

Sin alterum illud, tota igitur hæc tam accurata descriptio Spiritus S. de Ioanne, prorsus conuincetur

cetur fuisse inanis ac superflua. Eo enim recidet tādē, vt nobis nihil dicat de ipso aliud, quàm sua cum sorte mediocri contentum fuissè, vt vulgares homines omnes; & desertum quidem incoluisse, siue loca saltuosa ac montana; eo quod in ijsdem natus atque educatus fuerit, prout dulce solum patriæ cuiuis esse solet: In victu verò ac vestitu similiter ea etiam acceptasse, quæ toti illi regioni alioquin familiaria fuêre, mel, locustas, pilos camelorum & similia; haud secus ac si Historicus quispiam scriptor post longas variorum Heroum descriptiones, tandem vnum quempiam singularem exornans; si quid magnum & mirabile dixisse autumet, si vulgatissima quæq; ei attribuat, puta Hollandum quempiam mēsis suis quādoq; butyrum ac caseum apponi passum, Thuringum autem halecem, rusticanū verò quemuis pultem, pisa, caules, aliaq; similia istis. Qua quidem re quid ineptius Sacris Euangeliorum scriptoribus adscribi poßit, non video; cum nihil sit euidentius, quam eos, quiquid hoc in genere de Ioannis moribus memorant, tanquam singulare quid atque omnibus seculis memorabile, memorasse.

Vt interim taceam, nulla id ratione cum ijs quæ diximus constare posse, præsertim cum ipse se Christus cum Ioanne eo in genere comparans, longe quid singularius minusq; solitum Ioanni aßignet. Se enim & panem quidem manducasse, & vinum bibisse affirmat, cum Ioannes nil tale vnquam acceptauerit. Quis verò de Christo Domino nostro, aliud vnquam sibi persuaderi patiatur; quam communibus vul-

bus vulgaribusq́; (qualia Ioanni sola isti dant) etiam ipsum acquieuisse perpetuo, neque vlla in re, nitorem vrbanum elegantiasq́; consectatum fuisse? Sed valeant ineptißimi isti nouitatum Magistri; quos facile constat in tantis istis deprauationibus, nil aliud quam suæ quæsiuisse licentiæ operculum: vt nimirum ne ipsi, per omnia laicis ac vulgaribus vitæ hominibus simillimi, (iuxta illud; qualis populus talis Sacerdos) nimium viderentur tanto prophetæ dißimiles, vel in vita vel in doctrina sua, vel in omni denique ea, quã induxêre in Ecclesiã, dißolutione.

PARAENESIS AD LECTOREM Euangelicum nuncupatum.

Certissimos esse impostores Ministros, vt qui ipsi etiam Ioannis sanctitati tantæ, anathema suis Euangelismis dixerint, meritoq; ideo fugiendos.

17. *AD te ad extremum iam venio lector amice, qui Ministrorum talium disciplinam secutus fuisti hactenus; te compello, te ist hæc paulo propius vna mecum expendere volo. Atque illud hic primùm ex te quæro, vllum ne amplius dubium apud te habeant, quæ nos tam multa hic de vita ac fide Ioannis disputauimus an secus? Si dubium forte, iterum iterumq́;, vt ea expendas moneo: & nisi me fallat vehementer opinio, ausim affirmare, te ne poße quidẽ, nisi forte cũ ratione ipsa pugnare velis, hæsitare amplius.* 17.

Nullum est dubiũ, insolitum vitæ gen' sectatũ Ioannem.

Quid enim eorum omnium est, quod vllum dubium admittat? An illud forte; vitam Ioannis in omni suo instituto, in victu inquam, in amictu, in habitatione, in omni mũdanarũ illecebrarum (etiam cõiugij ipsius) seuerissima declinatione, in asperrima denique sui ipsius despicientia & castigatione; non modo vulgarem montanis hominibus omnibus non fuisse, sed & omnibus retro sæculis inauditam, ac supra omnem communem hominum captum, admirabilem? At ea de re, si vel maximè velis, dubitare te non permittit scriptura Sacra, non communis populi illius, qui coram Ioannem aspexerat, opinio, non ipsi Ioannis accerrimi inimici, non ratio vlla, non testimonium Christi Domini manifestum; vt paulò ante singula ista, nos demonstrauimus fusè.

Nullum est dubium, ad Dei gloriam talia sectatũ Ioannem.

Quid ergo? An illud forte dubium tibi est, alio quocunque fine, talia tamque insolita & austera suscepisse Ioannem exercitia: quam vt vni ita Deo se probaret magis, vt in omni ipse vitæ sanctimonia proficeret magis, vt exemplum seuerioris pœnitentiæ, omnibus præberet illustrius? At ne hoc quidem permittit vel ratio vlla, vel scriptura Sacra ipsa,
Mat. 11. 9. *vel perspicuum ipsius Christi, de Ioanne testimoni-*
Ioan. 1. 7. *um, vt pote de homine & Propheta, & Angelo*
Luc. 1. 77. *Dei, & qui venerat in testimonium principaliter à Deo missus, vt testimonium perhiberet de lumine; & qui diuinitus eo institutus, vt daret in scientiam*
Mat. 11. 11. *salutis plebi Dei, in remissionem peccatorum ipsorũ; & quo denique inter natos mulierum, vsque ad illa tempora, nullus hominum surrexerat maior. Talis-*

ne enim

ne enim talia tantaq; sponte sua in sese susciperet, vel stulta aliqua leuitate inductus, vel ad inanem vulgi ac popularem auram captandam permotus, vel vllo denique alio fine persuasus, quam qui ad Deum salutemq; animarum rectà tenderet? Sic verò non solum non fuisset dicendus præ omnibus superiorum seculorum hominibus maior: sed præ omnibus etiã cæteris vel inanior vel amẽtior; prout præ omnibus illis, asperrima quæq; vitæ studia in se ipso fuisset tam stultè consectatus.

At verò hæc cum ita habeant, iam certe ne illud quidem amplius dubium apud te habere debet: fidem de ijs omnibus Ioannem eam habuisse, quam supra docuimus; talia nempe opera vel pœnitentiæ, vel pietatis, cum ratione suscepta, & Deo gratissima, & saluti animarum procurandæ aptissima esse, vtilissimaq;. Ac ne illud quidem etiam iam ambiguum, eandem etiam postmodum alijs fidem prædicasse Ioannem, vtpote quam habuit ipse, & non alienam ab ea quamuis, aut diuersam. Iam ergo perge mecum, & ad nostra isthæc tempora applica, ac Catholicos nostros Romanos attende primum. **Nullũ dubiũ est, & fide & doctrina talia ꝓbasse Ioannem.**

Potestnè tibi vel in mentẽ venire vt dubites, ipsissimam esse fidem istam Ioannis, quam hodie & corde complectitur, & ore profitetur, & re ipsa in perfectissimis quibusue membris suis, æmulatur Ecclesia Catholica Romana? At hic non solum iam aures tuæ (modo concionibus eas Catholicis de rebus hisce audiendis accomodes) sed & oculi ipsi & manus te conuincere possent erroris. Nam & ocu- **Nullùm dubium ergo, Papistam fuisse Ioannẽ.**

 lis certe

lis certe videre, & manibus prope palpare inter Catholicos potes, modo studium adhibeas, simillima Ioanni (quantum quidem fragilitas humana patiatur) etiam hodie & commendari in Ecclesia, tot præsertim religiosorum ordinum pijs institutis ac regulis, & exerceri, ab infinitis cultoribus cænobiorum benè reformatorum.

Nullum dubiũ est non fuisse Euãgelicũ Ioannem.

Inde verò iam etiam ad Ministros istos nouos te conuerte, & cum ipsorum, vel fide, vel moribus in contentionẽ istã mitte. An quicquam tu vel imaginari tibi possis diametro toto oppositum magis, ac contrarium, quam ista illis? nihil profectò posses. Contraria Ioanni consilia, infælices Ministri omnia & corde toto complectuntur, & verbis ac prædicatione continua ingeminant, & re ipsa tãdem atque vsu quotidiano exercent. Docuimus ista nos iam supra fusius, omnia; nec est quod multis eadem iteremus. Nam & vnicum si Lutherum patriarcham omniũ, cum præcipuis suis primis Archiministris, intuearis, ac consideres paulo attentius; quomodo scilicet ante nec fieri, nec nominari potuerint Ministri, suo more Euangelici, quàm omnem Ioannis imitationem, quàm professi fuerant, eiurassent, vti vidimus, certissimo tibi argumento esse potest, istius quod diximus. Quid ergo iam tandem? Euangelicus nè tibi amplius prædicator Ioannes, prout Ministri tui tibi persuasere hactenus, an Catholicus Romanus Papista? Si vlla tibi superest rectæ rationis scintillula, tecum ipse quid ea tibi, hisce omnibus ritè expensis, dictet considera: & ecce veram

quam

quàm Ioannes docuit, inueneris iam salutis viam fidemq́;

18 Iam quidem certe, vel hæc sola quæ diximus hactenus prudenti cuiuis satis esse poterant: attamen vt ne vllus hic forte remaneat scrupulus; libet eadem paulò etiam presſius perurgere, atque sub aspectum tibi dare significantius. Quærimus an Catholicus concionator fuerit Ioannes, an fortè Euãgelicus, nouo pro more loquendi Minister? Dico eam causam in pleno aliquo Ministrorum tuorum concilio videri examinandam. Nam ex eius etiam sententia diiudicari id planiſsime poſse, ita vt nusquã aliunde planius pleniusuè. 18. Examinantur Ioannis mores publico concilio Ministrorum.

Age ergo vna mecum tibi concilium aliquod generale Ministrorum tuorum omnium pone ob oculos, & hinc quidem Archipatriarcham eorum Lutherum, cum Achate suo Melanchtone, cæterisq́; asseclis comministris omnibus, aſsidere ordine: inde verò etiam Zuinglium, Caluinum Bezam cum suis, sua itidem loca occupasse ordine, vel si ita videatur, seorsim etiam alicubi conuenisse hosce, si forte putas quasi equos quosdam indomitos, in vno eodemq́; loco stabulari ac conuenire eos non posse. Consultare verò istos vel in commune omnes, vel seorsim vtrosuis; de comministrorum suorum numero amplificando tibi imaginare.

Dum in media sunt deliberatione, pone me vna cum Ioanne Baptista medium concilium ingredi, eo habitu, eaq́; conditione per omnia, qua ex sacris literis tibi eũ hactenus descripsimus: & me quidem Ioãnes conciliũ Ingreditur.

præcedere, vna manu rudem aliquam patellam gestantem, in qua modicum quid mellis syluestris ac locustarum repositam, altera verò simplex aliquod aquæ vasculum, ipsum verò Ioannem è vestigio subsequi, nil toto corpore præter asperam ex pilis camelorum contextam vesticulam, eamq; crudi corij zona constrictam gerentem; de reliquo & capite nudum, & pedibus, & nullo, non solùm elegantiori cultu, sed ne necessario quidem habitu præterea amictum. Pone autem eo nos fine taliter ingredi concilium tale, vt sententiam concilij totius de tali Ioannis statu ac conditione facilius exquiramus.

Hic ego te per ipsum veritatis amorē primùm obsecro, illud vt tecum expendas studiosius, quo tandem animo vtriq; affectos esse hosce tali in casu par foret, vel re ipsa futuros putes? Vtrinq; inquam & Ministros erga taliter constitutum Ioannem; & taliter instructum Ioannem erga tales Ministros? Si eiusdem Euangelicæ professionis omnes, vtrinq; forent censendi, assurgerent, certè, tali Ioanni Ministri omnes: susciperent, ac sua illi capita inclinarēt omnes, primùm verò etiam locum vel ipso Luthero cedere iussò assignarent; vt pote prædicatorum omnium maximo perfectissimoq;, ac Baptistæ primo, cum non nisi secundus ipsis Baptista Lutherus; cōtraq; etiam Ioannes amicissime consalutaret dulcissimos fidelissimosq; cōmilitones suos, eos beatos prædicaret in tam nobili Euangelij sui Ministerio, ipsos in proposito confirmaret, sūma denique animorum consensione mutuo sibi approbarent sua omnia: vt

pote

pote eiusdem ita Euangelicæ professionis vtrinq; per omnia. Sed quid tandē futurū existimas occasione tali? si ex te ipso id sorte æstimare nescis, audi quid omnis hic ratio futurum dictitet. Breuissimo enim id quasi dialogismo quodam planissimum tibi faciemus.

Primùm quidem viri, vt videri volunt, & grauissimi & Euangelij sui Zelantissimi Ministri, nihil agent in re tanta, præpropere; præsertim cum in habitu exteriore nil videant suum, nil inquam molle, vxorium nihil, adeoq; nihil, communi hominum more loquendo, nē humanum quidem. Ergo mirari primùm illi intra sese, cachinari etiam ac digitis ostendere, nec non & mussitare passim, superstitiosum sese aliquod monstrum Papisticum conspicere. Tandem verò aperte conquirere, quid id sibi portenti velit? Ego verò ad illos: Ministrum eum Euangelij Christi esse, adeoq; omnis Ministerij legitimi perfectissimum quoddam exemplar. Quid verò putas ijs auditis illi? Nimirum salsis Cachinnis ac lepida manuum complosione respōsum excipient, &, hui (inquient) Papisticum hic Hypocritam tu nobis aliquem exhibes, non Euangelicum ministrum.

Cogitationes Ministrorum de habitu Ioannis.

Attamen ne præcipitanter quicquā in re tanta videantur decreuisse, paulatim etiam incipient rem examinare diligentius: & vnde ergo prodit, inquient, tam hispido atque insolito habitu iste nobis Minister? Et ego. Ex densissima Iudææ solitudine, in qua solitariam egit, ac soli Deo cognitam vitam, iam inde ab infantia sua ad 30. vsque ætatis suæ

Examē singulorū Ioānis operū, ad sententiā Ministrorū.

Desertum.

annum. Et illi: Ergo Misanthropon tu iam nobis aliquem atque vrsorum luporumq́ʒ conciuem loqueris, non Euangelicum Ministrum? Pergēt nihilominus inquisitionem vrgere suam.

Amictus. *Et quid sibi vestis ista vult tam tenuis, tam aspera, tam peregrina, tā nulli omnium nostrum, quotquot hic adsumus Euāgelici Ministri collibita? Et ego: Voluntariæ ea mortificationis ac pœnitentiæ argumentum est & exercitium; qua obsequium præstare Deo gratum, victoriam de se ipso reportare gloriosam, exemplum plenæ ad Deum conuersionis illustre, præbere mundo contendit. Et illi: Et quis Diabolorum ei talia mandauit? Nam in Dei Decalogo, quem solùm obseruandum nouit Euangelismus noster, nihil tale inuenimus. Certe ergò hipocriticus iam iste Papista inani superstitioni & ἐθελοθρησκεία subseruiens, nō Euangelicus Minister.*

Victus. *Pergent tamen: quid isthæc quæ portas? quid locustæ sibi istæ? quid mellis hoc pauxillum? quid tenuis lympha volunt? Et ego: in his totus victus est prophetæ huius, nec alio tota vita vsus est, non carnibus vnquam, non piscibus, non oleatis vllis, non lacteis, non vino, non sicera, denique ne pane quidem, ita vt nec mādúcare quidquam, nec bibere præ communi hominum genere videatur. Et illi: Ergo iam non hypocrita solum superstitiosus iste, sed & doctrinæ dæmoniorum sectator, prohibentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus; & non Euangelicus Minister.*

1. Tim. 4.

Vrgebun

Vrgebunt tamen sic quoque examen suum: Et quid de coniuge dulcißima? habet ne, vel cogitat habere, an secus? Et ego: Nec *habet, nec habuit vnquam, neque in mentem ei venit vnquam consilium inire eam habēdi; quin se ipsum castrauit Deo, totum propter regnum cœlorum. Et illi: Quid amplius ergo egemus testibus? Plenus iste totus est doctrinis Dæmoniorum, non abstinere à cibis solum, sed etiam nubere prohibentium. Ergo & Papista totus, & Antichristianus totus, & totus hypocrita, totus superstitiosus, & qui ne vænulam quidē habeat legitimorum Euangelismorum nostrorum.* Oportet enim Episcopum vnius vxoris virum esse. *Ergo Anathema homini impio, & superstitioso, & quidem secundum Euangelismum nostrum, iustißimum anathema; vt qui omnia primaria Euangelismorum nostrorum capita mādataq; sit prætergressus. Qui (inquiunt) contra mandatum expreßū:* sine causa me colūt docētes, doctrinas & mādata hominū, *ex humano suo ingenio Deū coluerit, qui cōtra mandatum expreßū dicentibus.* Ecce in deserto est Christus, ecce in penetralibus, nolite credere, nolite exire, *& crediderit & obsecutus fuerit, qui contra vnum scripturæ* oportet, *& mādatum expreßum, volens haberi Euangelij Minister, vxorem non duxerit, qui denique contra mandatum expressum spiritibus erroris ac doctrinis dæmoniorum adhæserit, in tanto ciborum delectu, ac connubialis veneris perpetua fuga. Ergo anathema iterum iterumq; homini tali,* anathe-

Vxor. | 1. *Tim.* 3. *A* 2. | Ioānes anathema Ministris per omnia. | *Mat.* 15. 9. | *Matt.* 24. B 26. | 1. *Tim.* 4. *A* 1.

anathema hypocrytæ, Anathema Papistæ, anathema Antichristo, anathema omnibus, qui in Ministrorum nostri ministerij numerum talem referre audeant. Ita illi, *moxq́ sequuntur exsibilationes, cachinni, pedum strepitus, manuum complosiones, ac vix sibi etiam temperant, quo minus violentis in hominem inuolent manibus, si is se Ministrum amplius Euangelicum haberi contendat.*

19. 19. *Et hæc quidem Ministri. Ego verò tandem ad Ioannem: Audis prophetarum sanctißime, quid de tuo tali vel habitu, vel vitæ instituto sentiāt isti. Tu verò quid contra de ipsis. Verus enim tu vtique Euangelij Christi Minister es, verißime Euangelicus prædicator. Quid ergò de hisce tu? Tuos ne eos esse agnoscis commilitones veros, legitimosuè veri Euangelij ministros? legitimos tuos coadiutores & qui viam Dei in veritate soli doceant? Ecce enim qui inter istos primus aßidet, etiam nomen sibi tuum attribui paßus est, seque Baptistam secundum, Eliam tertium, præcursorem aduentus Domini verum, ac syncerißimum nuncupari. Quin tu quoq́ ergo medium te illis immisces, quin tanquam primus ac verus Baptista primū concilij occupas locū? Tu ergo qd ad hæc? Et ille, Oculisq́ animoq́ in Ministros intentus toto, illud de se primum:* non sedi, *inquit*, in concilio vanitatis & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiā malignantium, & cum impijs non sedebo. *Ad Ministros verò inde*: Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere à vētura ira. Facite er-

Iudiciū Ioānis de Ministris.
Ps. 25. 4.
Luc. 3. B

te ergo fructus dignos pœnitētiæ, & ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham; *Et quia*, qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ, qui ex fide sunt benedicētur cum fideli Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est, omnis ergo arbor non faciens fructum bonũ, exscindetur & in ignē mittetur. *Vos enim non solum paleæ, digna scilicet quæ comburātur igne inextinguibili, sed & zizania pessima. Colligandi propterea tandem, nisi resipiscatis vna cum infælici germine ac cœtibus vestris in fasciculos, vt mittamini in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium sempiternus. Dixit & concilium simul totum, quātum quidem de ipso erat, finitum fuit.* Gal. 3. 6. Mat. 3. 12. Mat. 13. 30

Habes itaq; amice lector Ministrorum nostrorum de Ioannis, vel vita vel fide sententiam: habes Ioannis ipsius de toto Ministrorum cœtu ac conditione iudicium. Et quidem non mere conficta ea, aut nudæ alicui imaginationi nixa, sed ex ipsis partim indubitatis veri Euangelij deprompta testimonijs (qualia omnia illa quæ de Ioannis vel vitæ instituto vel prædicatione attulimus) partim imis Euangelismorum nouorum eruta è fundamentis, qualia omnia illa quæ de Ministrorum anathematismis adduximus. Tam certa sunt isthæc omnia, vt de eorum nullo dubitare possis; nisi vel vna ex parte simul in dubium reuoces illa, quæ superius de tam

austera

austeræ atque insolitæ vitæ Ioannis ratione, disputauimus (quod te facere ipsa rerum euidentia iam vetat,) vel ex altera ignores præcipua communissimaq́; Ministrorum firmamenta, quibus Euangelismos suos nouos stabiliunt; quod ipsum quoque te pati, nisi solus iam peregrinus haberi velis in mūdo hoc, quotidiana rerum experientia minime permittet.

Quid ergo iam tandem? Ampliusne vel suspicari tibi in mentem veniet, fuisse fortaßis Ioannem (quod impij alioqui Ministri isti suis ingerūt,) Euangelismorum istorum vel Ministrum verum, vel sectatorem? Amplius ne dubitabis verißimū esse illud, quod initio nos diximus, non atrum candido, noctē diei, frigidum calido, ignem glaciei, omnia denique quæ inter se sunt maximè pugnantia, dißimiliora esse sibi; quàm infælices isti Ministri, dißimiles sunt spiritui Ioannis? Crede tandem fideliter monenti ac certißimò crede, (credes enim quod res est, quodq́; è salute tua sit futurum sempiterna) neque in toto Ioannis Baptistæ corpore, vllam fuisse vel minimam venulam, quæ infælices istos sapuerit Ministrorum Euāgelismos nouos; (id quod ex sequentibus etiam Dominicis tibi planius faciemus, Deo propitio) neque in toto Ministrorum istorum omnium vniuersali cœtu, quatenus quidem Ministri sunt, vel vnicam inueniri posse venulam, quæ legitimo Ioannis spiritui atque affectioni sit conformis. Omnia sibi contraria, omnia opposita è diametro, quod dicunt, toto. Iis verò positis ecquid restat am-

Ministri & Ioānes, toti contrarii.

ſtat amplius, quàm vt fugias inpoſterum mendaciſſimos hoſce mendaciorum architectos: qui ſic quoq; abſque omni fronte pergunt coram ſuis ſe iactare perpetuo, vnicos ſe ac veros eſſe Ioannis, in vero Chriſti Euangelio prædicando commilitones, ſucceſſoresue? quam vt auersêre ſemel omnes Euangeliſmos iſtos pectore toto, vt qui nihil habeant cum Ioannis ſpiritu, nihil cum eo Euangelio, quod Ioannes prædicauit, commune?

Fuge ſi ſapis mendaces homines, auerſare ſi ſapis periculoſiſſima mendacia, vnique te iunge S. Catholicæ Eccleſiæ Romanæ, cui vt vidiſti & ſpiritu toto, & vitæ ſanctiſſimæ inſtituto toto, perpetuo coniunctus fuit Ioannes: & ita demum eam quoque ſalutem, quam & conſectatus eſt vita ſua tota Ioannes, & aſſecutus, tu tandem ſi pro virili tua Ioannem imitêre, conſequêris. Fugiẽdi Miniſtri, ſi ſaluus eſſe velis.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Quia nõ poſſunt damnare Papiſtas Miniſtri, niſi in ijs ſimul Ioannem damnent impie; infæliciſſimi sũt, niſi tẽpeſtiue reſipiſcãt.

20. A*T vos interim ô infælices Miniſtri, quid ad iſta tandem? capitisne hæc quæ diximus? agnoſcitisne vel hinc quã fucatum ſit ac fraudulentũ ingeniũ Euãgeliſmorũ veſtrorũ? agnoſcitisne abſurdiſſimas abſurditates anathematiſmorũ nõ veſtrorũ? agnoſcitis verò etiã hactenus eadẽ, ac forte ne nunc quidẽ lumẽ veritatis huius admittitis, ad omnẽ iã ſensũ Catholicæ pietatis obdurati? ad omnẽ ſcintillulam* 20.

lulã Euãgelicæ veritatis percipiendã obcæcati? Si agnouiſtis etiã ante hæc, quomodo nõ puduit piguitue vos, tãtarũ vanitatũ, tãtarũ impietatũ veſtrarũ? Si necdũ agnouiſtis, vel nũc ergo, ſerò licet, oculos intẽdite; & ecce tam dilucide vobis propoſita omnia, vt negare iã certe ipſi ea non poßitis, niſi cũ ratione inſanire velitis. Singula enim iſta ordine cõſiderate.

Multa in nobis damnant Miniſtri.

Primùm omnem Heremi cultũ religionis ergò ſponte ſuſceptum, omne perpetuæ caſtitatis ſtudium, (cum firmo præſertim propoſito nunquam nubendi, quin caſtrandi etiam ſeſe propter amorem regni cœleſtis coniunctum, quale maximè in votis elucet cœlibatus) omnem auſterioris vitæ exercitationem, in certa ac inſigni aliqua ciborum abſtinentia, in habitu veſtitus rigidiore, puta ſaccis, ciliciis, ſimilibusue aliis, non ſolum eliminaſtis penitus, ex omnibus cœtibus veſtris: ſed & in nobis contemnitis, exſibilatis, anathematizatis perpetuo; adeo quidem, vt nulla vobis ſit frequentior concionandi materia, nulla in qua facundia veſtra magis ſit exercitata, quam iſthæc. In his vobis, non ſolum ſuperſtitio mera, hypocriſis certa, Sacerdotum Baalis ſpontanea afflictio: ſed & ipſiſsima dæmoniorum doctrina, & Antichriſti character indubitatus; denique ita veſtra ſunt iſta omnia, vt nihil videatur æquè veſtrum, adeoque veſtra, vt vbi iſta veſtra eſſe deſierint, magna pars veſtrum omnium ſemimuta ſit futura, in omnibus ſuggeſtis veſtris; vt pote ſubtracta ſibi materia ea, in qua vnica ſemper fuiſtis loquentiſsimi. Agnoſcitisne autem ea, & vos in

veſtris

vestris ô Ministri? Et quid ni agnoscatis? Nihil est uobis omnibus tritum magis. Igitur iam etiam omnes illi Anathematismi vestri (de quibus nos paulò ante in Ioanne egimus) in nobis quidem Catholicis, vestri omnino.

Pergite iam ergo. Ista omnia vestra esse non possunt; nisi simul & vitam Ioannis totã, moresq́ ac fidem, qualem vobis tam fuse descripsimus hactenus, eidem impiæ censuræ vestræ, iisdemq́ anathematis vestris subijciatis; imò nisi Ioannem vnũ præ omnibus Papistis alijs anathemazetis: quia nimirum tantus eorum omnium cultor atque approbator Ioannes, quantus nullus vnquam post eum, vel certe vix vllus fuit Papistarum: tantus inquã, vt quotquot post illum fuere in Ecclesia vel eremi cultores, vel continentissimæ vitæ illius sectatores, vel omnis seueritatis eius in victu, in vestitu, in omni alia austeritate æmulatores; non nisi à longe in eum aspexerint, tanquam longò interuallo communiter omnes prætergressum. Denique ipse pater ac patriarcha monachorum omnium, continentium nostrorum omnium, pœnitentium deniq; omnium. Vnde si huiuscemodi studijs pœnitentiæ, adeo inuisi atq; damnati vobis nostri labores omnes; vnus in ijs omnibus maximè damnatus vobis in moribus suis Ioannes sit necesse est. Quid igitur iam hic vos? Vestrané ista?

In iisdẽ simul dãnẽt Ioãnem necesse est. n. 18.

Sat scio hæc iam vos pernegare. Id enim vt cũ ratione videremini facere, inde omnes prætereà illas corruptelas induxistis, de quibus nos tam multa superi-

ſuperius, euertentes atque inuertentes ſua Ioanni
N. 12. *omnia: tantum vt ne quid in eo concederetis, quod*
N. 13. 14. *ante iam in Catholica Eccleſia damnaueratis, Euã-*
15. 16. *geliſmis iſtis veſtris. At verò quam temere id totum tentaueritis, quam friuolè, quam mendaciter, & ipſum, iam ita vobis ſupra demonſtratum dedimus, de Ioanne: vt niſi cum ratione ipſa perpetuo pugnare vobis ſit propoſitũ, niſi & populi Iudaici, qui vixit temporibus illis, totius teſtimonium; & ipſorum etiam inimicorum Ioannis, quin Chriſti etiam Domini, ac ſcripturarum omnium quas ſuperius adduximus, pernegare libeat; ambigere iam amplius ea de re non poßitis. Illa legite ac relegite, & cum ratione examinate, & deprehendetis clarißimè, nihil nos hic alienum dicere.*

21. Reſipiſcendum ab impietate.

21. *Quid ergò iam tandem vos? pergetisne Sacrilegis iſtis Euangeliſmis tam fœde in nobis damnare, & fidem & mores tãti prophetæ, & pluſquam prophetæ, & Angeli Dei? Si quidem ſapitis, nunquám pergetis. Neque ergo Catholicæ doctrinæ profeßionem iam amplius damnare pergetis, in omni iſto ſpontaneo pœnitentiæ ſeuerioris cultu, in omni ciborum delectu, ieiuniorum cauſa adhibito, in omni caſtitatis perpetuæ ſtudio, in omni Eremi, Monaſteriorum, cænobiorumq́; frequentatione, ſimilibusq́; alijs exercitijs Catholicæ pietatis. Quia, vt videtis, talia damnare in nobis non poteſtis, quin eidem impiæ veſtræ condemnationi, ipſum etiam Ioannem includatis. At vero ijs poſitis, profecto ne ipſos quidem iam Euangeliſmos veſtros profiteri amplius poteſtis;*

testis; quorum potißima pars in similium deuotionum Anathematismis, tota est occupata.

Et quid vobis cũ taliũ Euãgelismorũ professione, qui sine tanta impietate, vti docuimus, prædicari omnino non possint? Si id forte ipsi hactenus ignorastis, an non vel ex hoc solo, de quo hic agimus capite, de vita inquam ac moribus Ioannis, id vobis plus satis fieri manifestum potest? Primùm vt vestrum esse Ioannem vulgo persuadeatis, nihil non agitis; Et merito: Si quidem veri Euangelij Christi vultis esse professores. Atqui vester ne videri quidem Ioannes potuit, nisi omnibus quæ ad ipsum pertinebant deprauatis, vt vidimus; victu inquam, amictu, habitatione, vitæ denique eius cultu toto vero pernegatis, ac mendacijs meris in locum veritatis substitutis. Igitur iam non nisi laruatus Ioannes vester, totus inquam à vobis ipsis, vel certe ab Archiministris vestris, in aliam formam alienumq́; habitum, transformatus. Quanta ergo impietas illa quamq́; meritò etiam vobis detestanda; quæ tantis mendacijs, tot deprauationibus indiguit, vt pietas videri possèt? At certe laruam nos eam Ioanni ipsi detraximus, genuinamq́; ipsius faciem exhibuimus vobis: à vestris quidem Euangelismis alienißimam illam, Catholicam vero totam. Pergetisne ergò ampliùs vanitatem tantam diligere, ac mendacia iam penitus perspecta propagare?

Impii Euãgelismi tripliciter.

Luc. 1. 76.

1. Quia nouũ sibi, Ioannẽ fingunt.

Deinde vnicum Euangelismorum vestrorum studium est, Catholicam doctrinam, Papatus nomine oppugnare atq; extinguere. Idq́; in ijs maximè,

2. Quia vera Ioannis studia aspernantur.

quæ ad Ecclesiasticorum hominum cælibatum, religiosorum nostrorum variam exercitationem, omne pœnitentiæ seuerioris studium pertinent. Atqui, vt vidistis, reprobare ea non potestis, nisi simul veram ac germanam Ioannis fidem, vitamq; totam oppugnetis. Quanta ergo impietas ista, quæ se satis explicare in Pontificem nunquam potest: nisi simul sanctissimum etiam istum Dei prophetam implicet, suisq; execrationibus inuoluat? Et vos hic quoque persistetis in tanta impietate propugnanda?

3. Quia quæ à Christo ipso approbata, ipsi reprobant. *Mat. 11.*

Deniq; omnis illa austerioris vitæ exercitatio, ab ipso Christo in hodierno partim Euangelio, partim ijs quæ immediate consequũtur, mirificè approbata fuit. Nam & inde Ioannem ipsum commendat, puta quod in deserto, quod neque manducans ibi, neq; bibens, quod ab omni mollitie alienus, quodq; in his omnibus minime arundo, sed constanter perseuerans atque immobilis. Imò verò quia in his Ioannes omnibus alijs, qui ante eum fuerunt Sanctis, insigniter excellens: propterea etiam omnibus eum alijs videtur insigniter præferre, inter natos mulierũ *affirmãs,* nõ surrexisse maiorẽ Ioãne Baptista. *Laudabilis ergo etiam Christo ipsi, eremi cultus, laudabilis vestium asperitas, laudabilis summa ciborũ abstinentia, aliaq; his similia, quin & Ioannes ipse propterea laudabilis Christo. Quæ tamen omnia, nisi repudietis vos impijs Euangelismis vestris, atq; in nobis penitus condemnetis; Ministri ampliùs Euangelici haberi non potestis.*

22. 22. *Quanta ergo impietas ista, quæ sustinere se ipsam*

*ipsam non potest, nisi iam non solum Ioannis studiá omnia contaminet: sed & Christi ipsius approbationem reprobet; quodq; ille laudabile censeat maximè, ista vituperet maximè, quod ille bonum censeat, ista malum asserat, quo ipse vnice oblectetur, ista maximè auersetur abijciatq́; ? Et vos ne sic quidem finem facietis tantæ impietatis disseminandæ ? Ita quidem profecto vos demonstrabitis omnium mortalium & obstinatissimos & infælicissimos, iureq́; inter illos connumerandos, de quibus Paulus docet, quod de*linquant, cum sint proprio iudicio condemnati. *Tit. 3. c 11*

Pergite ergo infælicissimi, pergite damnare in nobis, quæ non solum Ioannes in seipso, sed & ipse Christus in Ioanne, suo mirificè approbauit collaudauitq́; calculo, eremiculas inquam Eremitas nostros, insolite ac sæpe asperrimè vestitos Monachos nostros, certo ciborum delectu Ieiunantes omnes Papistas nostros: pergite inquam damnare omnes exercitationes nostras, & in ijs cum primis Papam nostrum, & consequenter vna Ioannem nostrum, imò benignissimum Saluatorem nostrum: vestros verò omnes cœtus quam longissimè remouere ab omni vel cogitatione talium deuotionũ.

Sed tamen illud simul memineritis, proprijssime ita vos vobis, Væ illud diuinum asciscere per Prophetam in vestri similes pridem pronuciatum: Væ diuinũ contra Ministros pronũciatũ.
Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes in amarũ dulce & dulce in ama- *Isaia. 5. 20*

in amarum. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & corã vobiſmet ipſis prudentes &c.

N. 19. *Vt ne hic repetamus, quæ paulò ante ex ore ipſo Ioannis in vos iuſtißimo iudicio pronunciata diximus:* Genimina viperarum quis vobis demõſtrabit fugere á ventura ira, *atque* igne illo inextinguibili *qui omnes veſtri ſimiles manet, Heu ergo facite tandem fructus dignos pœnitentiæ, nec fide vos Abrahæ conſolemini: quia verè æque longe eſtis ab omni Abrahæ legitima fide imitatione, q; quàm ab omni Ioannis fide ac moribus vos conuicimus eſſe alienos.*

PARÆNESIS AD CATHOLICVM Lectorem.

Quoniam Ioãnes & rigidiſſimam egit vitam, & eo maximè fine egit, vt lamẽtum nobis caneret ad ſimilem pœnitentiæ, plãctũ inuitans: meritò ei omnino obſequendum.

23. 23. S*Ed miſſos hos faciamus, ac tecum tandem hic Catholice lector concludamus omnia. Vidiſti fucum* Euangeliſ*morum iſtorum, vidiſti fraudes ac deprauationes Miniſtrorum eorundem: refugies tu ergo eos certe iam tanto etiam magis, ſi ſapis, quanto eos paulatim propius agnoſcis. Sed ne in eo tamen conquieueris, longius tibi procedendum eſt, ſi ſaluus eſſe velis. Neque enim ſatis eſt ad ſalutem, deuia ſalutis te vel agnoſcere, vel declinare: ipſa etiam via regia progrediare neceſſe eſt. Hic igitur Ioan-*

Ioannem intuere, & perfectißimum inuenies exemplar consectandæ salutis regniq́; adipiscendi cœlorũ; tantum vt sequare, idq́; vel à longe, si è vicino fortè nequeas, modo sequare tamen. Ipse enim certe est qui veram scientiam *habet* salutis, *neque illam pro se solum; sed vt tibi quoque, omniq́; populo Dei eam communicet. In hoc enim à Deo legatus ac propheta venit. Ergo in illum iam intende.* Luc. 1. 76.

Ac primùm quidẽ, quid rerum ipse agat pro salute illa adeunda, aduerte. Ecce enim annos prope totos triginta in horrida is degit solitudine, ab omni hominum consuetudine solatioq́; remotus; habitans interim incommodißimè, cubans durißimè, vescens tenuißimè, vestiens rigidißimè, tota deniq́; vita sua, quo ad omnia ea quæ carni iucunda esse poterant, viuẽs asperrimè; adeo quidem vt quoniam humanum omnem egressus videretur conuersandi modum, proptereà inuidis quibusdam etiam dæmonium habere, in similibus exercitiis iudicaretur. Vita Ioãnis insolita digna consideratione.

Quid verò tu ad ista primùm? Nihil ne ea te mouebunt omnia, vt vel diligentius inquiras quid tanta sibi nouitas velit? At sic quidem iam tu nimium insensatus in re tanta, atque omni etiam illa Iudæa antiqua stupidior. Ea enim simul atque intellexit, de tali hominis vita (non intellexit autem ante, quam prodire ipse Ioannes propius, seq́q́; prodere hominibus, prædicatione sua cœpisset) tanta rerum insolentia excitata, tota ad ipsum vsque desertum subito sese effudit, vt tale contemplaretur spectaculum; vt taliter inquam vestitum, taliter viuentem,

& spectaret & quid id sibi vellet addisceret. Testatur id quidem etiam Dominus ipse in Euangelio hodierno, dum communi Iudæorum populo loquens; quid existis, *inquit*, in desertũ videre? an mollibus vestitum? an Prophetam? *& quæ consequuntur. Et te quoque ergo omninò simile quid, cogitatione saltem facere par est hodie; dum talia tibi, pro communi Ecclesiæ instituto, in Euangelio ex Christi ipsius ore meditanda proponuntur.*

Lamentum pœnitentiæ sua vita nobis canit Ioannes.

Perge vero inde, & causam tantæ seueritatis, tantiq; mundanarum omnium rerum contemptus, mecum inquire. Quid enim putas tanto illo suo rigore tibi commendat Ioannes? Non illud is certe solum in eo spectauit, vt salutem ipse cælorum ita adipisceretur facilius: sed alterum etiam illud, idq; vel maximè, quod Christus te ipse docet, dum de Ioanne loquens Lamentauimus, *inquit*, vobis & non planxistis, nõ plorastis. *Nempe vt qui threnodias ad luctum compositas ex industria canunt, eo id fine faciunt, vt similem lugendi affectionem etiã in adiutoribus suis conciteut: Ita Ioannes, inquit, eo fine talem induit suscepitq; viuendi formam, vt te quoque qualiter affectum esse deceat ad pœnitentiæ studium, commoneret.*

Mat. 11.16
Luc: 7.E3.
Vide Dom. 4.n. 10.

Nimirum quantus is, quãtus erat, vox erat clamantis in deserto, *viam Domini dirigendam per dignos pœnitentiæ fructus, vti alibi nos fusius dicemus. Et ipsa igitur etiam vita sua tota, illud iam ante clamabat, quod voce post modum expressius commendaturus erat omnibus,* Pœnitentiam agite,

Ioãnes vox erat clamãs.
Dom: 4.10

agite, appropinquauit regnum cœlorum. *Hæc inquam illi lamentatio ad te, hic inter alia finis tantæ ipsi austeritatis. Tuam inquam instructionem, tuam ad similem pœnitentiæ feruorem, excitationẽ, tuæ propriæ, si pœnitendi occasionem negligas, perditionis deplorationem, omni ea nouitate spectabat intendebatq́; Ioannes.*

Quam porrò appositè isthæc omnia, tali isto suo lamento expressit? Id verò iam etiam ad extremum te diligentius hic expendere volo. Etenim duo quædam potissimum paucissimis illis verbis cõmendaturus erat, nempe & quid agendum nobis docturus; pœnitentiam *inquiens* agite, *& qua ratione ad id excitandi simus ostensurus,* quia appropinquauit, *inquit* regnum cœlorum. *Prope est inquit iam, imò in foribus est, vt cælorum vobis reseretur ianua, omnibus retro seculis occlusa, vtq́; aditus ita patefiat in gloriam illam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis vllius vnquam comprehendit. Ergo eò iam per pœnitentiam properate, tali enim illuc peruenitur via.* Pœnitentiã agendã esse. *Hoc ille verbis vtrumq́; sed re ipsa etiam longè efficatius tali suo lamento aptiusq́; explicauit.*

Propterea ita etiam extreme mundana ipse spernebat omnia, propterea quicquid altum in mũdo, quicquid delectabile, quicquid quæstuosum, id totum negligebat, imò totus in ijs tendebat in contraria; & despicatissima quæq́; mundo, & iniucundissima, & pauperrima sibi deligens, totoq́; studio cõsectans, vt re ipsa etiam tibi ita testaretur, quia vanitas

nitas in mundo est mera, verissimæ verò cælorum diuitiæ illæ, quæ iam iamq; erant omnibus offerendæ. Ita propterea tantum in se ostendit pœnitentiæ rigorem, vt tanto efficacius; & tibi persuaderet, dignos esse pœnitentiæ fructus faciendos ei, qui illud sibi regnum exoptaret, cum alioqui gehennæ pœnas centies ante promeritus esset; & eiusdem pœnitentiæ modum legitimum vna doceret. Hæc inquam in his Ioannis mens, hæc sententia est, ab ipso tibi Christo Domino, vti vidimus, ita explicata.

24. Obsequendum Ioanni clamãti.

24. *Iam tu igitur quid ad ista obsecro? Cessabisne, ac quasi ad te minus ista spectent, quasiue ea, vel nũquam audiueris, vel nunquam certe intellexeris, prætergrediêre? At memineris sic, non solum te in regno illo cælorum, quod prope Ioannes tibi annunciauit, partem nullam habere posse: sed & eiusdem Ioannis grauissimo testimonio, exitium tibi certum, extremumq; contra paratum manere, in igne inextinguibili gehennæ, idq; vel eo solo nomine, quod dignos iam pœnitentiæ fructus ferre, ita monitus negligas, etiamsi forte superiora peccata, nouis superadditis non coacerues.*

Mat. 3. B. *Hoc enim illud est, quod subiunxit idem Ioannes*: Iam securim ad radicem arborum positam esse; vt omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindatur, atque in ignem mittatur. *Itemq; perpurgaturũ Dominum*, aream suam, & frugiferum quidem triticum congregaturum in horreum suum; paleas vero inutiles, igni inextinguibili combusturũ.

Et

Et quidem in ijs quoque, qui in semine iam Abrahæ quandoq; cœperint computari, Itaque nolite, *inquit,* dicere Patrem habemus Abraham, potens est enim Deus ex lapidibus sibi suscitare filios Abrahæ. *Vti ne putes satis tibi, hoc in genere, præsidij positum ad salutem, quod per fidem verè Catholicam, in Abrahæ semine, qui Pater est omniũ credentiũ, Paulo teste, cõnumerari cœpisti.* *Rom. 4. 11*

Quid igitur cessas infælix ad tale nuncium exurgere, ad tantam vocem, tam serio tibi ista inclamantem ex somno peccatorum tuorum expergisci, ad talem lamentationem, pœnitentiæ, & ipse lamentum assumere? conuerti *inquam tu quoque, vt Propheta monet,* ad Dominum Deum tuũ in toto corde tuo, in ieiunio, in planctu, in fletu? *Considera obsecro si Ioannes, vir vita sua ipsa tota innocentissimus, tantum tamen suscepit pœnitentiæ lamentum, quid te pro tot tantisq; excessibus tuis facere par sit.* *Ioel. 2. 12.*

Quæ enim putas adulteria? quæ furta? quæ homicidia? quæ mendacia? quæ alia variorum peccatorum genera, sibi sumpsit expianda in sese, omni illa sua asperitate Ioãnes? qui, ne leui saltẽ macula re vitã famine posset, totã vitã vt ab omi peccati occasione remotissimã in Eremo susceperat, ita studiosissimè trãsegit? Tu verò è cõtra, quãtorũ tibi excessuũ, quantorũ flagitiorũ consc[ius] es? quorũ singula tamen dignos à te deposcunt pœnitentiæ fructus, nisi luere ea aliquando in vltricibus illis iusti iudicij

Dei flammis, velis. Exurge ergo infælix & tempestiuè animum condignæ pœnitentiæ faciendæ applica; & sic demum infortunium euades, sic demum quod appropinquauit regnum iustorum, adibis.

Mira lamẽtatio Ioãnis. *Quod si ne sic quidem mouêris, vnam etiam lamenti huius, de quo loquimur, conditionem attẽdas volo; & intelliges plus satis, minime hic tibi esse cunctandum. Dicit itaque Dominus de se, atque ac de Ioanne loquens,* Lamentauimus vobis, & non planxistis. *Vide iterum iterumq́; quales sint lamentatores isti, vide quale lamentum lamentantur, vide cui aut quo fine lamentantur. Nos inquit lamentauimus, & ego inquit Dominus, & Ioannes, & ego in Ioanne, ego inquam filius altissimi iure vocatus, & Ioannes, Propheta altißimi singulariter appellatus. Nos lamentum vna cecinimus, lamentum illud rigoris ac pœnitentiæ noua, lamentum omni mundo inauditum, omnibus retro seculis insolitum, lamentum clamans* Vox *enim id* clamantis *erat* in deserto: *Et quidem vobis ô mortales lamentauimus, vobis illud occinuimus, vos ad simile lamentum, fletum, planctum, per pœnitentiam edendum, vt inuitaremus. Hæc inquam Christus de eo, de quo agimus, lamento Ioannis loquens. Percepistine autem id iam tandem satis, quidq́; id à te, aut quomodo ipsum à te requirat aduertisti?* Necdũ *fortaßis plene. Simile igitur hoc considera.*

Simile lamẽtatricum. *Pono lamentatrices pro more lamentationum antiquis consuetarum, te alicubi conspicere aggregatas, quæ lamentum concinant nouum plane & admira-*

admirabile, & cui ab omni æternitate, simile nullũ sit in orbe auditum. Nonne accederes tu tali casu? nonne mirarêre? nonne etiã inquireres, ecquid tam insuetum sibi carmen vellet? Vel ipsa certè tanta rei nouitas te sistere, sat scio cogeret, & rationem carminis inuestigare.

Pono igitur te inquirere, & quid tandem tam nouum sibi lamentum? Et illas vnanimes: te, se plãgere, tibi id canere, asserere, quid tu igitur tum? Nonne iam longè etiã magis mirarêre? nonne longè etiam studiosius perscrutarêre causam? Et quid eñ illis tecum negotij, quas tu neque inuitaris ad planctum, ac ne noris quidem? Peteres igitur certe causam tanti super te lamenti. Et illæ: Quia periisti miser, & non attendis inquiunt: Iam enim securis ad arboris radicẽ posita est, iam iamq; excideris, iam iamq; in ignem mittêris, & quidem in ignem inextinguibilem illũ: & interim securus solutusq; inambulas, cum nihil æquè tibi etiam curãdum modo, quam vt tanta è perditione euaderes, id quod vna nobiscum seria lamentatione obtineres totum. Ita illæ.

At tu inde quid ad ista? nempe si viles quaspiam ineptasuè mulierculas talia lamẽtari audires; contemneres tu certè & ineptire arbitrarere. At vero si sapientissimas, grauissimas, illustrissimas Sibyllas quaspiam aduerteres talia tibi ingeminare; sentires profectò rem tu quoque, & animum sedulo applicares ad denunciatum tibi discrimen euadendum, nisi forte mortalium omnium haberi vecordissimus velles.

Et ecce

Et ecce in his habes propriissimam lamenti huius Ioannis, de quo nos tibi ex ore Domini loquimur, conditionem. Lamentatrices enim hic sunt Christus ipse & Ioannes, de quorum neque integritate potes ambigere, nec sapientia. Lamentum illud nouum, insolitum est pœnitentiæ studium, & assumptum primùm à Ioanne, Christi instinctu peculiari, & inde etiam aliis prædicatum. Tibi id totum lamentatũ est, quia tibi ad institutionem propositum: vt inde & æstimare disceres periculum summum, in quo impœnitens verseris, & condignos item pœnitentiæ fletus assumere.

Quid igitur tu iam tandem? Pergesne quiduis agere potiùs, quàm tuum quoque & ipse inchoare serium, ac condignum super te ipsum pænitentiæ lamentũ? Ita quidem tu hactenus, & propterea Dominus quoque tibi illud adiunxit: Lamẽtauimus *inquit,* vobis, & non planxistis. *Sed heu, memineris infælix, ita si pergas; euadere omnino te non possè, quin incidas in sterilissimum illud & carmen, & lamentum, & væ, quod frustra lamentantur in omnem æternitatem impœnitentes in inferno: qui breuissimo verè pœnitentiæ lamento in tempore assumpto, non solùm euasissent infælicem illam sortem suam; sed &, quod prope illis propterea erat annunciatum, subire potuissent regnum cœlorum. Et quis te igitur amẽtior sub sole, si isthæc cum tam dilucide præscieris, illuc vsque tamen lamentum tuũ diferre pergas? O corda mortalium stulta, excæcata, indurata. O quam merito talibus illa intonuit Ioannes.*

annes. Progenies viperarum quis demõſtrabit vobis fugere à ventura ira, &c.

ANNOTATIO LOCORVM VARIORUM qui circa ea, quæ diximus, occurrunt tractandi.

Primus locus.

De religioſo vitæ Monaſticæ inſtituto, exemplo Ioannis confirmato.

Pertinet Locus iſte ad illa Euangelij: Quid exiſtis in deſertum videre? Matt: 11.

25. *QVoniam de Ioannis hîc vita ac moribus fideq́ ipſa agimus; prout varia in his occurrũt à communi Miniſtrorum noſtrorum ſensu alieniſſima, quæ propterea ſingula vt ſua illis conſtent, vel negare debent ipſi neceſſario, vel in ſiniſtrum aliquem ſenſum detorquere; ita & loci hic varij ſeſe offerũt, de quibus fuſius agi poſſit. Sed ille hic primum vniuerſalis; placeat ne Deo quenquam à communi hominũ conſortio, omniq́ negotiatione mundi ordinaria, vitam ſegregatam agere, vt vni Deo vacet, qualis maximè eſt Monachorum religioſorumue, inter Catholicos conſuetudo.* 25.

Omne tale inſtitutum Miniſtri noſtri cane peius & angue oderunt, ita à primis ſuis patriarchis informati, non propterea ſolum, quod potiſſimum quoddam robur militiæ Eccleſiaſticæ in Religioſis ſit,

Odio Monachorũ, omnia Ioannis deprauant Miniſtri.

*sit, ita vt nihil sit vnde sibi æquè metuant, in Euãgelismis suis, quam ab istis: Sed maximè etiam inde, quod primi ipsi illi patriarchæ illorum, prope omnes viles fuerint apostatæ religionum taliũ, qualis Lutherus & consimiles plures. Qui quidem vt ne tam impiè vocationem diuinam deseruisse, quàm meritò consilia sua priora, quasi in melius mutasse viderentur: ideo omnibus modis conati fuère mũdo persuadere, contra ius fasq; suscipi omne institutum tale. Neque alia illis æquè causa fuit, omnis etiam illius deprauationis in Ioanne, quam supra vidimus. Nẽpe illud ijs omnino elaborandum fuit, vt ne Ioannes videretur à communi popularium suorum vita declinasse, sibiq; ad Monasticæ vitæ normam, aliquid elegisse præ cæteris hominibus singulare ac nouum: timentes videlicet ne vt Buccerus candidè, sese aperit, in morem Monachorum peculiare sibi vitæ genus delegisse videretur, prout supra ista ex ipsismet annotauimus n. 12. Ideò enim etiam Lutherus proiectißima quadam audacia, ex ipsa etiam Ioannis prædicatione illis scilicet verbis (*Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*) omnes simul religiosos Catholicos, cum omni suo instituto simpliciter ad Diabolum concludit pertinere. Qua de re nos inferius plura Dom. 4. Aduent. n. 17.*

Sed quam in his omnibus inanis sit, omnis iste Ministrorum conatus, ex duabus potißimum propositionibus sequentibus concludi licebit, in quibus quidem, prout totus cardo positus est, omnis disputationis quam hactenus fecimus: ita facile simul

patere

patere potest: & quam ruinosis nitantur fundamentis Ministrorum omnia, & quam verè Ioannes totus, in omni vita ac moribus fuerit noster, adeoq́; Monachus Papista. Prima est, Reuera omnibus retro seculis insuetum viuendi genus & illud quidem Monasticæ nostræ exercitationi simillimum, sponte sua elegisse & assumpsisse, & elegisse Ioannem, atq; ad finem vsque, longè remotum ab omni arundinis inconstantia traduxisse. Secunda: Et in eo ipso gratissimum Deo officium atque inprimis placitum præstitisse.

Prima illa certissima est ex ijs partim quæ supra fusè, ea de re generatim disseruimus, maximè n. 13. partim quæ infra de singulis vitæ Ioannis partibus, plura etiam adferemus n. 27. 28. 30. maximeq́; quod spontanea ista omnia susceperit electione, loco proximè sequente n. 26. Secunda non minus certa est ex ijs quæ æquè ante iam ea de re disputauimus n. 6. & 21. & demonstrari etiam pluribus potest. Vita Ioānis plane singularis.

Et primùm quidem ex ipso illo conatu Ioannis, tam assiduo illo, tamq́; laborioso. Nisi enim certissimum is habuisset, pergratum se in his obsequium præstare Deo, si quis vnquam vspiam, ipse maximè illa Pauli merito vsurpare debuisset: Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. *Vere quidem Ioannes ita miserabilior præ omnibus, prout ab omni vitæ huius consolatione, præ omnibus maximè segregatus.* Vita Ioānis Deo gratissima. 1. *Cor.* 15.

Deinde

Deinde quia Christus ipse, vbi maximè Ioannem laudare voluit, nihil æquè in commendationem eius adduxit, quam ipsa illa eius singularia, insolita, noua, puta Eremum, vestes, fugam deliciarum. Ex hodierno id Euangelio patet. Vbi cum multa alia eum ad finem adferre potuisset, maximèq; stupēda illa, quæ in natiuitate eius diuinitus contigerāt miracula: omnibus tamen alijs omissis, sola illa adfert potissimum, quod in Eremo, quod minime arūdo, quod minime in veste, vel molli, vel p̄ciosa, aut in delicijs. &c.

Deniq; tanti ea fecit Christus, vt sibi ipsi etiam ea adscribat, tanquam complici ac singulari cooperatori eorundem. De se enim simul & Ioanne loquens: Lamentauimus vobis, *inquit*, & non planxistis. *Nam id quidem de singulari rigoris ac pœnitentiæ exemplo intelligendum, quod præstitit nobis Ioannes, in omni illa sua austeritate iam supra vidimus n. 6. & 23 Et tamen ipse se quoq; vna cum Ioanne, imò per Ioannem, ista præstitisse affirmat. Quo quidem & illud pertinet, quod obseruari in illo solet:* Ego vox clamantis in deserto, *non vocem clamantem se vocare Ioannem sed clamantis; quia nimirum totus quidem ipse vox, & ipsa vita suæ pœnitentiæ, sed alterius clamantis, Christi inquam, qui per ipsum ita occlamauit mundo, vt ad pœnitentiam conuerteretur &c. Omnino igitur placuit talis vitæ ratio in Ioanne Deo: Placet ergo etiam hodie in Catholicis æmulatoribus Ioannis.*

Et quoniam omnis Monastica religiosorũ nostrorum exercitatio, aliud nihil est; quàm pia quædam æmulatio Ioannis, eodem fine seruiendi Deo suscepta, eodemq́; asperioris vitæ studio continuata: proptereà ne illa quidem, quin placeat Deo, si legitime instituatur, dubitari iam potest. Sola illa est horum à Ioanne differentia, quod non nisi à longe pleriq́; religiosi omnes nostri, illum intueantur, perfectißima quadam Charitate longè cunctis præcurrentem. Alioqui verò clarißimum est pijs omnibus, quod quemadmodum Ioannes, nil aliud quæsiuit solitaria illa seceßione, quàm vt expeditius solius se Dei traderet obsequio: ita Ecclesiam Catholicam, in omni disciplina religiosa, nullum sibi aliũ habere propositum finem. Ita quemadmodum ille proptereà & cælibem suscepit vitam perpetuo, & omni pœnitentiæ seuerioris ασκησει *sese exercuit, nil nisi simplex, contemptum, asperum, in omni vel victus, vel vestitus, vel habitationis suæ, ratione complectens: eodem modo, prout quæq́; religio est laudatißima, ita pro ratione instituti quemq́; sui, quàm proximè conari ad similitudinem Ioannis in ijs omnibus accedere.*

Vita Monastica Ioãnis imitatio est.

Secundus locus.

Licite aßumuntur ad obsequium Dei, etiam quæ præcepta non sint, modo præceptis seruandis commoda sint.

Pertinet Locus iste ad ea, quæ in Euangelio isto de habitatione, vestitu, vitaque Ioannis tota vel exprimuntur, vel insinuantur, Matth. 11.

26. Absque præcepto multa facit Ioãnes.

26. *ET tamen absque omni legis præcepto suscepit omnia illa sua Ioannes. Nihil enim tale in lege Moysi præceptum cuiquam. Alioqui cum communis fuerit lex illa Iudæis omnibus, æquè & tale mãdatum omnibus fuisset commune. Nihil in decalogo naturæ. Alioqui enim nos hodie quoque (& Ministri inprimis omnes) tali præcepto teneremur. Spontanea voluntate ea sibi assumpsit Ioannes, illo solo S. Spiritus ductu fretus, quod adverteret, ad rerum diuinarum continuam contemplationem, omnemq; simul coram Deo patientiam exercendam, talia inprimis conducere. Id quod ipsa etiam ratio naturalis docere quemuis facile potest.*

Placent Deo etiam non præcepta.

Placet igitur Deo etiã obsequia, pia animi intẽtione suscepta, quæ præcepta totidẽ ab eo verbis non sunt: modo talia sint, quæ præceptis ipsis contraria non sint, & alioqui ad ipsa etiam præcepta adimplenda conducant. Ex vno hoc exẽplo Ioannis dilucidè id licet perspicere. Matt. 4. *Præceperat Deus omnibus, vni sibi seruire præ omnibus.* Illi *inquit Scriptura,* soli seruies. Deut. 6. *Itemq;* Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. *At propterea perpetuo sese abdicare re ipsa omni cura atque occupatione alia mundi, non præcepit. Satis habuit, vt ne quid in aliys curis omnibus susciperetur, quod præceptis ipsius reliquis esset aduersum. Attamen*

dicta-

dictabat ipsa ratio cuiuis, quanto quisquè expeditior esset à sollicitudine alia quauis, tãto expeditiorem ei viam esse vt vni Dei seruitio totus intenderet, Iuxta illa Pauli: Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cũ vxore est solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Id proptereà amplexus est Ioannes, absque omni alio mandato: & ecce placuit consilium Deo.* 1. *Cor.* 7. F 32.

Eademq; ratio est omnium etiam aliarum eius exercitationum, in tanta illa continentia vitæ totius. Quia enim videbat ita commodius se Deo in corpore suo hostiam viuentem, Sanctam, Deo placẽtem *exhibere possè*, rationabili obsequio suo, *propterea illa assumpsit. Atque ita simul ex hoc capite corruat necesse est, vnus ex primarijs Euangelismis Ministrorum nostrorum: nihil admittendum essè in ijs quæ ad Dei obsequium pertinent, quod ipse Deus expresse non mandarit. Quo quidem vno ex fundamento, mirum quantam isti in Ecclesiasticis cæremonijs, pijsq; institutis omnibus, stragem ediderint in Ecclesia. Sed Monasticum vitæ genus maximè ex eo hactenus oppugnarunt. Vbi em̃ præcepta inquiunt cuculla? vbi perpetuus Veneris interdictus vsus? vbi tantus ciborum mandatus delectus? vbi Monasteria, Eremitoria, conuentus? vbi aliæ istorum tot obseruationes?* Rom. 12. 1

Sed facilis est ad similia omnia ex vnius Ioannis Exemplo responsio. Vbi enim similia omnia,

S 2 *habitus*

habitus inquam Ioannis tam insolitus, (in quo ipsa etiam Lutherana Ecclesia communiter depingunt Ioannem) Eremus, cælibatus, victus, vita ratio tota præcepta? Si suscipi sine præcepto expresso nil tale potest, minima omnium à Ioanne ista suscipi debuere; vt qui in singulare exemplum pœnitentiæ ac perfectionis Christianæ, mundo proponendus venerat vniuerso. Suscepit ille tamen & approbatus est, & mundo quantus quantus erat, in clamãtem, pœnitentiæ vocem propositus. Et nobis etiam igitur suscipere talia hodie licet.

Vaticinium de Ioanne quale.

Dicent fortassè, expressum de his habuisse Ioannem, at particulare illud vaticinium, ideoque licite fecisse: sed solum; nec imitandum iam à quoquam. Nempe quia prædictum illud ab Isaia, de Ioanne solo, non aliis: Vox clamantis in deserto dirigite viam Domini. *R. si vaticinia prophetarum præcepta Dei sunt cẽsenda, etiam Iudæis præceptum fateamur necesse est, vt omnem illam passionem, quam & iniquissimam & acerbissimam intulêre Christo, inferent. Quia id quoque prophetæ, & quidem passim prædixêre. Quid verò absurdum magis? Deinde in vaticinio illo, nil nisi de prædicatione Ioannis in deserto exprimitur, nil inquam de cuculla, vel insolito illo vestitu eius, nil de locustis solis, ac melle syluestri in victu susceptis, nil de castitate ꝑpetua, nil de ꝑpetua habitatione Eremi, nil de aliis vllis circũstãtiis vitæ ipsius. Omnia igitur ista absque vllo scripturæ testimonio ab illo, etiam sic assumpta fuêre. Et religiosis igitur nostris, simillima etiam hodie assummere licebit.*

Isaia 40:3
Ioan: 1. 23

Dicent

Dicent forte ad extremum, assumant ergo desissimam Eremum Monachi omnes, siquidem Ioannis se exemplo tueri velint; assumant solas locustas in cibum, solam aquam in potum, solos pilos camelorum in amictum, & non qualia nunc singuli, longe illa à Ioannis studijs inferiora. R. Si licuit Ioanni absque omni mandato ex cætu communi hominum in remotissimam Eremum concedere; licebit longè magis nunc in minus remota cænobia: si ab omni alio cibo abstinere, præter solas locustas & mel syluestre; longè magis à paucioribus aliquibus, pro ratione pij consilij cuiusuis, & ita de reliquis loquẽdo. Licet Ioannem imitari, etiam à longe.

Etenim totum peccatum generis huius, quod Ministri hic affingunt religiosis nostris, (præter illud à nobis iam explosum: vbi mandatum?) in eo est, quod à communi hominũ ratione vitaq; sese eximant (quam stultissimi isti præceptum in 4. decalogi præcepto, communiter omnibus persuadere conantur) & inusitatum aliquid sibi, ad Dei obsequium assumant. Sed id si verũ est, quanto igitur quis longius secesserit, tanto deliquerit magis. At in Ioanne videmus, etiam quod lõgissime omnium secesserit, absque alio mandato; id non solum in peccatum ei nõ fuisse reputatum, sed & Deo inprimis gratũ obsequium. Longè ergo minus argui potest quiuis secessus minor.

In simili id exemplo clarissimè licet intelligere Furtum peccatum est, ex ipso genere suo, quia recedit à communi illa iustitiæ regula; qua cuique quod suum est relinquendum esse ipsa natura docet. Inde Simile.

sit vt qui 10. florenos alicui eripuit, is longè peccet grauius, quàm qui vnum solum; & qui 100. longè grauius, quam qui solos decem; & qui 1000. longè etiam grauius quàm qui 100. solos: & ita de reliquis loquẽdo, prout quisq; recederet à regula illa iustitiæ cõmuni magis? Sed si quo forte casu ponamus licite ab ea regula quàm longissimè recedi, vt si cui 1000. florenos licite posse auferri, & absque omni peccati periculo concedamus, puta hosti alicui patriæ publico, & proclamato, aut simili (vt in bellis iustis vsu venire videmus) profecto tali in casu, qui vel centum florenos solos auferret vel 10; longè etiam magis extra omnem peccati noxam foret.

Tertius locus.

De Eremo Ioannis, & Eremitis Ecclesiæ.

Pertinet locus is ad illa Euangelij de Deserto Ioannis. Matth. 11.

27. 27. *QVoniam in communem montanorum vulgariumq; hominum ordinem, redigere voluêre Ioannem Ministri, primum omnium erat, vt è verò deserto illum excluderent, atque vbiuis potius inter homines collocarent. Eo enim fundamento posito, longè iam facilior ipsis futura erat, omnis illa substructio reliquarum hic vanitatum ipsorum. Itaq; hoc ipsum est, quod vt supra vidimus n. 12. tam studiosè desertum Ioannis, in loca irrigua & bene culta*

Vera fuit eremus Ioannis.

culta transmutare sunt conati. Sed præter omnia ea, quæ tam multa in contrarium nos attulimus n. 13. vel vno hoc argumento, conuinci hic falsitatis possunt, quod non solum omni antiquitati penitus ignotum fuerit, tale Ioannis diuersorium: sed & contra, vnanimi consensu antiqui omnes (quotquot eorum contigit describere habitationem Ioannis) non nisi Eremum, veram in eo agnoscant. Annotauimus loca plurium patrum nos superius. n. 14.

Quin nunc quoque omne etiam Euangelicorũ vulgus, idem sentit. Nil enim sibi passim imaginatur aliud, ea de re vel loquẽns, vel legens, vel cogitans ex seipso; quam eremum veram: quandoquidẽ in Biblijs omnibus nil nisi Eremum attribui Ioanni cernit. Tum solum aliqua eos suspicio communis vitæ tangit de Ioanne, cum à Ministris suis, sinistris illis suis deprauationibus persuasionibusq; eo cõpelluntur. Quod si quod fundamentum haberent Ministri, vel in speciem probabile, tolerari forte tanta illorum audacia posset: at verò directe nihil habent dignum quod afferant; nudas suas assertiones nobis obtrudunt, nempe non fuisse vrsum, non Misanthropon, non Monachorum morem habentem Ioannem, & in deserto quodam Bethabara ciuitates etiam fuisse. Quæ si tam manifestæ atque omnibus confessæ veritati sint Catholicæ præponenda, ecquid stabile in tota re Christiana remaneret?

Maximè cum tota istis ratio isthac comminiscendi, non alia fuerit, quam vt impios Euangelismos suos reliquos, facilius ita contra Catholicã

 doctri-

doctrinam tuerentur: illos inquam Euangelismos, quibus ijs certum erat, nihil admittere, tanquam Deo gratum in officijs humanis, quod expresso Dei mandato non ita fuisset ordinatum, Omnes omnium Religiosorum ordines extra Ecclesiam exterminandos docere; omne castitatis perpetuæ studium, omnẽ ciborum delectum, pietatis causa susceptum, vt Diabolicum auersari, & his similia. Quos quidem nisi primi Ministrorum Patriarchæ, ad suam impiam apostasiam colorandam fundamenti sibi loco posuissent; nunquam Ioannis vel desertum, vel cætera deserti exercitia, ita nequiter deprauanda sibi sumpsissent. Ita sola hic eos necessitas ad tantas corruptelas inuehendas induxit. Sed habeant ipsi sibi commenta sua. Nos quibus vna veritatis cura est præ omnibus; merito ea nè ferimus quidem.

Eremi vtilitas duplex ad dei obsequium.

Habitauit igitur in verò deserto Ioannes, & quidem meritò. Duas enim ob causas illud habitationi suæ delegit, iustißimas quidem illas, & quarũ vtraque mirificè probet Monasticum Ecclesiæ Catholicæ institutum.
1. *Vna est quam Ecclesia in hymno suo ordinario de Ioanne concinit:*

Antra deserti teneris ab annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti.
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses:

Nẽpe vt omnẽ peccãdi ita occasionẽ sibi præscinderet ad leuia etiã vsq; & ociosa verba euitãda. Aptißimè sanè, Maxima ñ. humanorũ delictorũ pars, vel contra proximi dilectionem militat, dum is offendi-

fenditur, seu re ipsa, seu verbis, qui diligi debebat; vel certe ex proximorum occasione originem trahit. At solitarius homo, nullam offendendi in proximo occasionem habet. Altera est, vt diuinarum rerum contemplationi ac laudibus eo attentius vacaret, 2.
expeditus nimirùm ab omni occupationum cura. Et ad hunc quoque finem per magnum esse momentum in solitudine positum, cũ ipsa ratio naturalis docet, (pluribus enim alioqui intentus, vt poëta docet, minor est ad singula sensus) tum illa generalis Pau- 1. Cor. 7.
li regula, qua & viduam beatiorem pronunciauit, si sic permanserit; & omnem solutum coniugio coniugatis; eò quòd cogitare possint facilius, quæ Dei sunt, expediti amoribus istis humanis. Denique Christus ipse id satis insinuauit, non solum dum frequenter ad orandum sese in solitudinem ipse recepit (id quod vltima etiam passionis nocte in Gethsemani secessu ostendit) sed & dum generalem illum præscripsit bene orandi modum, vt quandocunque nobis venerit orandum, intremus in cubiculum, Mat. 6. 6.
& clauso hostio, *super nos adoremus* Patrem in abscondito: *sic enim fore, vt vberiorem ab eo mercedem accipiamus.*

Quartus locus.

De vestitu Ioannis & ciliciorum vsu, in pœnitentia Ecclesiæ.

Pertinet ad illa Euãgelii: Quid existis videre mollibus vestitum? Matth. 11.

28. Vestitus Ioannis inuisus Ministris.

28. DVo quædam in Ioannis vestitu tam insolito tamq; aspero nobis singulariter commendantur, vtrumq; Ministrorum Euangelismis inuisum maximè. Primum licitum esse, ac Deo placitum, religionis ergò, habitum quempiam assumere, quantumuis à communi hominum vsu alienum, qui vel pœnitentiæ exercendæ vel humilitati aut mundi contemptui, vel simili alicui fini religioso deseruiat. Vnde quidem tam varij variorum Monasticorum ordinum in Ecclesia habitus, tam mundo despecti cuculli, cinguli, cappæ, &c. Secundo pertinere ad singulare pœnitentiæ, imò & perfectionis Christianæ exercitium, etiam in vestitu voluntariè assumptam asperitatem: qualia sunt cilicium, cingulum, sacci, hispidus ac pungens amictus quiuis, & omnis similis afflictio carnis.

1.

2.

Primum illud ferre Ministri nequeūt, propter insigne odium, quo omne Monachorū genus perpetuo persequūtur; alterū, quia quāti quāti sunt, caro & sanguis sunt, carnē sapiūt, carnis ac cuticulæ curādæ patronos agūt, vnde nō possūt nō, quæcūq; carni aduersa sunt, cū primis auersari. Hac igitur causa est; cur ne in Ioanne quidem quicquam admittere possint insolentius asperiusuè, in genere hoc. Vnde etiam camelotinam tandem vestem κοσμιον illum & ευπρεπεστον vt Chytræus loquitur n. 12. hoc est, venustam &c. ei consuêre, ita nimirum vno tam facili mendacio, vtrumq; illud, quod diximus, suis eripientes penitus; vt iam ne in mentem quidem

venire posit, talia in Ioannis vestitu, qualia diimus, nobis fuisse commendata. Quid enim insiiter insolitum, quid vel paulo asperius in veste idulata: qualis quæ dicitur Camelotina. Sed behabet, Chytræi, hoc est figuli luti, præferre nomen, m qui talia primus est commentus. Nempe figut de re vestiaria loquens, vt sutor vltra crepidam e exerens, putabat fortè, prout ex vno eodemq́; o figulus vas sibi effingit formatū́q; quod libet: ita vno pilorum lanæue genere quoduis genus panni se contexi.

At verò insigni commento perditum imposto-i, vna cum suis comministris, ita mundo illue hic luce clarius est. Omnino vestis Ioannis inta omnibus, omnino asperrima, vt pote qualem erius descripsimus, tota in vnica tunica, ex crasibus camelorum pilis contexta, ac zona crudaicea sita, ita vt neque lini, neque lanæ commuvsum vllum admiserit, nihil ad ornatum corpovel mediocrem adhibuerit, nihil ad tegmen ca-, nihil ad pedum munimen. Docuimus quidem id iam fusius (n. 15. & 16.) sed plenius etiam onstrari potest, & primum quidem ex eo quod Euangelistæ duo, Matthæus & Marcus, eius s amictum commendent; vterque studiosè illud imat ex pilis camelorum illam fuisse contextā, autem Ioannes, inquit Matthæus, habevestimentum de pilis camelorum & zopelliceam circa lumbos suos. Marcus vet erat Ionnes vestitus pilis cameli & zona pelli-

Vere asperrima vestis Ioannis.

Mat. 3. 4.
Mar. 1. 6.

pellicea circa lumbos suos.

Pili cilicio-rum propria materia.

Si ex pilis camelorum, textam gestauit vestem: asperā & rigidā totā gestauit, lōgè ēm aliud pili aliud lana. Lana enim omnis, etiam vbi crassissima est, mollior est, quia lana est: at pilus omnis durior asperior, pungentior, quia nulla naturali connexione sibi inuicem complexus, vt in lana vsu venit: sed in ijs seiuncti singuli, suumq́; etiam habentes singuli seorsim quoddam pungens acumen. Itaque non pannus ex pilis contexitur, crassioribus præsertim bestiarum crassiorū, quales cameli: sed cilicini sacci similiaue saccis. Qua quidem de re, si dubitare pergant Ministri nostri, probare id eos iubeamus vel ad mensem vnum in vna aliqua interula ex pilis equinis, maximè insignioribus ijs (quales vel in iuba extant vel in caudis equorum) contexta, & ita demum sententiam de totis triginta annis Baptistæ in pilis camelinis dicere. Nisi me fallat opinio, scirent ij tum testimonium plenius perhibere Euangelicæ veritati.

29. Vestis Ioannis habitus pœnitētiæ.

29. *Ad hæc dum vt legitimum nobis pœnitentiæ doctorem commendare volunt Euangelistæ Ioannem; illum simul nobis illius vestitum describunt, vti & victum. Patet ex ijs quæ immediate præcedunt apud vtrumq́; Euangelistarum. Legitimæ ergo pœnitentiæ in eo, vti victum, ita etiam amictum exprimere ita voluêre, vt inde verè legitimæ pœnitentiæ prædicatorem ac re ipsa egisse colligeremus. Igitur pœnitentiæ habitus est, quem nobis describunt; eamq́; maximè ob causam, non nisi ex pilis con-*

lis confectam gestare vestem notauêre.

At pœnitentium habitus proprius, in scripturis cilicium est, saccus est, asperrimus quiuis amictus est. Ita pœnitens quandoq; Achab, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco. *Ipsam inquam carnem suam immediate nulla linea admissa interula, cilicio operuit: non minus ac Ioannem hic nullo alio amictu, quàm ex pilis istis legimus opertum. Ita Ioram pœnitens in obsidione illa arctissima, quàm passus est in Samaria, dum scindit vestimenta sua, spectatur a omni populo vestitus fuisse* cilicio ad carnem intrinsecus. *Ita Rex Niniuæ pœnitens, abijcit vestimentum à se, & sacco induitur, ac sedet in cinere. Sed peculiariter Isaias pœnitentiæ prædicator, sacco indutus prædicauit, tandemq; etiam eum deponere iussus, ac calceos, totus nudus incessit ac discalceatus.*

Pœnitentes saccis vestiti.

Achab. 3. Reg. 21. G 27.

Ioram. 4. Reg. 6. F. 30.

Rex Niniua. Ion. 3.

Isaias 20.

Et denique, quod maximè omnium ad rem nostram est, ij pœnitentiæ prædicatores qui secundum Domini aduentum immediatè præcessuri sunt, ut homines ei præparēt, quēadmodū Baptista præcessit, primum: nominatim describuntur saccis amicti officium illud obituri. In quibus quidem cū unus communi totius Ecclesiæ consensu Elias futurus sit, in id iam inde à tot seculis diuinitus viuus seruatus: Ioannes certe qui Secundus Elias dicitur, ac nominatim in spiritu & virtute Eliæ, prior Domini aduentum erat præcursurus; nō aliter sacco vestitus & ipse debuit describi.

Præcursores Christi ante iudicium.

Apoc. 11.3

Luc. 1. 17.

Deniq;

Christus ipse habitum Ioãnis commendat vt singularem.

Ad extremũ, vel ipsum Christi testimonium in Euangelio hodierno, illustre nobis eius rei argumentum dare potest, quã quærimus. Is singulariter Ioannem commendare volens vulgo, vt ne id forte scandalũ aliquod ex proposita per discipulos ipsius nomine quæstione de Christo, (verè ne is Christus esset, an secus) acciperet, etiam vestitum illius in argumentum ponit, minime vulgaris eius Sanctitatis: propterea quod minime ea mollis, vel q̃d apud Lucam additur, minime preciosa, minime delicijs apta. Paucißimis ea de re agit Dominus, & cum vulgo agit ista loquens, & eum ob finem agit, vt ab omni vel suspicione inertiæ Ioannem vindicet, & eo denique modo agit, vt nihil concludat ipse, sed totam conclusionem vulgo ipsi inferẽdam relinquat. Ergo & ex genere suo illustrißima quæq;, & vulgo ipsi notißima debuit adferre. Attulit vestitus partim vilitatem (hoc enim est quod preciosæ eam opponit) partim asperitatem (hoc quod molliciei & delicijs) & ex ijs vult vt vulgus concludat virum planè singularem esse Ioannem.

Quis igitur ambigendi amplius locus? ergo insigniter vilem, insigniter asperum illum fuisse, hoc est præter omnem vulgarem morem hominum & asperum & vilem? Nam si omnibus montanis hominibus vsitatus, nihilo plus Ioannis inde sanctitatem singularem confirmasset Dominus, quàm communium hominum omnium in triuijs omnibus sanctitatem asserit vulgaris habitus ipsorum: quàm nemo profecto inde (nisi forte stultißimus quispiã) mira-

miratur. Longe verò minus vulgus ipsum inde cõclusißet, quod Christus illos volebat cõcludere, tam insignem præ cæteris virum esse Ioannem. Nimirũ vulgari habitu, & ipsi amicti erant cõmuniter omnes, nec tamen propterea vel de se quisq; vel de vicinis suis, singulare quid poterat existimare. Plura de his vide, n. 15. & 16.

Quintus locus.

De Ioannis victu, & ieiunijs Ecclesiæ.

Pertinet ad illa Euangelij apud Lucã expressa, Ecce qui in veste preciosa sũt, & delicijs, in domibus regum sunt, Luc. 7. D.

30. D*Vo æquè ex victu Ioannis tam austero; atq; ex proximè superiore loco, de amictu eius concludimus, vtrumq; ipsum quoque Ministris ingratißimũ. Primum singulare quoddam obsequium esse Dei, si religionis causa, semetipsum maceret homo, in omni cibi potusuè exilitate. Deinde etiam ciborum certorum delectum, qualis adhiberi in ieiunijs Catholicis solet, si fine legitimo suscipiatur; pergratum accidere Deo, non ad certos solum aliquos dies, sed & vita hominis tota. Neutrum verò horum ferre Ministri poßunt, propter easdẽ, quas proximo loco attulimus causas, vnde etiam non minus abstinẽtiam Ioannis in victu, quàm asperitatem in amictu, corrumpere sunt aggreßi.* 30. Victus Ioãnis inuisus Ministris.

Nempè ne in cibo quidẽ præ cæteris montanis homi-

fit vt qui 10. florenos alicui eripuit, is longè peccet grauius, quàm qui vnum solum; & qui 100. longè grauius, quam qui solos decem; & qui 1000. longè etiam grauius quàm qui 100. solos: & ita de reliquis loquẽdo, prout quisq; recederet à regula illa iustitiæ cõmuni magis? Sed si quo forte casu ponamus licite ab ea regula quàm longißimè recedi, vt si cui 1000. florenos licite posse auferri, & absque omni peccati periculo concedamus, puta hosti alicui patriæ publico, & proclamato, aut simili (vt in bellis iustis vsu venire videmus) profectò tali in casu, qui vel centum florenos solos auferret vel 10; longè etiam magis extra omnem peccati noxam foret.

Tertius locus.

De Eremo Ioannis, & Eremitis Ecclesiæ.

Pertinet locus is ad illa Euangelij de Deserto Ioannis. Matth. 11.

27. 27. *QVoniam in communem montanorum vulgariumq; hominum ordinem, redigere voluêre Ioannem Ministri, primum omnium erat, vt è vero deserto illum extruderent, atque vbiuis potius inter homines collocarent. Eo enim fundamento posito, longè iam facilior ipsis futura erat, omnis illa substructio reliquarum hic vanitatum ipsorum. Itaq; hoc ipsum est, quod vt supra vidimus n. 12. tam studiosè desertum Ioannis, in loca irrigua & bene*

Vera fuit eremus Ioannis.

culta

culta transmutare sunt conati. Sed præter omnia ea, quæ tam multa in contrarium nos attulimus n. 13. vel vno hoc argumento, conuinci hic falsitatis possunt, quod non solum omni antiquitati penitus ignotum fuerit, tale Ioannis diuersorium: sed & contra, vnanimi consensu antiqui omnes (quotquot eorum contigit describere habitationem Ioannis) non nisi Eremum, veram in eo agnoscant. Annotauimus loca plurium patrum nos superius. n. 14.

Quin nunc quoque omne etiam Euangelicorũ vulgus, idem sentit. Nil enim sibi paßim imaginatur aliud, ea de re vel loquẽns, vel legens, vel cogitans ex seipso; quam eremum veram: quandoquidẽ in Biblijs omnibus nil nisi Eremum attribui Ioanni cernit. Tum solum aliqua eos suspicio communis vitæ tangit de Ioanne, cum à Ministris suis, sinistris illis suis deprauationibus persuasionibusq; eo cõpelluntur. Quod si quod fundamentum haberent Ministri, vel in speciem probabile, tolerari forte tanta illorum audacia posset: at verò directe nihil habent dignum quod afferant; nudas suas assertiones nobis obtrudunt, nempe non fuisse vrsum, non Misanthropon, non Monachorum morem habentem Ioannem, & in deserto quodam Bethabara ciuitates etiam fuisse. Quæ si tam manifestæ atque omnibus confessæ veritati sint Catholicæ præponenda, ecquid stabile in tota re Christiana remaneret?

Maximè cum tota istis ratio isthac comminiscendi, non alia fuerit, quam vt impios Euangelismos suos reliquos, facilius ita contra Catholicã

doctrinam tuerentur: illos inquam Euangelismos, quibus ijs certum erat, nihil admittere, tanquam Deo gratum in officijs humanis, quod expressò Dei mandato non ita fuisset ordinatum, Omnes omnium Religiosorum ordines extra Ecclesiam exterminandos docere; omne castitatis perpetuæ studium, omnẽ ciborum delectum, pietatis causa susceptum, vt Diabolicum auersari, & his similia. Quos quidem nisi primi Ministrorum Patriarchæ, ad suam impiam apostasiam colorandam fundamenti sibi loco posuissent; nunquam Ioannis vel desertum, vel cætera deserti exercitia, ita nequiter deprauanda sibi sumpsissent. Ita sola hic eos necessitas ad tantas corruptelas inuehendas induxit. Sed habeant ipsi sibi commenta sua. Nos quibus vna veritatis cura est præ omnibus; merito ea nè ferimus quidem.

Eremi vtilitas duplex ad dei obsequium.

Habitauit igitur in verò deserto Ioannes, & quidem meritò. Duas enim ob causas illud habitationi suæ delegit, iustissimas quidem illas, & quarũ vtraque mirificè probet Monasticum Ecclesiæ Catholicæ institutum.
1. *Vna est quam Ecclesia in hymno suo ordinario de Ioanne concinit:*

Antra deserti teneris ab annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti.
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses:

Nèpe vt omnẽ peccãdi ita occasionẽ sibi præscinderet ad leuia etiã vsq; & ociosa verba euitãda. Aptissimè sanè, Maxima n. humanorũ delictorũ pars, vel contra proximi dilectionem militat, dum is offendi-

fenditur, seu re ipsa, seu verbis, qui diligi debebat; vel certe ex proximorum occasione originem trahit. At solitarius homo, nullam offendendi in proximo occasionem habet. Altera est, vt diuinarum rerum 2.
contemplationi ac laudibus eo attentius vacaret, expeditus nimirùm ab omni occupationum cura. Et ad hunc quoque finem per magnum esse momentum in solitudine positum, cũ ipsa ratio naturalis docet, (pluribus enim alioqui intentus, vt poëta docet, minor est ad singula sensus) tum illa generalis Pau- 1. Cor. 7.
li regula, qua & viduam beatiorem pronunciauit, si sic permanserit; & omnem solutum coniugio coniugatis; eò quòd cogitare possint facilius, quæ Dei sunt, expediti amoribus istis humanis. Denique Christus ipse id satis insinuauit, non solum dum frequenter ad orandum sese in solitudinem ipse recepit (id quod vltima etiam passionis nocte in Gethsemani secessu ostendit) sed & dum generalem illum præscripsit bene orandi modum, vt quandocunque nobis venerit orandum, intremus in cubiculum, Mat. 6. 6.
& clauso hostio, *super nos adoremus* Patrem in abscondito: *sic enim fore, vt vberiorem ab eo mercedem accipiamus.*

Quartus locus.

De vestitu Ioannis & ciliciorum vsu, in pœnitentia Ecclesiæ.

Pertinet ad illa Euãgelii: Quid existis videre mollibus vestitum? Matth. 11.

28. Vestitus Ioannis inuisus Ministris.

28. DVo quædam in Ioannis vestitu tam insolito tamq; aspero nobis singulariter commendantur, vtrumq; Ministrorum Euangelismis inuisum maximè. Primum licitum esse, ac Deo placitum, religionis ergò, habitum quempiam assumere, quantumuis à communi hominum vsu alienum, qui vel pœnitentiæ exercendæ vel humilitati aut mundi contemptui, vel simili alicui fini religioso deseruiat. Vnde quidem tam varij variorum Monasticorum ordinum in Ecclesia habitus, tam mundo despecti cuculli, cinguli, cappæ, &c. Secundo pertinere ad singulare pœnitentiæ, imò & perfectionis Christianæ exercitium, etiam in vestitu voluntariè assumptam asperitatem: qualia sunt cilicium, cingulum, sacci, hispidus ac pungens amictus quiuis, & omnis similis afflictio carnis.

1. 2.

Primum illud ferre Ministri nequeūt, propter insigne odium, quo omne Monachorū genus perpetuo persequūtur; alterū, quia quāti quāti sunt, caro & sanguis sunt, carnē sapiūt, carnis ac cuticulæ curādæ patronos agūt, vnde nō possūt nō, quæcūq; carni aduersa sunt, cū primis auersari. Hæc igitur causa est; cur ne in Ioanne quidem quicquam admittere possint insolentius asperiusuè, in genere hoc. Vnde etiam camelotinam tandem vestem κοσμιον illum & ευπεριστον vt Chytræus loquitur n. 12. hoc est, venustam &c. ei consuêre, ita nimirum vno tam facili mendacio, vtrumq; illud, quod diximus, suis eripientes penitus; vt iam ne in mentem quidem ijs ve-

ijs venire possit, talia in Ioannis vestitu, qualia diximus, nobis fuisse commendata. Quid enim insigniter insolitum, quid vel paulò asperius in veste vndulata: qualis quæ dicitur Camelotina. Sed bene habet, Chytræi, hoc est figuli luti, præferre nomen, eum qui talia primus est commentus. Nempe figulus de re vestiaria loquens, vt sutor vltra crepidam sese exerens, putabat fortè, prout ex vno eodemq; luto figulus vas sibi effingit formatq; quod libet: ita ex vno pilorum lanæue genere quoduis genus panni posse contexi.

At verò insigni commento perditum impostorem, vna cum suis comministris, ita mundo illudere hic luce clarius est. Omnino vestis Ioannis insueta omnibus, omnino asperrima, vt pote qualem superius descripsimus, tota in vnica tunica, ex crassioribus camelorum pilis contexta, ac zona cruda pellicea sita, ita vt neque lini, neque lanæ communis vsum vllum admiserit, nihil ad ornatum corporis vel mediocrem adhibuerit, nihil ad tegmen capitis, nihil ad pedum munimen. Docuimus quidem nos id iam fusius (n. 15. & 16.) sed plenius etiam demonstrari potest, & primum quidem ex eo quod cum Euangelistæ duo, Matthæus & Marcus, eius nobis amictum commendent, vterque studiosè illud exprimat ex pilis camelorum illam fuisse contextã, Ipse autem Ioannes, *inquit Matthæus,* habebat vestimentum de pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos suos. *Marcus verò* Et erat Ionnes vestitus pilis cameli & zona

Vere asperrima vestis Ioannis.

Mat. 3. 4.
Mar. 1. 6.

pellicea circa lumbos suos.

Pili cilicio-rum propria materia.

Si ex pilis camelorum, textam gestauit vestem: asperā & rigidā totā gestauit, lōgè em̄ aliud pili aliud lana. Lana enim omnis, etiam vbi crassissima est, mollior est, quia lana est: at pilus omnis durior asperior, pungentior, quia nulla naturalī connexione sibi inuicem complexus, vt in lana vsu venit: sed in ijs seiuncti singuli, suumq́; etiam habentes singuli seorsim quoddam pungens acumen. Itaque non pannus ex pilis contexitur, crassioribus præsertim bestiarum crassiorū, quales cameli: sed cilicini sacci similia aūc saccis. Qua quidem de re, si dubitare pergant Ministri nostri, probare id eos iubeamus vel ad mensem vnum in vna aliqua interula ex pilis equinis, maximè insignioribus ijs (quales vel in iuba extant vel in caudis equorum) contexta, & ita demum sententiam de totis triginta annis Baptistæ in pilis camelinis dicere. Nisi me fallat opinio, scirent ij tum testimonium plenius perhibere Euangelicæ veritati.

29. Vestis Ioannis habitus pœnitētiæ.

29. *Ad hæc dum vt legitimum nobis pænitentiæ doctorem commendare volunt Euangelistæ Ioannem; illum simul nobis illius vestitum describunt, vti & victum.* Patet ex ijs quæ immediate præcedunt apud vtrumq́; Euangelistarum. *Legitimæ ergo pœnitentiæ in eo, vti victum, ita etiam amictum exprimere ita voluêre, vt inde verè legitimæ pœnitentiæ prædicatorem ac re ipsa egisse colligeremus. Igitur pœnitentiæ habitus est, quem nobis describunt; eamq́; maximè ob causam, non nisi ex pilis con-*

lis confectam gestare vestem notauêre.

At pœnitentium habitus proprius, in scripturis cilicium est, saccus est, asperrimus quiuis amictus est: Ita pœnitens quandoq; Achab, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco. *Ipsam inquam carnem suam immediate nulla linea admissa interula, cilicio operuit: non minus ac* Ioannem *hic nullo alio amictu, quàm ex pilis istis legimus opertum. Ita Ioram pœnitens in obsidione illa arctissima, quàm passus est in Samaria, dum scindit vestimenta sua, spectatur a omni populo vestitus fuisse* cilicio ad carnem intrinsecus. *Ita Rex Niniuæ pœnitens, abijcit vestimentum à se, & sacco induitur, ac sedet in cinere. Sed peculiariter Isaias pœnitentiæ prædicator, sacco indutus prædicauit, tandemq; etiam eum deponere iussus, ac calceos, totus nudus incessit ac discalceatus.*

Pœnitentes saccis vestiti.

Achab. 3. *Reg.* 21. *G* 27.

Ioram. 4. *Reg.* 6. *F.* 30.

Rex Niniuæ. Ion. 3.

Isaias 20.

Et denique, quod maximè omnium ad rem nostram est, ij pœnitentiæ prædicatores qui secundum Domini aduentum immediatè præcessuri sunt; vt homines ei præparẽt, quẽadmodũ Baptista præcessit, primum: nominatim describuntur saccis amicti officium illud obituri. In quibus quidem cũ vnus communi totius Ecclesiæ consensu Elias futurus sit, in id iam inde à tot seculis diuinitus viuus conseruatus: Ioannes certe qui Secundus Elias dicitur, ac nominatim in spiritu & virtute Eliæ, primũ Domini aduentum erat præcursurus; nõ aliter nobis vestitus & ipse debuit describi.

Præcursores Christi ante iudicium.

Apoc. 11. 3

Luc. 1. 17.

Deniq.

miratur. Longe verò minus vulgus ipſum inde cõcluſiſſet, quod Chriſtus illos volebat cõcludere, tam inſignem præ cæteris virum eſſe Ioannem. Nimirũ vulgari habitu, & ipſi amicti erant cõmuniter omnes, nec tamen propterea vel de ſe quisq; vel de vicinis ſuis, ſingulare quid poterat exiſtimare. Plura de his vide, n. 15. & 16.

Quintus locus.

De Ioannis victu, & ieiunijs Eccleſiæ.

Pertinet ad illa Euangelij apud Lucã expreſſa, Ecce qui in veſte precioſa ſũt, & delicijs, in domibus regum ſunt, Luc. 7. D.

30. D*Vo æquè ex victu Ioannis tam auſtero; atq; ex proximè ſuperiore loco, de amictu eius concludimus, vtrumq; ipſum quoque Miniſtris ingratiſſimũ. Primum ſingulare quoddam obſequium eſſe Dei, ſi religionis cauſa, ſemetipſum maceret homo, in omni cibi potuſuè exilitate. Deinde etiam ciborum certorum delectum, qualis adhiberi in ieiunijs Catholicis ſolet, ſi fine legitimo ſuſcipiatur; pergratum accidere Deo, non ad certos ſolum aliquos dies, ſed & vita hominis tota. Neutrum verò horum ferre Miniſtri poſſunt, propter eaſdẽ, quas proximo loco attulimus cauſas, vnde etiam non minus abſtinẽtiam Ioannis in uictu, quàm aſperitatem in amictu, corrumpere ſunt aggreſſi.* 30. Victus Ioãnis inuiſus Miniſtris.

Nempè ne in cibo quidẽ præ cæteris montanis homi-

hominibus singularem fuisse dictitant Ioannem: solum illud annotasse Euangelistas, vulgaribus fuisse contentum, locustis inquam ac melle syluestri. Sed hoc quoque quàm temerarium sit commentum, & supra iam ostendimus, & potest ipsum paucis etiã clarius doceri. Primò qa locustas in ordinariã mẽsam suam adhibuit Ioannes. Iam hoc quidẽ ipsum tam mirabile est, vt vix satis capere possimus, qui fieri id potuerit. Nam locustas quidem nouimus omnes, quale sit animal; nec dubiũ est, id ipsum quod locustam nos vocamus, reptile partim, partim modice volatile ac ventrosum, quasi muscæ genus, in messis tempore potissimum comparens, etiam hic accipi, ita communis est opinio totius antiquitatis.

Cibus Ioãnis verè singularis.

Locustæ.

Itaque ne Lutherus quidem, audacissimus alioqui Bibliorum corruptor, in germanica sua versione, idpropterea ausus fuit mutare. Nam & apud Matthæum & M[illegible]um, æquè vtrobiq; locustas Ioannis interpretatur reptile illud, Germanis Hewschrecken. *Sed quomodo id in cibum hominis potuerit adhiberi, id verò mirabile admodum. Horret enim stomachus humanus noster, vel ad solam mentionem edulij talis: nisi illud vnum asseramus, in nostro quidem isto extremo septentrione, propterea id prorsus videri incomestibile: quod ob naturale frigus regionis, minusq; potentes propterea solis radios, minus etiam cõcocti ac quasi maturi, commestioni humores limosi, animalis illius reddi queant; in calidissimis Syriæ ac Palestinæ plagis queant. Id quod etiam in ranis videmus vsu venire. Nam eæ*

quidem

quidem in paulo calidioribus regionibus solent pauperiorum hominum victui adhiberi, cum in limoso ac frigido Sarmatiæ septentrione minimè possint. Iam igitur vel ex solo isto communi genere victus Ioannis, quanta hic eius fuerit austeritas æstimari potest.

31. *Sed longè magis id secũdo ex illo etiã patet, quod solas comedere solitus sit perpetuo locustas, cum melle syluestri, omni alio genere alimentorum excluso. Constat vero id, non inde solum, quod sola isthæc nominent Euangelistæ, dum mensam nobis Ioannis describunt: sed longè magis quod Christus ipse id explicet præter ista, ne panem quidem solitum manducare.* Venit *inquit* Ioannes neque manducans panem neq; bibens vinum. *Si illa victus Ioãnis descriptione illud solum voluissent significare Euangelistæ, aliquando locustas etiam cum melle illo edere solitum, cum alioqui consuetis hominũ cibis ordinarijs vteretur: certe maximè omnium pane fuisset vsus communiter Ioannes; quia is vulgarißimus est, & quotidianus omnium hominum cibus. At vero ne eum quidem adhibuit Christo testante. Longè ergo minus quicquam generis cuiusuis alterius delicatioris.*

31. Solæ locustæ.

Luc 7. E 33

Deniq; insignem fuisse ieiunatorem Ioannem vel inde patet; quod etiam discipulos suos ieiunijs frequentibus exercitauit. Ipsimet id testantur dum ad Christum aliquando accedentes de discipulis eius quærunt: Quare nos & discipuli Pharisæorum ieiunamus frequenter, tui autem non ieiu-

Insignis ieiunator Ioannes.

Matth. 9. B. 14.

ieiunant. *Frequenter inquam ieiunabant, nec aliunde quam ex magistri disciplina ieiunabant, qui eo ipso tempore adhuc superstes agebat in carcere (bene enim ante hodierni diei historiam Euangelicam, qua misisse suos ex carcere ad Christum describitur Ioannes, quæstio illa de ieiuniis proposita fuit) & propterea cum Pharisæis coniuncti vt ex aliis Euangelistis patet eam Christo quæstionem obiiciebāt, quasi is minus quid doceret discipulos suos, quam vel Pharisæi, vel Ioannes etiam ipse docuisset suos. Nam hic quidem de vera ciborum vltra communē sobrietatis modum abstinentia agi, (quod nos propriè ieiunium vocamus) clarissimum est. Fuisset enim alioqui quæstionis ille sensus: quare nos sobrie viuimus frequenter, tui vero perpetuo crapulæ sunt dediti & ebrietati? Quod si Ioannes docuit etiam discipulos suos ieiunare frequenter, cum ipse longo interuallo in omnibus suos præcelleret; ipse sine dubio frequentissimè ieiunauit.*

Lutheri corruptela singularis. *Sed hoc loco simul obseruanda est insignis ac plane impudens corruptela Lutheri in Bibliis, dum ieiunia ista discipulorum Ioannis tanquam plena superstitionis prorsus excludit. Egimus nos etiam iam ea de re superius n. 10. dum Ministrorum sententiam, de variis vitæ Ioannis circumstantiis adferremus, hic sola Lutheri verba annotare visum est. Is igitur in citatum Matthæi caput hæc notat in margine in Germanicis Bibliis suis in illa Christi*

Matt. 9. B *NON POSSVNT FILII SPONSI LVGERE.* Dupliciter, inquit, contingit aliquid

quid pati, primum, si quid tale propria electione assumatur, quales Monachorum sunt regulæ, sicut & Baalis Sacerdotes se ipsos pungebant 3. *Reg.* 18. Huiusmodi passiones magni æstimat mundus & æstimabant Pharisæi, ipsiq; etiam Ioannis discipuli, at Deus contemnit. Aliud, dum à Deo absq; omni nostra electione quid tale immittitur, puta ignominia, mors &c. talia libenter ferre, vera crux est quæ Deo placeat. Ideo dicit Christus discipulos suos non ieiunare dum sponsus cum ipsis est, hoc est dum Deus nondum eis tribulationes miserat & adhuc ijs aderat Christus eosq; tuebatur, nullam ipsi sibi ipsis excogitauere crucem, quia nihili talia sunt coram Deo. At mortuo Christo & ieiunare illos oportebat & pati. Atq; ita reijcit hic Christus hipocritarum & passiones & ieiunia quæ sponte propria assumuntur. *Hæc ille.*

Ex quibus simul vides quam directe etiam ipsam Ioannis asperitatem omnem inter Baalis Sacerdotum numeret exercitia; non solum quia in genere omnem sponte & absq; præcepto ascitam mortificationem (qualia quidem omnia studia ista Ioannis fuisse & ratio communis docet, & nos supra ostendimus n. 26.) eo referenda docet: sed & quia nominatim in his etiam discipulorum Ioannis ieiunia frequentia includit, quæ non aliunde certe ij quam ex ipso Ioanne didicerant, perpetuo ieiunante; quæq; alioqui Ioannem latere non poterant, quandoquidem

doquidem ita publicè ea etiam Christo ipsi opponebant, nec tamen vnquam à Ioanne tantæ fuerant superstitionis Baaliticæ redarguti. Simul vero etiam illud hinc patet, quam verum sit, id quod toties nos iterauimus, impios Ministros damnare Catholica non posse, nisi simul etiam Ioannem ipsum in eandem vna inuoluant condemnationem.

LOCI ALII VARII, QVI CIRca Euangelium Dominicæ huius, tractari controuersè satis commodè possint.

Et hi quidem hactenus loci ad ea pertinent, quæ fusius iam in superioribus à nobis sunt disputata. Præbet verò Euangelium hoc multiplicem etiam aliam occasionem controuersa tractandi: quam non inutile fuerit vna cum hisce etiam annotasse.

Primus Locus.

Omnis Hæresis mera Arundo est, maximè nostrorum temporum.

Matt. 11.7. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

32. *De arundine in genere doctrinæ hic agitur.* 32. SI benè attendere libeat verba isthæc Christi, propriè ea ad doctrinam Ioannis relata inueniemus, illudq; habuisse propositum iis dominum; vt ne quisquam suspicaretur de Ioanne Baptista, sententiam

tentiam eum suam, in doctrina de Christi aduentu leuiter mutasse. Id quod videri poterat fecisse, dum hic per discipulos quæstionem quasi dubiam proponit: Tu es qui vēturus es an alium expectamus? *Ioan.1.A 7*
qui & ad id venerat missus à Deo, vt testimonium perhiberet de Christo iam præsente; & idipsum testimonium iam non semel constantissimè deposuerat: Ecce *inquiens,* Agnus Dei, ecce qui tollit *Ioan. 1. D* peccata mundi. *Propria igitur hic occasio est de inconstantia, & inanitate hæreseon (nostri maximè temporis) commonere pios, vt eas caueant.*

Verè enim Hæresis Arundo mera. At inniti baculo arundineo summi esse periculi, & propheta **Ezech.29.** *monet; & ipsa ratio dictat. Variæ porrò sunt arun-* **Arundinis proprietates** *dinis proprietates, omnes aptissimæ ad proprium hæreseos genium nobis declarandum.*

Prima ac potissima est, ad rem nostram seruiens, **1. Instabilitas.** *quàm ipse hic Dominus insinuat, quod in omnem partem à vento agitetur, nihil stabile in se ac firmum continens. Hoc verò suapte natura habet in se, vt omnis arundo, ita omnis hæresis. Docet id ipsa experientia, certissima rerum Magistra, etiam de Hæresi (nam de arundine quidem nemo dubitat) Nulla enim vnquam orta est Hæresis, quæ in vno eodemq; statu diu constiterit, quæq; non paulò post, ab ortu suo, in varias sectas dissecta fuerit, vt hoc seculo primùm Lutherani in Molliores Adiaphoristas in rigidiores Flaccianos, in Osiandristas, in Antinomos &c. Ita Zuingliani in Zuinglianos proprios, in Caluinopapistas Anglos, in puritanos. Ita Anabaptistæ in*

sta in Mennistas, in fratres Morauicos, in Frisios, in Trinitarios &c. Sed & rarus fuit Hæresiarcha, q non sæpe, in suis maximè initijs, ipse sibi contradixerit; non sæpiùs sententiam suam emendarit, atq; immutarit. Plurimi verò etiam reperiuntur in simplicioribus qui vni ijdemq; terué quaterue fidem suam variarint, vt pote ex Catholicis Lutherani, ex Lutheranis Caluinistæ, ex Caluinistis Anabaptistæ, ex Anabaptistis communibus Trinitarij facti.

Habet id genij, ex ipsa natura sua hæresis, (prout summam inconstantiam ex ipsa natura sua arundo,) nempe; quia Secundo res tota inanis est & vacua, & solo vento, vel ventosa quadam cartilagine plena. Talis omnis etiam Hæresis, maximè nostri temporis. Inanis est tota, vacua tota, tota vanissima, & quidē triplici nomine talis, 1. ex parte fidei ipsius hæreticæ. Nihil enim est aliud Hæresis, quàm proprium iudicium cuiusq;, quod nulli subiectum habet Hæreticus, nulli Ecclesiæ definitioni, nullis pontificum decretis, nullis Concilijs, nullis Doctoribus, quin omniū etiam eorum se iudicem facit. Alienus ergo ab Ecclesia, colūna & firmamēto veritatis, qd aliud quā fluctuare in Christianæ religionis mysterijs posit? Quid eñ queat humani ingenij imbecillitas, nisi nutare in diuinis? nisi, vt oculi noctuæ ad Solis lumen, caligare? nisi dum scrutatur nimium Maiestatem, opprimi à gloria? nisi ex vno denique errorū genere in aliud corruerre?

2. Inanitas.

Hæresis tripliciter inanis est.

1. Ex parte fidei ipsius.

Pro: 25. 27

Longè verò alia conditio hominis Catholici est, qui dum intellectum suum omnem in captiuitatem redigit,

redigit, atq; in humile obsequium fidei, æternæ veritati Dei per Ecclesiam, (columnam, ac firmamẽtum veritatis,) sibi proposita subijcit: non potest nõ & ipse firmißimè subsistere, contra omnem insultum errorum & ventosæ hæreticæ vanitatis.

33. *Secundò, inanis est omnis hæresis ex parte religionis totius, in ordine ad salutem; hoc est in omni operatione salutis, quam promittit. Nihil enim efficax habere potest hæresis vlla, ad salutem in nobis operandam: quia omni potestate spirituali à Christo in Ecclesia reposita, est destituta. Nihil inquam habet vlla hæresis, vllaue hæretica congregatio, vnde saluare credentes suos poßit, per legitimam nimirũ Sacramentorum salutis administrationem. Prouenit ea inanitas, ex Mißionis legitimæ defectu; quò omnis perpetuò laborat Hæresis, eo ipso quo Hæresis est. Ideò enim hæreticus est omnis Minister, qui Catholicus non est, quia currit non missus, & ingerit se functionibus Ecclesiæ, nulla ad id legitima authoritate à Christo per Ecclesiam destinatus. Ideoque impoßibile est vt saluet suos, quantũuis salutẽ ijs pleno ore polliceatur: quia sine Christo & nõ missus, hoc est absq; cõmißione Christi, ideoq; absq; Christo facit, quidquid tanquam alienus ab Ecclesia Catholica facit.* 33. 2. Ex parte salutis quã inaniter promittit.

Dico autem hic, quidquid tanquam alienus ab Ecclesia facit, propter pauca quædam, quæ Ecclesia etiam in talibus acceptat, qualis est Baptismus Infantiũ, quẽ etiã ab Hæretico cõlatũ, (dumodo formâ legitimâ ac materiâ) ratum habet Ecclesia.

Tertio inanis est omnis hæresis, nostrorum maxime 3. Ex parte doctrinæ &c.

ximè Ministrorum, ex parte doctrinæ ipsius, seu Euangelismorum, quos inuexêre. Quidquid enim ferè maximè omnium ij promittunt verbis (quo folia & strepitus arundineti pertinent, de quibus paulò post, proprietate quinta) id maximè exinaniêre re ipsa. Id quod tamen hic insinuandum nobis potiùs est, quàm explicandum fusius.

Puta maximè iactat se Christū vt vnicū Saluatorē mūdi agnoscere, & pdicare: interī tn̄ nec plenè satisfecisse pro peccatis nostris, & ad rigorem iustitiæ, Patri æterno, expressè docet Caluinus 2. Instit. c. 17. §. 1. Sed ex gratuita solū Patris acceptatione, imò aliter, hoc est ex merito, ne potuisse quidem satisfacere; (qua ratione non dubium est potuisse Deum cuiusuis etiam vel hominis vel Angeli, qualem qualem oblationem pro salute mundi acceptasse; atq; ita quemuis Angelum æquè nobis saluatorem ac Christum ipsum constituere:) & omnes prætereà tam Lutherani, quàm Caluinistæ, constanter negant, vllam veram in hac vita remissionem, ablationemuè peccatorum fieri omninò posse: sed contegi ea duntaxat, meritorum Christi obumbratione, vt si sterquilinium precioso aliquo serico operiatur. Qua de re vide quæ Dominica 4 Aduent. notata sunt n. 31.

Ita bona ac Christiana opera se maximè & illustrasse doctrina sua prædicant, & promouisse: cū tn̄ uera ea, nec simpliciter necessaria ad salutem doceant, nec vtilia ad meritum, nec poßibilia vllo modò, vt sine peccati mortalis reatu admixto fiant. Quibus positis, quid inanius bonis operibus, quæ sic prædi-

prædicantur? Idemque iudicium est de alijs Articulis ipsorum prope vniuersis. Quæ consideret lector Catholicus ipse fusius. Nobis enim hic ad reliquas arundinis proprietates explicandas properandum est.

34. Tertia igitur Arundinis conditio est, quod licet reuera sit intus inanissima, ideoque etiam inconstantissima: non tamen ita despecta penitus, quin exterius speciem solidi alicuius bacilli, in genere suo præseferat. Externa enim sola in cannis (de quo arũdinum genere Dominus hic potissimum loquitur, vt pote calidioribus regionibus, qualis Iudæa, communi) si spectes; nullam differentiam à quouis solido bacillo inuenias. Ita Hæreticus in omni inanitate sua cuiuis tamen Catholico vel cõstantissimo, æqualem se animi sui firmitate (vel obstinatia potius) in externis exhibet, etiam aliquando mori se paratum, pro fide sua ostendens: quantumuis paulo post, (si qd suo fortè sensu sibi probabilius iudicarit, in scripturarum interpretatione, quàm hactenus habuerit) sententiam & ipse sit mutaturus, & cras damnaturus ea, pro quibus hodie mori se paratũ ostenderit. 34. 3. arundinis proprietas. species soliditatis.

Quarta. Ad hæc cum res verè inanissima sit Arundo; hinc inde tamen tota nodosa est, ac certis quasi orbiculis circulisue conclusa. Vnde illud efficitur, non vt solidius ventis resistat: sed vt ne recipere quidem iam quicquam solidum possit, si quid forte infundere velis, vnde resistat. Nodi enim impedient. Ita Hæresis semper alijs varijs peccatis, tãquam nodis quibusdam, implexa est & innodata: 4. Nodi arũdinis.

 quibus

quibus omnem solidum diuinæ gratiæ influxum excludat.

5. Folia & strepitus, *Quinta. Cum his omnibus tamen Arundo & folia habet spectabilia ac magna, quibus multis etiam alijs vel herbis, vel arbustis, præstet; & strepitum tãtum edit paßim, in omni etiam leui motu sui, vt syluas integras æquare videatur. Ita Hæresis & speciem præfert magnam pietatis semper, vt ipse etiam D Paulus de ea testatur:* 2. Tim. 3. 5 *& tantum strepitum, scripturarum ac verbi diuini iactatione, perpetuo edit, vt sola ea si spectes, iures, eos, mera Paradysi ligna atque arbores vitæ esse.*

6. Loca Palustria. *Sexta in palustribus denique ac humidis locis facillimè crescit atque adolescit arundo: ita paßim omnis Hæresis inter voluptatũ amatores magis quàm Dei, id quod & Petrus, paulusq; ac Iudas suis Epistolis pridem confirmarunt, & quotidiana experientia etiam hodie demonstrat.* 2. Pet. 2. C 2. Tim. 2. Iud. 8. C.

35. Arundinis Euangelicæ, varia tractatio, quo ad inanitatem, &c.

35. *Notet verò hic ad extremum Catholicus cõcionator, si in tam copiosa materia arundinis huius Euangelicæ, per sacrum istud tempus, quod nunc agit Ecclesia, etiam copiosius, aut sæpius pro conditione Auditorum suorum, de ea agendum sibi censeat: hac Dominica potißimum propriè tractandum videri, vt doceat: tum reuera inconstantißimam esse omnem hæresim (nostri maximè temporis) cũ constet integras etiam vel ciuitates vel Regiones in Germania, (ex quo cæpit Lutherus sua venditare,) iã bis terue & sæpiùs, mutasse statũ religionis suæ, dũ nũc ex catholicis Lutherani, nũc ex Lutheranis Caluinistæ,*

xinistæ, nũc iterũ Lutherani, iterũ Caluinistæ vel Anabaptistæ etiã facti fuere: Tũ propriã eius rei caussam esse, quod relicto Ecclesiæ iudicio, proprio quisque suo sensu, de rebus fidei iudicandum sibi censeat; vel certè simplices ac plebeij homines, suos Magistratus Politicos sequantur, (vt in Anglia) totum illud in Scripturarum interpretatione ratum habentes, quod illi probarint.

Est autem hæc materia propria Dominicæ huius quia eo maximè fine arundinis hic mentionem facit Dominus, vt doceat: neque probari Deo posse, huiuscemodi leuitatem; & Ioannem tanquam legitimum Dei, ac verum Prophetam, ab ea longissimè absfuisse, in doctrina sua. Dominica 2. Aduentus

*Simul verò tractatio, & de altero illo inanitatis genere insinuari hac Dominica potest, quam ex Missionis legitimæ defectu nasci diximus, eademq; inde præstari; siue hac ipsa Dominica, occasione illius, quod in fine Euangelij Dominus Ioannem extollens, eum legitimum inde prophetam probat, quod verè missus fuerit à Patre, tanquam *Angelus Dei: siue proxima sequente, occasiane ea, qua vel Ioannes ipse se in Euangelio illo vocem clamantis in deserto vocitat, (Qua de re vide Dom. 3. n. 36.) vel nos etiam in Euangelium illud, integrum discursum instituimus, infra de legitima Missione eiusdem Ioannis: siue vltima Aduentus in illa Euangelij* Factum est verbum Domini super Ioannem, *(vide n. 36. Dom. 4.) siue denique pro festo Diui Stephani, quando natus nobis paulò ãnte pro Festorum* Dñica 3. Dñica 4. Aduentus. *Luc* 3. Festo S. Stephani.

rum horum ratione, Rex & Saluator, ipse de se sic
Matt: 23. *Euangelium incipit,* Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & scribas, &c.

Sed & de tertio, quod insinuauimus genere eiusdem hæreticæ vanitatis (quod in ipsa Articulorum fidei exinanitione positum erat) simul iam nūc promitti potest disputatio, quæ inde in festis tractetur, maximè de vero ac plenissimo Saluatore nobis
Festo natiuitatis. *nato Christo, siue id ipso Natiuitatis inde die tractetur, in illud Angeli:* Natus est vobis Saluator:
Luc. 2.
Festo Circūcisionis. *siue in festo Circumcisionis, quando à salute nomen Puer accipit. Quando quidem docendum foret, huic promissioni inhærendo: Ministros istos quantumuis mirè crepent continuò Saluatoris Christi honorem, (prout arundo mirum strepitum edit, prope continuò, & pulchram speciem præsefert foliorum) tamen reuera omnem ei propriam ac plenam saluādi rationem abstulisse, Euangelismis suis, cum reuera nec quoad Deum Patrem, plenè cum & de rigore iustitiæ satisfecisse pro nobis, siue, quod idem est, vero ac proprio merito, nos redemisse sentiant; nec quoad nos, vllam veram peccatorum in hac vita, hoc est, quamdiu in Ecclesia ista militante degimus, abolitionem præstitisse concedant: sed reputatam seu putatiuam duntaxat, omni sorde peccati, quæ semel cōtracta fuerit, ꝑpetuo Ecclesiæ atque indelebiliter, secundum ipsos, adhærenti. Sed de his alias fusius.*

Secundus locus.

Quis

Quis proprius sit modus inueniendæ Euangelicæ veritatis, in summis nostri temporis errorum labyrinthis.

Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, &c Matth. 11.

36. *COnſidera ſtatum diſcipulorum Ioannis, totamq́; intentionem Miſsionis huius eorum ad Chriſtum; & facile videbis eos in primario iſto totius ſalutis fundamento: eſſetne Chriſtus verus Meſsias? hæſitaſſe; nec æquis ſatis oculis potuiſſe tolerare, ſuum Magiſtrum Ioannem, præ Chriſto deſeri atque ita quaſi deſpici. Quod ex Euangeliſta Ioanne colligimus. cap. 4. Inde enim etiam alibi ante hæc tempora, cum Phariſæis coniuncti, contra Chriſti diſcipulos diſputaſſe deprehenduntur, tanquam parum ieiunationi addictos; cum ipſi frequenter ieiunarent. Eo igitur fine mittuntur hic ad Chriſtum, vt quoniam ipſius Ioannis teſtimonio, minus ea in re forte acquieuerant; ſæpius licet iam Chriſto dato (maximèq́; Ioan. 1. & 4.) ex ipſomet Chriſto, ea occaſione pleniorem, de tanta re, informationem acciperent.* 26.

Diſcipuli Ioannis increduli Chriſto.

Mat. 9. B.

Iam inde ſi pergas conſiderare, quem Chriſtus ſeruet modum, vt iſtos in ſalutis viam, ac tātæ tāq́; neceſſariæ veritatis, cognitionem deducat: inuenies ipſiſsimum eſſe, quem hodieq́; obſeruat Eccleſia; ſed eundem differentiſsimum. ab omni Miniſtrorum ſeculi noſtri, vſu & doctrina. Etenim ad Miniſtros ſi veniat quiſpiam, quærens de quacūque quæſtione, in fide

Diſcipuli Ioānis quomodo fidē doceantur à Chriſto.

Aliter Miniſtri, aliter Chriſtus ad

Scripturas nos remittit.

in fide instrui, nullum certè alium referet modum inueniendæ veritatis, (si quidem constare sibi velint Ministri) quam vt ipsemet per se quantumuis plebeius seu laicus ad scripturas recurrat, easque legat ac perlegat, indeque iudicet de omni etiam Ecclesia, nedum de Doctore priuato quouis.

At nil simile hic Christus, cui certè vt nil facilius fuisset, tali quæstione proposita, quàm infinita Scripturarum testimonia, de suo in carnem aduentu, in medium adferre, atque istis vt relegerent diiudicarentq; committere: ita videtur nil æquè debuisse cordi hic fuiße, quam vt tali in quæstione, vnicum istud, Secundum Ministros, inquirendæ veritatis medium, etiam etiamq; commendaret. Sed nihil is facit minus. Imò etiam Scripturã dum citat pro se, ita tamen citat, vt iis ne dicat quidem se scripturis cum iis agere. Totam verò instructionem ad ordinarium eorum pastorem, atque ipsis à Deo datum Doctorem Ioannem, remittit. Euntes, *inquit,* renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis, *sic tamen vt sufficiẽtem ei occasionem præbet plenißimæ, quæ desiderabatur, informationis.*

Christus plebeios etiam cũ scripturis ad suos Doctores remittit.

Duo enim media eis exhibet, quorum vtrumuis, etiam per se solum sufficere potuisset, sed noluit valere ipsis, nisi legitimi ipsorum Pastoris accederet interpretatio. Nempe hic primo Scripturam de suo Aduentu expressam insinuat, nec tamen locum citat, quia non ipsorum erat scripturas sibimet, sine Magistro, interpretari, aut legere; sed à Doctore sibi dato eas intelligere. Ex Ioanne igitur eam erant, &

Quomodo hic scripturas citet Christus.

quo

quo ad textum accepturi, & quoad interpretationem. Est autem locus ille apud Isaiam talis. Ecce *inquit*, Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum,& aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut Ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum &c. *Nam hāc quidem Isaiæ prophetiam hic respicere Christum,nemo est qui,si ritè ista inter se contulerit, ambigere iure possit.* *Isaia 35.8*

Deinde verò etiam miracula varia in ipsa eorum præsentia facit, huic ipsi Prophetiæ respondentia. Sic enim habet de hoc ipso tempore Lucas: In ipsa hora multos curauit à languoribus, & plagis & spiritibus malis,& cæcis multis donauit visum, &c. *Multa verò etiam antea fecerat, quæ isti cum minùs illuc vsque audiuissent, (videntur enim ita parum ante hac affecti fuisse Christo Domino,vt potiùs eum, omneq́; eius cōsortium refugerint, quàm sectati fuerint) nunc demum à præsentibus Christo, variè intellexêre. Ergo* Euntes, *inquit*, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, &c. *sed quid inde tandem ad quæstionem propositam* Tu es qui věturus es? *Nimirum, quasi dicat, ex auditis & visis, si fideliter renunciaueritis Ioanni, & verba præsertim isthæc mea, certißimam plenißimamq́; totiùs dubij istius vestri inuenietis resolutionem.* *Luc. 7.C*

Porrò nullum dubium est, quin tali responso accepto, Ioannes illos copiosè instruxerit. Ecce inquiēs vobis Scripturæ ac Prophetarum testimonium

expressum

expressum de ipso, ecce vaticinium in oculis vestris impletum, ecce verò etiam miracula ipsa, diuina penitus, & certissimam virtutem cœlestem contestātia, quibus omnibus vnum illud cōfirmat Dominus, verè se venisse à Patre Saluatorem mundi. Ecce igitur nullam vobis causam ampliùs hæsitandi, quin verè ipse sit, qui venturus expectabatur hactenus, Agnus Dei qui tollit peccata mundi.

37. 37. *Denique tali suo responso Christus, primò reprobat Ministrorum præsumptionem, qua & ipsi per se summa temeritate, in scripturas Sacras, absq; interprete Ecclesia irruunt, & omnes suos eadem* *Eph. 4. B.* *audacia, illotis quasi manibus irruere docent. Deinde verò ostendit, ordinem semel à se positum in Ecclesia, vt per Pastores & Doctores legitimos ritè instruātur fideles sui ex scripturis, nullo se modò velle perfringere: ne quidem si ipsemet in persona propria interpelletur, prout hic ab istis interpellatus fuit.*

Non satis est Christum ipsum interpellare pro lumine fidei Ecclesia contēpta.

Ne ergo semetipsum quisquam decipiat, existimans se in scripturarum lectione sua, satis iam munitum esse, contra omnem circumuētionem erroris, quod priuatis suis orationibus sæpius se Christo Domino commendet, atque ab eo illuminationem mentis suæ deposcat. Non aliter enim etiam tales preces ipse exaudiet, quàm remittendo ad Ecclesiam, columnam, & firmamentū veritatis, vt ab ea eiusq; Doctoribus certam interpretationem fidei quisque requirat.

Id quod tam certum esse Christo, ac perpetuum videmus,

videmus, vt postmodum etiam, cum iam cœlos ascẽdisset, & maximo miraculo, propter vnum Saulum conuertẽdum ad horam rursum se ostendisset in terra: tamen ne sic quidem aliud, ei tandem parato iã ad omnia, cõmittere voluerit, quàm Surge ingredere in ciuitatem *(ad Ananiam)* & dicetur tibi quid te oporteat facere. *Dices quid ergo? Dicimusné Christum hic prohibere vulgo scripturarum lectionem? Respondeo, non id dicimus, sed Christum noluisse ita temere vulgus in scripturas Sacras imittere, vt Ministri faciunt; simulq́; docere voluisse, quomodo ritè legendæ sint Scripturæ, vt sensum earum legitimũ simplex quiuis assequatur.* Act. 9. A

Ad extremum docet hic Christus etiam miraculorum patrationem suum habere pondus summum, ad fidem Catholicam adstruendam, æquè atq; ipsæ Scripturæ Sacræ habent, vt, in quibus æquè operetur Deus ad veritatem suam confirmandam, atque per Scripturas loquitur. Tantum vt sicut Scripturarum interpretatio ab Ecclesiæ Doctoribus quærenda est; ne per ipsam earum lectionem in errores abripiamur: ita etiam miraculorum discretio ab ijsdem petatur; ne fortè mendacia sint signa & vana, & ita per ea in tentationis laqueum abducamur. Est autem hic campus latissimus de miraculorum testimonio in Ecclesia Catholica. Eo em̃ nullo vnquam seculo penitus caruit Ecclesia, & si vnquam alias, hoc tempore maximè claret. Contra Ministri nostri dicti Euangelici, penitus omnium sunt, fuêreq́; semper expertes.

Miracula fidem confirmant,

Sed per Ecclesiam examinata.

Tertius locus.

Fides integra sit necesse est si valere debeat; similiter & communio cum Ecclesia Catholica necessaria est ad salutem.

Mittens duos ex discipulis suis (*Ioannes ad Christum*) ait illi, Tu es qui venturus es? Matth. 11.

38. Discipuli Ioannis ad communionē Ecclesię Christi diriguntur.

38. D*Vbium non est, propterea missos hos à Ioanne ad Christum; vt & agnoscere Christū discerēt, atque acceptare pro vnico ac verò Saluatore suo, & eiusdem se Ecclesiæ ac cōmunioni sociare, Ipse enim alioqui Ioānes, tali quæstione minimè egebat, vt qui constantissimè iam ante professus fuerat, Christum verè esse Saluatorem illum mundi, eundemq́; toti iam mundo manifestarat; adeòq́; eo fine solo, non alio, à Deo in mundum missus venerat; vt inquam suo testimonio hanc ipsam quæstionem.* (*Ioan. 1. 7.*) Tu es qui venturus es? *etiam mundo toti resolueret, ac declararet.*

Ioannes nō eguit ista legatione.

Absit verò vt arundinis ad instar, mutasse eū vnquam tam graui in negotio, & totius salutis fundamento credamus. Non ipse igitur pro se egebat legatione tali. Multò minus vel Christus ipse, vel qui cum eo hic aderant, quiq́; (vt ex verbis Domini consequentibus colligere est) magna ex parte olim à Ioanne in deserto (quo ad eum excurrerant) iam audierant testimoniū istud de Chri-

de Christo. Ideò enim etiam tam diligenter apud eos tuetur existimationem Ioannis, Christiq́; præsertim ex parte constantiæ, ac veritatis doctrinæ. Quid existis, *inquiens,* videre? Arūdinem &c. sed quid? Prophetā?&c. *Scilicet ne ipsū vel olim falsa: de se in resolutione quæstionis huius, aut dubia prædicasse existimarent; vel modo ambigere cœpisse crederent. Igitur tota causa Legationis huius non alia Ioanni quā discipulorum salus fuit. Quos propterea sibi longiùs noluit adhærescere: sed Christo coniungi, vt salutis per Christum partæ participes fierent.*

Boni alioqui iam & antea isti fuisse viri videntur. Satis id inde primùm apparet, quod Sanctissimum virum Baptistam, sibi Magistrum elegerant, eidemq́; constantissimè illucusq;, etiam vsq; ad vincula ipsius adhæserant. Quid verò aliud ab eo didicissent, quàm omne pœnitentiæ ac sanctimoniæ genus? Deinde verò etiam indè itidem constat, quod ipsa Euangelia sacra testimonium ijs præbeant expressum, multum religionis causa & ieiunare solitos & orare, longè etiam præ ipsis Apostolis ac discipulis Christi. Discipuli Ioannis viri boni, in operibus bonis.

Nimirum ex disciplina sanctissimi Magistri continuò ieiunantis, atque orantis tota vita sua, non poterant non & ipsi similia didicisse. Itaque de ieiunijs suis frequentibus ipsi loquuntur apud Matthæum: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? *De ieiunijs verò simul & orationibus apud Lucam* Multum ieiunantes. *Mat. 9. 14* *Luc. 5. 33.*

Pharisæi & Scribæ: Quare Discipuli Ioannis
Multū orantes. ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt? *Denique de orationibus seorsim ipsimet Christi Discipuli apud eundem Lucam:*
Luc. 11. 1. Domine, *inquientes*, doce nos orare, sicut & Ioannes discipulos suos.

Attamen omnia ista nihil eis profutura iudicauit Ioannes, nisi Articulum istum de Meßiæ aduentu iam satis manifestatum ac confirmatum, explicitè etiam ipsi agnoscerent, sicq́; nouæ Ecclesiæ Christi reipsa etiam ipsi aggregarentur. Neq; veritus fuit optimus Magister, ne parum sibi honorificū videretur, à proprÿs suis discipulis paulatim omnibus deseri, dum Christo adhærescerent: quia iam
Ioan. 3. D *ante ea de re expresse ÿs testatus fuerat:* Ipsi vos, *inquiens*, mihi testimonium perhibetis, quod dixerim; nō sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum &c. Hoc gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.

39. Non satis est generalia fidei capita credere.

39. *Iam ex his omnibus propria consequitur occasio, illos instruendi, qui hoc seculo in tanta opinionum & hæreseon varietate, ac perplexitate; putant sibi satis esse, se quouis modo in Christum Saluatorem ac Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum credere, conariq́; de reliquo vtcumq; obseruare Dei mandata. Nihil porrò opus esse ampliùs vt solicitè inquirant, vbi plenè vera sit fides, vbi vera Ecclesia, ac discipulorum Christi communio.*

nio. Quæ quidem in opinione infinitos eſt reperire inter ſimplices, qui in locis hæreticis morantur, exiſtimãtes de reliquo quemuis in quauis etiam hæreticorum communione, ſaluari poſſe. At magnus is error eſt, hac ipſa & Ioannis tam pia erga diſcipulorum ſuorum ſalutem ſolicitudine damnatus; & Chriſti ipſius ſtudio tam diligenti, in tot miraculorum patratione, in gratiam eorundum ipſis aſpectantibus miniſtrata, inque tam efficaci prophetarum vaticinio, ad eundem finem inſinuato, profligatus.

Doceantur igitur tales 1. *quoad fidem, fruſtra ſibi quemq; blandiri in generaliſſimis quibuſdam Chriſtianæ religionis articulis, dum ad particularia etiam non deſcendit, quæ iam per Eccleſiam, vt clara ſatiſq; diſputata, definita ſunt. Quales tot ſunt articuli hoc tempore nobis cum Miniſtris controuerſi. Nempe licitum eſt cuiuis, etiam pro Chriſtiano & Catholico, in omni religionis quæſtione, ambigere ſuſpenſumq; tenere iudicium ſuum, quamdiu de Eccleſiæ certa definitione non conſtat: at vbi id conſtiterit; iam neceſſe eſt, vt & ipſe determinatam iam partem explicitè amplectatur. Vide ea de re plura Dom. infra octauam Natiuitatis n.* 5. & 6. & 34. In controuerſiis fidei explicite credenda q̃ iã definita.

2. *Doceantur verò ſimul eodẽ ex fonte, quoad Eccleſiæ communionem, ne hoc quidem ſatis eſſe ad ſalutem, ſi iſta in genere plenè quis credat omnia, quæ creditu ſint neceſſaria: ſed præterea neceſſe eſſe, vt ipſe etiam veteri diſcipulorum Chriſti, ſeu Eccleſiæ* Abſque Eccleſiæ vnione, fides etiã integra parũ ꝓdeſt.

clesiæ sanctæ Catholicæ communioni socientur. Id enim nisi præstet quiuis, quantumuis fidei temeratæ reus non sit futurus: Schismatis tamen arguetur, & nihilominus sic quoque extorris omnium sanctorum, & gratiæ Christi constituetur. Neque plus tali profuerit eo in casu omnis pia operatio, quàm discipulis Ioannis omnis illa in disciplina tam sancti Magistri perseuerantia, omneq; tam pium vel ieiunandi vel obsecrandi studium profuisset, sine Christi communione. Quo quidem etiam illud Pauli pertinet. Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. Cor. 13. 3

Ambitio Ministrorũ, Humilitas Ioannis.

3. *Denique eâdem operâ, etiam Hæreticorum Ministrorum ambitio cum humilitate hîc Ioannis comparari posset. Illi enim imani arrogantia, vt sibi discipulorum comparent aliquem augeantq; numerum, nihil pensi habent omnem & Ecclesiasticam vnionem, & politicam pacem propterea perturbare, ac discindere. Patet id experientia. At contra pius Ioannes, vt ne quisquam periret suorum, etiam paucissimos, qui ei incarcerato iam superer ant discipulos, libenter dimisit, atque ad vnionem cum Christi Ecclesia, etiam artibus quasi quibusdam, & dolo sancto direxit. Ideò enim istos (qui alioqui ad Christum nunquam ituri fuisse videntur) suo quasi nomine misit, suoq; itidem nomine quæstionẽ ei proponere iussit, (qua tamen ipse minimè omniũ egebat,) vt vel sic eum adigerentur adire; cum pro*

Magi-

Magistri reuerentia declinare iam legationem talem non possent.

Quartus locus.

Ex fructibus operum, cognoscendi prophetæ & æstimandi; non ex verborum ampullis.

Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis.

40. D*ominus noster publicè, & in præsentia plurimorum interrogatus, num ipse verus esset mūdi Saluator, qui venturus tum expectabatur; cum iure optimo potuisset, nō solum asserere, se eum esse, (verè enim is erat) sed amplissimis etiam verbis id exornare, & amplificare: nihil tamen aliud respondit, quàm:* Euntes renunciate quæ audistis & vidistis. Cæci vident, &c. *quasi diceret: dicite Ioanni, me ea de re verba multa nolle facere, opera spectentur, quæ facio; & quæ de ijs olim Isaias fuit vaticinatus, & facilis erit resolutio quæstionis. Ita non semel alias ad opera sua consideranda, hæsitantes eadem de re remittit Iudæos. Ita enim apud Ioannem cum quærerent Iudæi:* Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: opera quæ ego facio, in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. *Et iterum*: Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere, si autem facio, & si mihi non vultis credere operibus credite. *Et iterum*: Opera quæ dedit mihi

40. Christus vult opera etiam sua considerari, non verba sola.

Isai. 31. B

Ioan. 10.

Ibid. G.

Ioan. 5. G

mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio testimoniũ perhibent de me, quia pater misit me.

Vult igitur dominus illud docere exemplo suo, in ijs, quæ ad religionem pertinent, non tam ad magnifica promissa, iactationesq́;, & ampullas verborum attendendum eorum, qui, vt Paulus loquitur,

Rom. 16. C 17. per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium; *quàm ad rem ipsam, & opera, quæ secum inducunt, siue quod idem est, quodq́; alibi etiam expreßius docuit Dominus: Prophetas vt arbores, non tam à folijs æstimandos, vel*

Mat. 7. C *floribus; quàm* à fructibus *ipsis quos ferunt. Vt enim arbor bona, malos fructus nequit facere, cõtraq́; mala, fructus bonos: sic neque falsos Prophetas, verò, ac bonos Spiritus fructus ferre posse, aut contra, legitimos Prophetas, fructus malos prophetiâ suâ.* Igitur *inquit,* ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Hæretici sua magnifice prædicant.

Est hoc proprium omnis hæresis, vt hæresiarchæ primi, & seipsos ipsi immensum extollant, & prædicent, transfigurantes se ex pseudoapostolis in veros Apostolos Christi; & omnia sua similiter, ipsißimum Christi Euangelium se solos adferre iactantes. At opera interim fallunt. Discat igitur etiam hoc seculo fidelis populus non tam aspicere, quid de se suisq́; inuentis noui nostri, si dijs placet, Euangelistæ, Prophetæ, Apostoli & Euangelici ipsi prædicent, promittantq́;: Sed quæ tandem miracula in nomine sui Euangelij vnquam fecerint, faciantuè

Hæretici ex fructibus operum cognoscendi.

antuè etiam num, quidq; tantis suis promissis boni inuexerint in mundum. Quanto scilicet suos credentes magis humiles, castos, obedientes, pauperes (saltem Spiritu) mortificatos mundo, paci atque vnioni Ecclesiæ & omni denique deuotioni, iustitiæq; deditos, studentesq; reddiderint: quàm olim fuerint sub papatu, vt loquuntur, siue sub Ecclesiæ Catholicæ institutione & obedientia, & inde Spiritum eorum agnoscat. Regnum *enim* Dei nõ est in sermõe, *vt D. Paulus affirmat*, sed in virtute. *Qui idem propterea de seipso loquens*: Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus, in obediẽtiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, &c. 1. Cor. 4. D. 20. Rom. 15. D. 18.

Quintus locus.

Summa in reuerentia, singula etiam verba Scripturæ Sacræ habenda.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus, Matth. 11.

41. B. *Lucas hanc quæstionem ita describit:* Misit (*Ioannes duos de discipulis suis*) ad Iesum dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioan. Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus. *Insinuat autem, hac tam diligenti iteratione* 41. Luc. 7. C Verba Scripturæ etiam singula reuerenter habenda.

ratione verborum quæstionis huius Euangelistæ, discipulos istos diligentissimè Legationis suæ executos mandatum, adeóq; ne verbulum quidem vnum inde mutasse, sed scrupulosè proposuisse eadem ipsa Christo, quæ à magistro suo acceperant verba. Occasio hinc captanda est, expẽdendi quantò maiore in veneratione habenda sint ipsius Christi supremi omnium Magistri, verba, & consequenter etiam singulæ Scripturæ sacræ dictiones. Quarum quidem tantam se habere rationem alicubi, Christus ipse testatus fuit, vt citius cœli terraq; sint transituri quam minima omnium literarum, iota scilicet vllum, quin quam apiculus etiam vllus, ex ijs incompletus, periturus. Id quod idem etiam alibi de singulis suis à se prolatis verbis, apud omnes propè Euãgelistas iterauit, vt superiori Dominica (n. 49.) vidimus. Luc. 21. &c.

Mat. 5. 19

Ecclesia merito nullam in Bibliis suis admittit innouationem.

Hinc verò etiam illud consequenter deducendum est, quàm meritò Ecclesia Catholica, & totum scripturarum corpus, prout illud à maioribus suis accepit integrum omni studio poßibili conseruet; & illud in primis caueat, ne nouis interpretationibus, translationibusuè vllis, quicquam antiquæ ac vulgatæ suæ, lectioni, in latinis derogetur. Cum contra hæretici nihil pensi habeant, quotidiè sibi noua formare vulgaria Biblia; & quidem singulæ sectarum sibi propria, multifariam antiqua corrumpendo, nec singula solum verba, sententiasuè etiam integras alicubi vel detrahendo, vel addendo, vel immutando, sed tota etiam capita, quin libros etiam

plures,

plures, inter apocrypha reijciendo. Summa sanè audacia, ac temeritate, tantùm sibi in diuinis sumentes, summa impietate, extrema impudentia.

Sextus locus.

Verum Euangelium Christi pauperibus maximè cõgruit potentioribus minus: Euangelismi Ministrorum è contra.

Pauperes Euangelizantur, Matth. 11.

42. AD *illa Isaiæ hic videtur alludere Christus, prout eadem etiam apud Lucam, & citat ipse, & de se ipso interpretatur:* Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus, &c. *Habet verò ea res dignissimam considerationem, quam id in religionis Catholicæ propagatione communiter verum fuerit, quamq; contrarium eius in Ministrorum nostrorum Euangelismis dilatandis sit hoc seculo intueri; & vnde istud. Prædicabat Euãgelium suum Christus efficacissimè; idq; & verbis & miraculis confirmabat, & sequebatur eum multitudo semper magna; sed tamen ex principibus, rarissimus quisq;. Vnde quidam aliquando:* Numquid, *inquiunt,* ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

42. Isai. 61. A Pauperes aptissimi vero Euangelio. Luc 4.18

Pauperes primi accepârũt Euãgeliũ Christi.

Ioan. 7. C

Ita tempore Apostolorũ

Ita postmodum Apostoli, diligentissimè idem pronto-

1. Cor. 1. *promouebant, idq́ fructu conuersionis maximo, & tamen de eo loquens Paulus:* Videte, *inquit,* vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, &c. *Ita post Apostolos, ad tempora vsque Constantini Magni, totis prope trecentis annis, successores Apostolorum acerrimè itidem, & ad sanguinis vsque profusionem perurgebant, maximo Ecclesiæ ac fidelium Christi incremento. Sero tamen admodum Imperatores ipsos, eosq́ qui summa tum rerum potiebantur, potuêre ad Christum adducere. Idem nostro hoc seculo experti sunt patres Societatis IESV, qui primi in Insulas Iaponicas, plenas Regulis ac dynastis varijs Euangelium inuexêre. Totis enim ferè triginta annis primis, nullum paulò coram mundo illustriorem hominem, ibi lucrari Christo potuêre. Ab hospitalibus igitur pauperum domibus, mendicisq́ ac tenuioris fortunæ hominibus quibusuis, conuersionem Insulæ cæpere: adeò vt iam etiam communi opinione Insulanorum, religio Christiana non nisi pauperum & mendicorum religio haberetur. Serius tandem, benedictio Dei ista, etiam in Reges & primates sese diffudit. Ita verum semper factum fuit, quod dicit hic de verò suo Euangelio Christus.* Pauperes Euangelizantur.

In seculis sequētibus.

Ita seculo nostro in Iapone.

At verò longè alium videntur cursum tenuisse Euangelismi hoc tempore Ministrorum nostrorū. Fere enim pestis ea, in ipso principio sui, non nisi capita regionum peruasit, nobiles inquam, dynastas, princi-

Euāgelismi Ministrorū aprissimi potentioribus.

principes & inter incolas ciuitatum, ditißimum quemq; primũ. Vltimi fere fuêre pauperrimi quiq; mendici, operarij, coloni, prout hodieq; eius rei clarißimum exemplum videre est in nostra Polonia, in ipsa Polonica gente. Eam enim sicubi hæresis inuasit, non ferè nisi in nobilibus quibusdam, inuasit. Pauperes interim eorum subditi, communiter Catholicißimi perseuerant; ita vt inuenire alicubi sit pagos, oppidaué nobiliũ, qui cũ à 20. trigintaué & pluribus annis, grauißimum iugum Euangelicorũ suorum dominorum sustinuêre: nec sic tamen nisi fortè paucißimi ex ijs, & vix vigeßimus quisq;, Euangelismos eorum susceperint.

Pauperes vltimi Ministros acceptãnt.

Quæ igitur causa tantæ diuersitatis? An quia Euangelium verum non nisi humiles Spiritu admittit, & non patitur illicitas carnis voluptates; Ieiunia, vitæ castimoniam, omnimodam continentiam, omnis generis morticafitionem requirit: Pauperes verò ordinarie ad omnia talia sunt facillimi, non alta sapiunt, ideoq; facillime intellectum suum in humile fidei obsequium inclinant; non magnas habent occasiones, & illecebras voluptatum variarum, ideoq; facillime sibi ab illicitis temperant; assueti sunt ad omnem tenuitatem, ideoq; facillime etiam asperiora quæq; tolerant? Contra diuites ac potentes quiuis in omnibus hisce, contrariam penitus habent dispositionem? Ideoq; vt illi ad verum Euangelium suscipiendum aptißimi, ita hi contra longè ineptiores?

Verũ Euangeliũ, pauperes Spiritu requirit, & facit.

An ex aduerso quia noui Euangelismi Ministrorum

Euãgelismi Ministrorũ instant. &c.

strorum ferè contrarium spirant omnino Spiritum ei, quem diximus; cuius permittunt liberum, vt se solum sapere in scripturis legendis autumet, omnē præ se antiquitatem Catholicam contemnēs; cuius omnem aperiunt licentiam, in Ieiunijs ab Ecclesia indictis, liberrimè transgrediendis, in votis, etiam castitatis, emissis libere violandis; in omnibus maiorum præceptis, libere contemnendis, in fundis etiam Ecclesiarum, bonisq́ prope omnibus, libere occupandis, diripiendisq́, in similibus denique alijs, ad omnem cupiditatem propriam sectandam, occasionibus præstandis? An, inquam, propterea ergo, & pauperes longè ineptiores sunt; ideoq́ vltimi ad tales conciones acceptandas, contraq́ potentes ac diuites, suapte alioqui naturâ ad similem licentiam proni? Principes certe suos ac proceres, subito in ipso Euangelismorū suorū principio, ita & inescarunt Ministri, (Bonorum maximè Ecclesiasticorum obiectu,) & sibi obligarunt, innexuêruntq́, vt difficillimum omninò reditum, ad verum atq́ antiquum Euangelium Catholicum recognoscendum, ijs fecerint. Nec alia causa eius; quam ipsa ista, quam hic exprimit Dominus: Pauperes Euangelizantur. *Et verū ita fit illud Domini, in talibus:* Quā difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt? Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Luc. 18. E

Vera indoles veri Euā gelij, omni-

Denique proprium huius loci est, considerare naturalem indolem Euangelij veri Christi, seu do-

ctrinæ

ctrina Catholicæ; eamq́ comparare cum indole Euangelismorum nostri temporis. Facillime enim inuenietur, doctrinam Catholicam pauperibus esse aptißimam, potentibus minimè; nisi quatenus & ipsi paupertatem Spiritus, (in mundi, diuitiarum, atque omnis arrogantiæ contemptu,) animo induunt: contra Euangelismi Ministrorum, diuitibus seculi & potentibus aptißimi, pauperibus minime; nisi quatenus & ipsi, altos quosdam ac diuites Spiritus fumosq́ animo concipiant. no contraria est Euãgelismis Ministrorum.

Septimus, *8. 9.* &c. loci.

Peregrinationes ac veneratio Sanctorum.

Quid existis in desertum videre? Matth. 11.

44. *STapletonius in suo Catholico, circa hac verba obseruat, istos reuera deuotionis causa exiuisse in desertum, vt hominem Dei Sanctum Ioannem visitarent, audirent, venerarentur. Eaq́ occasione hic locum annotat de peregrinatione ad loca Sãctorum, vel etiam de reuerentia exhibenda sanctis, in hac vita seu Eremitis, seu anachoretis, seu alijs religiosis: cum hæretici nostri temporis totum hoc genus deuotionis pro superstitione ducant. Vide apud illum.* 44. Peregrinationes ad Eremitas.

Certe quod ad venerationem Sanctorum attinet, Christus ipse Ioanni etiam mortali adhuc, & misere incarcerato; tã altos honorum titulos hic tri- Veneratio Sanctorũ.

buit,

buit, vt vix poßit quid fieri maius, dum eum Pro-phetam, plusquam prophetam, Angelum Dei, h-minem, quo nemo maior inter natos mulierum su-rexerit, Eliam &c. (quæ omnia partim ex ipso E-uangelio hoc, partim ex immediate consequentib-demonstrantur) nominat. Quantò verò maiora S-ctis tribuenda, æternum iam regnantibus cũ Chr-sto? At verò Ministri nostri nil prope tale ferre p-sunt. Omnia suspecta & ipsi habent, & suis fa-unt, quæcunq; fere paulo honorificentiora Sanc-tribuuntur, quasi ipsi iniuria Christo.

Desertum Ioannis.

Idem Stapletonius obseruat & alios locos a-os de corruptelis hæreticorum, dum hic ex dese-Ioannis, loca habitata & cōmunia; ex vestitu i-

Vestis Ioannis.

horridißimo, consuetum quoduis vestimenti gen-faciunt, contra expressas & Scripturas sacras omnium patrum antiquorum interpretationes. de & de his. Sed & nos iam fusè satis de iisdem superioribus disputauimus.

Scandalũ simpliciũ in Christo & eius Ecclesiæ C

Beatus qui non fuerit scandalizatus in m
Matthæi 11.

Scandalum in Christo.

N*Otat in his, idem Stapletonius, locum de scā-lis hæreticorum, contra doctrinā Christi. Sed e-tractat in promp. Morali, tex. 6.*

Tu verò obserua, non illud solum, quod Ch-stus hic in genere dicat: Beatus qui non fue-scandalizatus in me, *(vnde satis colligitur se*

per fore, qui varie in Christo ruant scãdalizẽturvé, prout alibi dicitur idem Christus, Positus multis, etiam in ruinam in Israël: *Itemq;* in lapidem offensionis, & petram scandali: *) sed & idipsum dici, occasione horum ipsorum discipulorum Ioannis, qui illuc vsque scandalizati in Christo fuerant, nec pro Messia suo adhuc eum agnouerant.* Luc. 2. 34. Rom. 9. 33

Hac vero ex duplici occasione dupliciter hic tractari locus is de scandalo in Christo potest. 1. in genere quàm variè ex Christo, & eius doctrina sibi scandalū sumāt homines, & hodie hæretici præsertim. 2. in specie, inuestigando propriè causam scādali istorum, de quibus hic. Habuere enim ij certe iustissimas credendi in Christum causas, Cernentes nimirum ipsius miracula, Scripturas, populi cōcursum, proprij etiam sui Magistri Ioannis, clarissimū testimonium: tamen nondum credidere. Credibile est id, partim ex nimio amore Praceptoris factum; ex quo, cum ægrius acciperent ipsum deseri, contraq; Christum ab omnibus passim acceptari; ne crediderint quidem ipsi, de Christi persona tāquam digniore, ac verò Messia testanti, sed id totum ex humilitate nimia profectum existimarint; partim ex humili nimium ac despicabili Christi aspectu, vt qui neque in vita sua, vllam præ communi consuetudine hominum singularem atq; apparentem sanctitatem ostentaret, qualem in Ioanne suo videbant, angelicam potiùs quàm humanam; neque vlla generis claritate conspicuus haberetur, sed Galilaeus, Nazarenus, Fabri filius communiter diceretur,

Scandalum discipulorū Ioannis in Christo.

cum Ioannis constaret ex genere primario Sacerdotum nobilitas; & de cætero pauperem, humillimā, contēptibilē, omnibusq; ppterea Principibus & Sacerdotū, & populi, & Scribarum, ac Pharisæorum exosam vitam ageret.

Scandalum simplicium in Religione Catholica.

Idem nimirum hodieq; vsu venit plurimis eorum, quos seduxere Ministri Euāgelismis suis. Qui cum facile videant in Ecclesia Catholica, talia fidei argumenta, quibus meritò omnis humana ratio plenißimè assentiatur. attamen propter vel nimiam erga Magistros suos Lutherum, Caluinum, si miles alios affectionem, vel externa quæuis in Ecclesia scandala, (seu morum in Ecclesiasticis nonnullis, seu persequutionum ab Hæreticis, seu contemptus inter suos) similiaq; alia ad speciem despecta, totum salutis suæ fundamentum, (quod est, Christo in vnitate Ecclesiæ eius firmiter adhærescere) deserunt negliguntq;.

Mißio legitima Prophetis necessaria.

Ecce ego mitto Angelum meum. &c Mat. 11.

Magnus Propheta Ioannes, & plusquam Propheta, quin Angelus Dei, præparans viam Domini. Sed ea omnia in vna legitima Mißione fundantur. Absq; ea inanes fierent omnes tituli isti. Mißio igitur legitima adsit necesse est, vt pro vero Dei Ministro quis agnoscatur & recipiatur. Itaque ea etiam occasione locus de Mißione Ministrorum tractari potest.

Non nisi binos mittūt Ioānes, Christus, Religio. &c.

Mittent

Mittēs duos ex discipulis suis ait illi. Mat. 11. Binos mittit Ioannes: binos Christus.

Non nisi binos simul mittit ad Christum Ioannes, vt & testimonium eorum de quæstionis proposita resolutione verius constantiusq; probaretur, & vitæ religiosæ societas ita comendaretur. Ita Christus nonnisi binos ac binos discipulorum suorum misit aliquando ante faciem suam; non nisi binos qui Pascha sibi pararent: frustraq; rident Ministri dum hodieq; religiosi, communiter nonnisi bini emittuntur in publicum. Melius est enim, *scriptura teste*, duos esse simul quàm vnum. Habent enim emolumentum Societatis suæ &c. Væ soli, quia cũ ceciderit, nõ habet subleuātē se.

Luc. 10. 1 Mat. 21. Marc. 14. Eccle: 4. 9

Tractari igitur hac occasione si libeat, etiam iste locus hic poterit.

DOMINICA
Tertia Aduentus.

DISCVRSVS VNICVS in Euangelium Ioan. 1.

IN illo tempore, Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioãnem, vt interrogarent eum: Tu quis es? & confessus est, & non negauit: & confessus est quia non sum ego, Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo; Helias es tu? Et dixit: non sum. Propheta es tu? Et respondit: nõ. Di-

xerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus iis qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis: Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluã eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes Baptizans.

Demonstratur Ministros etiam vbi simillimi haberi volunt Ioanni Baptistæ in Ministerio ac vocatione sua, reuera esse dissimillimos, imo contrarios totos.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

1 DE proprio Ioannis officio, ac legitima ad id eius vocatione hic agendum, contrarijsque omninò studijs Ministrorum, absque omni rata ad ea Missione.

2 Volunt haberi Ioanni simillimi Ministri, & in prima Lutheri sui, ab Ecclesia defectione; & in tanta, quam secum traxit, populorum secessione; & in omni quam induxit, rituum antiquorum ac fidei innouatio-

uatione; nec non & consequenti inde Pastorum Ecclesiæ contradictione.

At Ioannes, neque in religione quicquam mutauit, antiqua; (vt de quo nec Pharisæi quærantur vspiam, nec scriptura meminerit,) neque secessionem vllam à templi cæremonijs fecit; (vti ne Christus quidem; dum vixit,) & discipuli Ioannis coniunctissimi erant Pharisæis, neque vllos in præputio, ad Baptisma suum admisit; cum ne Christus quidem id fecerit, nisi longè post Ascensionem, per Apostolum Petrum. Ideoque non expostulandi gratia, ob huiuscemodi excessus ista Euangelij legatio ad Ioannem destinata fuit; sed honoris, cum Messiam ipsum esse suspicarentur. 3. 29. 4. 5. 30. 6. 7.

Tota verò Ioannis functio in eo fuit, vt per pœnitentiæ innouationem, homines Christo præpararet (ideò enim vox est, præparandam viam Domini clamans) ipsúmque iam ita præparatis, coram, demonstraret. 8.

Vocatio porrò ad id eius fuit mundo notissima; vt quam ne inimici quidem palam negare auderent. Nam cum duplex sit vocationis diuinæ ratio: ordinaria vna, alia extra ordinem, vtraque vocatione, Ioannes missus fuit; & in vtroque genere, missio eius omnibus fuit manifestissima, cum conspicuum esset omnibus, & Sacerdotali esse genere prognatum, & maximis miraculis à Deo, Natiuitatem eius exornatam. 9. 10.

Contra verò Ministrorum, summa in his omnibus est à Ioanne dissimilitudo? Nam & studium eorũ totum in eo est, vt quam inuenêre ipsi Ecclesiam, funditus, quasi euertant, ac suo modo reforment, totalem ab ea, mundo separationem persuadentes; (Id quod satis inde patet; quod partim Antichristianismi insimulent Ecclesiam, quam reformaturos se promittunt, partim ipsum etiam eius sacerdotium, totum in nouam formam Ministerij sui transmutarint,) & ad hos 11. 12. 13. 14.

15. 31. hos tantos conatus, diuina missio eorum prorsus nulla est, summe alioqui ad tantum opus necessaria.

16. Non ordinaria illa. Neque enim hic ordinationem Catholicam in primis suis Patriarchis possũt obtendere, cum eam ipsimet, & nimis enormiter excesserint, & ex suis cætibus eiecerint, & hodieque rideant, imò Antichristo in Catholicis, & Sathanæ, ad-
17. scribant: Neque suorum iam ordinariam à suis illis Patriarchis, successionem iactare. Quia illegitimi Archiministri non possunt habere legitimos Ministerij successores, vt nec spurij Aaronici sanguinis, vnquã successores legitimos Aaroni poterãt procreare.

18. Nõ extra ordinaria, quia eius testimonia habent nulla, & cùm maximè sint pugnantes inter se, omnes Archiministri: eandem tamen Dei vocationem om-
19. 31. 32. 33 nes prætendunt. Nec satis est eos scripturas hic iactare. Nam Ioãnes etiam nominatim de se illas habebat, & tamen præter eas, & diuinitus, & humanitus, testata eius missio fieri debuit. Id quòd etiam illos, qui Antichristi tempore venturi sunt, Dei testes, habituros scripturæ testantur, cum Ministri omni prorsus testimonio diuinæ vocationis sint destituti.

20. Meritò igitur fugiat qui Euangelicus est, tales
21. Ministros suos, vt pote & extreme mẽdaces, & extreme in Deum iniurios, & perniciosissimos animarum
22. 34. proditores, ac verè lupos animarum rapaces. Redeat verò ad Ecclesiam Catholicam, in qua cum semper ordinaria missione vocati sint pastores; tum omnibus seculis etiam, extra ordinem missi, peculiares pœnitentiæ reperiuntur prædicatores.

23. Sed & Ministri ipsi, si sapiunt, resipiscant, quando & quæuis in Ecclesiam Schismatis inuectio, grande est nefas, & longè magis, quod cum tanta fidei per-
24. turbatione connexum est, nec quisquam absque Dei
25. commissione, in diuina se ingerere, sine maximo scelere potest. Id quod in Saule, Ozia, Oza, &c. Abiu, Prophetis à seipsis currentibus, satis est intelligere.

Denique

Denique pius quiuis seriò se applicet ad præparandas Dño venienti vias suas; quoniã à Deo ipso le- 26.
gatus in id, ad nos etiam, missus est Ioannes; & lega- 27.
tus tantus, quo nemo sanctorum maior, & is clamãs, imò in eo clamans ipse Dominus. Neque enim potest
talis legatio Dei negligi, absque maximo dispendio 28.
salutis.

Sequitur discursus ipse.

THEMA.

Miserunt Iudæi ab Hierosolimis Sacerdotes & Leuitas ad Joannnem vt interrogarent eum; Tu quis es, Joan. 1.

De vocatione Ministerioque toto Ioannis agendum.

1. *MIrificè sibi placere Ministros nostros in Ioannis Baptistæ nomine clarius est, quàm vt probatione egeat. Eo quidem vel vno satis superq; se munitos autumant, ad omnes obiectiones, quas legitimæ ipsorũ vocationi missioniué opponere possumus eneruandas ac repellendas. Sed quã id inaniter, hoc loco sequitur vt demonstremus, prout id secũdo loco, nos facturos polliciti sumus Dominica superiore. Nam & alioqui hoc ipsum Euangelium illud maximè est, vnde eiusdem suæ defensionis, ad exemplum Ioannis firmamenta satis apta firmaq; subministrata ijs videantur. Primum autem hic equa sit de hoc Euangelio, quod ad præsens quidem attinet,* 1.

1. Ministri suum esse totum in hoc Euangelio Baptistam autumãt.

attinet, Ministrorum sententia docebimus, quâ inquam in re potissimum sui Ministerij ac Ioannis; suorumq; temporum horum, huius inquam seculi nostri, ac Ioannis similitudinem positam velint. Deinde verò quam longè ea in re ab omni veritate dissideant ostendemus.

Ministri omnimodam secessionē ab Ecclesia fecisse Ioannem asserunt eoque legationem istam in Euangelio spectasse.

2. Ministri volunt videri Ioanni simillimi.

2. CVm duplex in hoc Euangelio hominum genus nobis proponatur; ex vna quidem parte Ioannes Baptista, ad quem legatio isthæc destinata describitur; ex altera verò Iudæorū Pontifices Principesq; à quibus destinata fuit: in ijs quasi ad viuum depictam nobis proponi horum temporum nostrorum imaginem, Ministri sentire videntur; & in Ioanne quidem se suosq; inprimis antesignanos Archiministros designatos, in Iudæis verò, Catholicos Ecclesiæ Pōtifices atq; Episcopos notatos esse. Eandē nimirum esse rationem sui, quæ & Ioannis fuit, idem consilium, eosdem labores, officium denique ac vocationem eandem vtrorumq; volunt: vti contra Catholicorum pastorum etiam cum Iudæorum senioribus, simillimos esse conatus.

a. in ipsa prima Lutheri defectione.

Subtraxit se primum Lutherus ab omni obedientia pastoribus Ecclesiæ, in qua illuc vsque vixerat, debita: in eadem subtractione perseuerant etiā hodie Ministri. Eodem modo & Ioannē se subtra-

xisse

xisse dictitant, ac de ea ipsa in hoc Euangelio subtractione, putant agi.

Abduxit magnam vna secum Lutherus hominum multitudinem, Ecclesias proprias instituit, cœtus conuentusq́ suorum seorsim congregauit, nulla ad id facultate à Pontificibus ordinarijs vel impetrata vel etiam petita; solo literarum sacrarum nomine prætenso. Abduxisse eodem modo maximam Iudæorum partem Ioannem docent, vt ad quem exiuerint in desertum & Hierosolymitæ propè vniuersi, & omnis Iudæa, & regio circa Iordanem: nec tamen vllam ad id vel ab Anna, vel Caipha, postulauisse licentiam, solius sacræ Scripturæ autoritate subnixum.

2. In tanta quam secū traxit populorum secessione.

Mat. 3. 5.
Mar. 1. 5.

Instituit Lutherus nouos inter suos Ecclesiasticos ritus, agendas quas vocant seu cæremonias nouas, puta nouum baptizandi, absoluendi, Eucharistiam consecrandi, distribuendiq́ modum, & alia his similia; instituisse æquè Ioannem suis, baptismum suum nouum, aiunt, neglexisse circumcisionem, gentes in præputio ad Sacra admisisse, alia designasse, his similia maioribus suis ignota.

3. In tanta rituū Ecclesiasticorum innouatione.

Denique oppugnatus fuit propterea Lutherus passim, reclamatum fuit à legitimis Ecclesiæ Ministris Episcopis, inquisitio hæreticæ prauitatis contra ipsum instituta, atq; exercitata, & reiecta eius prophana nouitas penitus. Euenisse idem & Ioanni dictitant, eiusq́ rei hoc ipsum Euangelium euidens esse argumentum. Eo enim spectare volunt totam istam Iudæorum legationem à Principibus Sacer-

4. In omni consecuta inde Pastorū Ecclesiæ reclamatione.

Luc. 3. A 2

 dotum

dotum Caipha atque Anna (qui eodem ipso tempore à Luca rei Ecclesiasticæ præsedisse describuntur) ac reliquis Iudæorum primoribus expeditam: vt Ioannem tanquam nouatorem ac schisma in Ecclesiam inducentem notarent, conuincerent, persequerentur: Hæc fere hic Ministrorum sententia communis videtur, & ob eum finem tam audacter plerique ipsorum de Ioannis instituto confingunt quiduis.

Philippus Melanchtõ

Philippus Melanchton in primum caput Ioannis scribens, causam legationis huius in Euangelio fuisse disertè notat, speciem Schismatis, quod mutaret genus doctrinæ Ioannes, gentes reciperet, nouam baptismi cæremoniã institueret. Ita Georgius Maior causam legationis fuisse docet, secessionem ab ordinaria potestate Ecclesiastica, quod circumcisionẽ Ioannes sperneret, nouam Synagogam & cultus institueret, gentes in circumcisas admitteret. Quæri igitur per legatos hosce, qua authoritate hæc contra populum, legem, templum, sacerdotium faceret. Quod idem etiam Melanchton citatus affirmat. Centuriatores verò Magdeburgeñ, etiam longius progressi, non solum circumcisionem contempsisse, Ethnicos ad pœnitentiam recepisse, nouam Ecclesiam constituisse, secessionem à templo & ordinaria potestate fecisse, authoritatem principum Synagogæ aspernatum fuisse, vnde inuisus factus fuerit omnibus, ipsiq; propterea expostulatum ad eum miserint suos: verum etiam excommunicasse eius temporis seniores in Ecclesia & ligasse peccata eorum.

Maior in 4. Dominica Aduentus.

Centur: 1. lib: 1. Col. 855. & 363.

Talia

Talia isti de instituto Ioannis ac Ministerio, & quidem circa hanc ipsam Euangelij huius historiam omnia. Verum quàm longè ea in re ab omni tramite recti exorbitarint, videamus.

Ioannes neq; secessionem vllam fecit ab Ecclesia sui temporis, neq; rituum Ecclesiasticorum immutationem.

3. *DIco, neque quicquam tale vel fecisse vnquam Ioannem, quale isti temerariè ac nequiter affingunt, vel vt faceret propositum habuisse: neque tale quicquam Hierosolymitanos hos de quibus Euangelium, sua isthac legatione in ipso notasse, quin summi honoris totum hoc, quod hic factum est, indicium fuisse. Ministros vero nostros toto diametro in suo Ministerio Ioanni oppositos esse, vt quorum & conatus, absque vlla comparatione longius tendant, quam Ioannes prospexerit; & missio verè prorsus nulla sit, ad legitimam præsertim Ioannis missionem collata; tantam denique in his disparitatem esse Ministrorum ac Ioannis; quanta inter diem & noctem, ac quævis alia inter se alioqui pugnantissima esse queat, singula ista plenius videamus.*

Dicunt Ioannem multa contra legem fecisse, vti vidimus. At primum id absque vllo prorsus testimonio, & literarum sacrarum & omnis antiquitatis dicunt. Non didicere id ex vllo scripturarum loco, non ex vlla Patrum Ecclesiæ traditione. Ipsi primi authores sunt tantæ in Ioannem calumniæ absque

Nihil mutauit in ritib⁹ legis Ioãnes.

absque omni teste. Quid igitur inde concludamus aliud, quam totum id merissimum ipsorum commentum esse? Nam ipsos quidem post tot demum secula ex seipsis inuenire potuisse, quæ illis temporibus à Ioanne eo in genere gesta sint: quæ tamen & ipsos sacrarum literarum scriptores, & omnẽ præterea antiquitatem præterierint, frigidius est quàm vt cordatus quisquam admittere debeat.

Nihil ea de re quærũtur Pharisæi.

Deinde omnis ratio, temporumq́ illorum consideratio contrarium euincit. Etenim æmulatores fuêre rituum legis templiq́ acerrimi, ij qui tum vixere Põtifices, Pharisæi, Scribæ, Seniores populi, & tales qdẽ q ne minimã quidẽ legis cæremoniã violari à suis, sat æquo potuerint animo ferre. Tota id Euãgelia sacra clamãt. Inde eñ tã illa diligens ac continua Christi & discipulorum eius obseruatio notatioq́; vt ne sanare quidẽ infirmum quẽquam posset Christus Sabbatho, quin religionẽ diei festi ĩmutatã subito q̃rẽtur; nõ spicas manu discipuli eius, ea die cõterere, quin é vestigio legẽ pollutã cõclamarẽt; nõ illotis manibus cibos contingere, quin traditiones maiorum contra confestim obijcerent. Quomodo ergo ipsi in maximis ac præcipuis legis capitibus à Ioanne violatis, tacuissent? non reclamassent? non reum temeratæ religionis apertè egissent? non omnibus modis fuissent persecuti?

Luc. 13. C
Mat. 12. 2
Mat. 15. 2

Et tamen ne mutiunt quidem ea de re vnquã contra ipsum, nunquam expostulant, nunquã quicquam obijciunt, ne hoc quidem Euangelio, vbi maximè proprius ijs de rebus expostulandi fuisset locus.

vnum

vnum solum quærunt quid suo sibi baptismo nouo velit Ioannes. Quid ergo baptizas, *inquiunt?* si tu non es Christus, neq; Helias, neq; Propheta. *Non dicunt quo iure quauè iniuria circumcisionem negligis, sub titulo religionis doctorē agens? quo nomine gentes in præputio ad pœnitentiæ communionem recipis? quo prætextu secessionem à tēplo, à sacrificijs omnibus, ab obedientia Pontificum vel facis vel doces? Quid verò fuisset inquirendum magis, à talibus maximè, ac tempore tali, atque eo fine missis, quo Ministri missos volunt, ab inquisitoribus inquam hæreticæ prauitatis ad ipsum officium inquisitionis explendum, atque exercendum cum Ioanne hic, vti fingunt ablegatis? Cū ergo hic quoq; de ijs omnibus summum seruent silentium, quæ tandem tanti silentij causa, nisi res ipsa, hoc est quia nihil tale à Ioanne nec admissum facto intellexerint, nec animo putarint conceptum?*

4. Nullam secessionem à templo fecit Ioannes.

Quod verò peculiariter ad secessionem attinet, quam à communibus templi cæremonijs & Seniorum imperio obedientiaq; docuisse fingunt; quo id iure vel suspicari de viro sanctissimo, legisq; totius obseruātissimo possimus? Ne Christus quidem ipse, templo adhuc stante, ac legis designationibus omnibus, necdum plenè per passionem suam consummatis; quicquam tale fieri passus est: Quin plenam obedientiam legis ac præpositorum eius à suis etiam omnibus præstari voluit. Super cathedram, *inquiens,* Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerit vobis seruate &

10. Quia ne Christus quidē id suis permisit.

Mat. 23. a

Mat. 5. 18. te & facite: *Quantò minus verò Christi præcursor talia fuisset ausus? Quodsi Christus ipse de se apertè fatetur, non venisse se soluere legem sed adimplere: quomodo à Ioanne, qui venerat vt testimonium perhiberet de ipso, id passus fuisset, vt & liberrimè & publicè legis statuta conuelleret?*

2. Quia id functioni Ioannis maximè repugnasset.

Maximè verò cum nihil esset, quod officio Ioannis ac functioni proximæ, ad quam destinatus fuerat à Deo, repugnaret magis. Fuit, *inquit Euangelista de ipso loquens,* homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. *Ioan. 1. 6.* *Nimirum hoc proprium Ioãnis opus, contestari aduentum Saluatoris omni Israëli. Eo munere testificandi vt ritè perfungeretur, illud inprimis necessarium erat, vt maxima sanctitatis opinione apud omnes excelleret; quo tanto efficacius suo in animos omnium testimonio influeret. Si quis ergo vnquam Prophetarum antiquorum; hic maximè summæ integritatis laude ac legis accuratissima obseruatione florere debebat, in populi totius conspectu. Quomodo ergo publice à lege, templo, cæremoniis secessionem facere omnino vel minimam, aut docere potuisset? Quis enim ita Iudæorum omnium fidem testimonio eius adhibuisset? quis non contra potiùs publicũ peccatorẽ, legis trãsgressorem, Dei diuinorũq; omniũ contẽptorẽ refugisset, perhorruisset diris deuouisset? Nam si in Christo ipso, post infinita etiã miracula, quibus fidem verbis suis fecerat, vnicũ tamen illud, quod Sabbato infirmis sanitatem red-*

deret

deret, tanto multis offendiculo fuit, vt palam inde concluderet aliquando: Hîc homo nõ est à Deo, qui Sabbathum non custodit: *Quid putamus in Ioanne fuisse euenturum, si longè etiam grauissima legis mandata, ac partes planè primarias, conuellere ipse cœpisset.* Ioan. 9.16

Itaque etiã re ipsa potiùs contrarium ex scripturis discimus. Etenim discipulos Ioannis, non modo non segregasse sese à communibus legis obseruationibus, aut vnquam seorsim sua vel sacrificia, vel similia legis officia peregisse, aut in suspicionem à reliquis Iudæis, siue hæresis, siue Schismatis, tractos esse, legimus: quin coniunctissime Pharisæis, primariis illis legis æmulatoribus, conuixisse. Inde enim aliquando etiam coniuncti istorum discipulis, de Christi Apostolis fuêre conquesti coram Christo, quod minus illi viderentur obseruantes, ieiuniorum maximè, quorum ipsi multa habebant; etiam supra communem legis ordinem, æquè ac Pharisæorum iuniores, cum Apostoli nulla talia seruarent. 3. Quia discipuli Ioãnis coniunctissimi Pharisæis. Marc. 2.18 Luc. 5. 32 Mat. 9. 13

5. *Sed longissimè omnium à veritate id remotum est; quod temerarii isti etiam circũcisionis ipsius contemptum, ac gentium admissionem in præputio ausi fuêre Ioanni affingere. Quod tamen Melanchtoni adeò certum est, vt alio in loco etiam Ioanni fidentissimò affingat, vniuersalem gentium in ipso præputio vocationem, iam ipsum inchoasse. Ita audacter ementiuntur isti quiduis, & suis tamen sub specioso Euangelii titulo pro verissimo venditãt.* 5. Nõ admisit incircumcisos ad baptismũ Ioan. Melanch. in 3. Dom. Ad.

At nè Christus quidem ipse tale quid adhuc, Nec Christ' ipse ad gentes declinauit.

neque per ſeipſum neque per vllũ Apoſtolorum ſuorum, quamdiu quidem ipſe vixit in corpore, inchoandum ſibi putauit; cum tamen ipſe ille eſſet propriè, de quo ſcriptum erat: Dedi te in lucem gẽtium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. *Quo id conſilio fecerit, ipſe omnium norit optime: illud nobis certum eſt, ſapientiſsimè factũ, & quantum intelligimus nos, eo nomine factum, vt ne vllam occaſionem ſcandali præberet Iſraëli; quod cum immundis quicquam haberet commune. Itaq; & de ſeipſo illud expreſsè fatetur*: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.

Iſai. 49. 6

Mat. 15. 24

Cùm verò Apoſtolos ſuos primum omnium in orbem Euangelizatum dimitteret; illud ſtudioſè etiam cauit, non ſolum ad præputia, vt necdum diuerterent: ſed ne quidem ad Circumciſionem extra domum Iſraël. In viam gentium, *inquit*, ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ſed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël. *Quomodo ergò Ioannes tãtum etiã ante Chriſtum auſus fuiſſet, quantum ne ipſe quidẽ Chriſtus ante paſsionis ſua conſummata myſteria, vel per ſe, vel per vllum ſuorum voluit audere. Et quo tandem nomine admiſit gentiles Ioannes, Chriſti ne? At is vti videmus, ante mortem ſuam ne Apoſtolos quidem ſuos, tale quid permiſit attentare. Quid ergò? ſuoné proprio? Ergo ne alia iam Eccleſia Ioannis, alia Chriſti? aut tam etiam impium iſti Ioannem ſibi fingere audebunt, vt quod in hoc Euangelio conſtantiſsime ipſe*, & confeſſus eſt, & non

2. Nec Apoſtolis permiſit Chriſtus dũ vixit ad gentes ſecedere

non negauit, & confessus est, se nõ esse Christum: *re tamen & factis, quæ Messiæ fuerant propria, sibi assumpsisse? Nos verò aliud vllum in Ioanne vel officium, vel opus, minimè agnoscimus, quam quod in hoc ipso Euangelio ipse de se testatur: vocem se fuisse clamantis in deserto, quæ dirigeret viam Domini, ac præpararet ei plebem perfectam; non autem qui ipse discipulos à Christo auocatos, post se abstraheret vllo modo.*

Denique gentium vocatio extra circumcisionem, hoc est in ipso suo præputio manentium, (qua de re hic loquimur, vt quam isti Ioanni affingant) tam abstrusum fuit ac reconditum fidei mysterium: vt id ne reuelare quidem Christus ipse præsens Apostolis suis voluerit; ac ne quidem per primam illam Pentecostes, licet copiosissimam, Spiritus Sancti diffusionem aperire, ne dum per Ioãnem tam tempestiuè exerceri. Multis post Spiritus Sancti aduentum annis primum, id Ecclesiæ suæ, nec per alium quam Petrum, Apostolorum principem ostensum voluit Dominus, & in opus deductum. Legat ea de re, qui volet 10. Actorum caput; inueniet primum talem qui in præputio ad Baptismum admissus sit, Cornelium Romanum centurionem fuisse, cum commilitonibus suis, nec ante admissum, quàm singulari ac noua cœlitus reuelatione ad id instructus Petrus & perdoctus fuisset; ac mira postmodũ Spiritus S. diffusione etiã ante baptismũ, in gẽtes, corpore incircũcisas facta, cõfirmatus. 3. Longè postea præputij vocatio Ecclesiæ reuelata.

Quandoquidem res ea omnibus tam inopina- 4. Præputij ad Ecclesiã admissio.

ia ac noua accidit, vt nemo non vel fidelißimorum id miraretur; quin, vt Apostoli etiam cæteri vna cum reliquis Ecclesiæ senioribus, disceptare ea de re inciperent cum Petro, sat ne legitime id tentasset; donec tandem re tota plenißimè intellecta, quomodo transacta fuerat, mirabundi conticescerent õnes, vt scriptura inquit, ac Deum glorificarent dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit ad vitã Deus. *Satisne autem euidens inde indicium habemus, quando initium vocationis gentium factum sit? non inquam à Ioanne, sed ne quidem à Christo ipso id tentatum, verùm longo post tempore à Petro, pastore totius Ecclesiæ vniuersali, nomine Christi? Nam & alioqui, quomodo omnibus res ea tam admiranda in actibus Apostolorum obuenisset, si tanto ante tempore iam à celeberrimo Prophetarum Ioanne, inchoatã meminissent? quomodo nullus fideliũ inuẽtus, nullus Apostolorũ Christi, ne Petrus quidẽ ipse. qui vllam rei tantæ memoriam habuisset?*

Actor: 11.

Sed in re clarißima demonstranda nimium prolixi forte videmur: attamen minime abs re nostra. Neque enim absque grauißima causa tale figmentum de Ioanne induxère infelices Ministri isti; quin hoc ipsum fundamentum sibi statuendum putauère: vt ita exemplo prætextuq; Ioannis, immanem illam atque omnibus retro seculis inauditam Apostasiam suam ab Ecclesia Catholica, quam ipsi inuexère colorarent facilius, ac mundo redderent probabiliorem. Solidius ergo & nobis subruendum initio hoc fuit; vt inde postmodum, quam nihil isti

Ministrorũ figmentum vt sua colorent.

prorsus

prorsus cum Ioanne habeant commune in toto Ministerio suo euidentius statueremus.

Non expostulandi causa de religione innouata; sed honoris gratia hæc à Iudęis ad Ioannem legatio fuit destinata.

6. *IAm simile comento huic, est & alterum illud de fine legationis istius, quàm Euangelium describit.* 6. Cent. 1. lib 1. Col. 365

Dicunt Ministri, propter tam enormes hos Ioannis excessus, eam à Pontificibus institutam, vt rationem ab ipso ita factorum, ita poscerent; & quasi ex officio inquisitionis, de lege violata perquirerent, expostularentuè: vt pote quem iam tanquam hominem hæreticum ac pestilentem, vti Centuriatores volunt, haberent, ideoq; meritò sibi persequendum arbitrarentur. Cominiscuntur tale quid propterea, vt ita faciliùs sui aliquam cum Ioanne comparationem ac similitudinem inde deducant. Verùm nihil alienum magis à veritate: Non solùm illud non spectabat legatio hæc, vt nota vlla Ioanni ea ratione inureretur, quin summi honoris argumentum fuit, ipsius inquam Meßiæ & nomen & honorem ipsi per eam offerebant: parati, si id de se ipse affirmaret, eum pro tali, ad tempus saltem, agnoscere atque in Meßiæ loco habere. Omnes quidem id rei circumstantiæ satis superq; demonstrant.

Sciebāt nimirum primum adesse iam tempus, Iudæi Ioannē esse Messiā suspicati

quo sublato à Iuda sceptro, atque alienigenæ Hærodi dato, hebdomadibusq́; Danielis expletis necesse esset Messiā adesse præ foribus. Adhæc facile sibi in memoriam reuocabant, quæ præteritis annis de nato iam Messia, & per pastores primum in Bethlecm, inde vero etiam per Simeonem senem Hierosolymis, per Annam Prophetissam, per Magos ab extremo vsque oriēte noua stella excitos, profectosq́; ad adorādum nouum Regem natum, percrebuerant. Vnde quidem tantus tum strepitus consecutus fuerat in Iudæa tota, vt nō solum Rex ipse Hærodes inde turbaretur, ac Hierosolymorum ciuitas cum eo vniuersa: sed & infandum illud & à seculis omnibus inauditum parricidium innocentum, ab eodem Rege impio designaretur patraretur q́;; eo solo consilio susceptum, vt simul recens ita natus Messias è medio tolleretur.

Hæc inquam omnia tam insigni tandem facinore obsignata, ac omnium mentibus memoriæq́; nō ita pridem impressa, facile tum Iudæorum primores animaduertebant, animoq́; complectebantur. Christus porrò ipse tum, necdum se in publicum dederat, necdum docere quenquam cœperat, necdum discipulos vllos colligere, necdum Baptizare, necdū miracula vlla facere. Itaque ignotus tum Christus adhuc totus. Id quod in Euangelio hoc ipso, etiam Ioan. 1. 26 *ipse testatur Ioannes.* Medius, *inquit vestrum stetit,* quē vos nescitis, Ipse est qui post me venturus est qui ante me factus est &c. *Contra verò Ioānes, & insigni Prophetiæ nomine, omnibus*

conspi-

conſpicuus; atque omnibus hactenus inſolita viuēdi nouitate, ac ſanctimonia admirabilis, & zelo tam diuini honoris propagandi quàm proximorum ſalutis promouendæ maximè illuſtris, & nouo denique prædicandi officio, nouoq; baptizandi ritu cum primis venerabilis. Et quod ad extremum vel maximè ad rem erat, comparatus cum tempore illo ſuperiorum de nato Meſſia rumorum, eiuſdem prorſus ætatis ac temporis inuentus, annorum videlicet circiter triginta. Totidem enim & Ioannes iam annos exegerat, & à ſtrepitu illo Meſſiæ nati interim fuerant elapſi. Iis itaq; omnibus inter ſe collatis, inuaſit ea ſuſpicio primum Iudæos vehemens, tum paulatim etiam opinio communis; ipſum fortè tot iam ſeculis expectatum Meſſiam eſſe.

Teſtatur id Lucas expreſſè. Exiſtimante autem, *inquit*, populo & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo, veniet autem fortior me, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne &c. *Ita ille. Itaque in iſta dum ſuère cogitatione, talem ad eum publicis ſententijs legationem decreuere; ex ipſomet diſcere cupientes, quid de ſeſe eo in genere exſtimari velit, paratosq; ſeſe offerentes: omnem tantæ exiſtimationi debitum honorem deferre, ſi ipſe deberi ſibi eum aſſeruiſſet. Quam verò id diuerſum ab illo, imò contrariū quod hic Miniſtri ſunt ementiti?* Luc. 3. 15.

7. *Ac ne forte cui temere iſta, eo ſenſu acce-* 7. 2. Iudæi in

luce Ioánis exultantes, Christo teste. *pisse videamur, primum ex ipsius Christi id ore discimus. Is enim de hac ipsa aliquando legatione loquens, & quidem iis ipsis, qui eam suis suffragiis expediuerant*: Vos, *inquit*, misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ille erat

Ioan. 5. 33 lucerna ardens & lucẽs. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. *Ecce quem ob finem ad Ioannem miserint, nõ inquam vt eum vel notarent vel perderent quod Ministri comminiscuntur:* Sed vt in luce eius ipsi exultarent, *hoc est, vt in ipso gloriarentur, seq; eius discipulos, tanquã Deo gratissimi, profiterentur.*

3. Iudæi hic an Ioannes sit Christvs quærũt. *Deinde, verò ipsa Euangelij huius historia, satis directè idem insinuat. Quærunt legati:* Tu quis es? Et ipse confessus est & nõ negauit, & confessus est quia non sum ego Christus. *Quid est, si expostulatum venêre de lege, templo, sacerdotio violatis: quod non prima quæstio omnium eorum talis est, quæ eo vergat,* sed tu quis es? *Cur non quærunt potiùs, si illud volebant? Tu quid Circumcisionem negligis? quid gentes, homines immundos ac contaminatos, ad communionem sacrorum rituum admittis? Quid Magistratum à Deo constitutũ contemnis? Cur tota legatione horũ omnium ne mẽtio quidem; sed summum tandem illud quæritur,* quid Baptizas, si tu non es Christus neq; Propheta? *Quid verò est quod primum omnium Ioannes, se Christum negat esse? nisi quia id ipsum animaduertebat prima ista interrogatione peti? Quid verò illud, quod tam solicite eam à se opinionẽ amoli-*

molitur, vt Spiritus Sanctus non nisi iteratione, satis se explicare posse iudicarit, quam seriò negarit se esse Christum: Confessus est, *inquiens*, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. *Nōne totum hoc satis superq; significat, & agnouisse Ioannem ex legationis huius sententia, tale sibi nomen deferri, & toto tamen se id pectore, tanquam sibi indebitum exhorruisse?*

Ad extremum idem satis etiam ex Luca ijs verbis, quæ paulò ante adduximus, colligere datur. 4. Legatio hæc ex Luca explicata. *Nam quod hoc Euangelio testimonium dedisse Christo Ioannes dicitur, se non nisi aqua baptizare, sed adesse aliū longè se digniorē quiq; longe etiā efficacius sit baptizma allaturus: idipsū, vti vidimus, Lucas testatur, ad eā vulgi, imò omniū, hoc est totius passim Iudææ, opinionem datum: qua omnes cogitabāt ipsum forte Messiam esse. At hominum cogitationes, ipse non poterat penetrare Ioannes, nisi eas ipsimet ei aperuissent. Nusquam nomine omnium quisquā ei, tali de re, locutus est, aut tale quid aperuit, quā hoc ipso tempore, dum quis esset communi legatione inquiritur, atque illud primum omnium: Essetne ipse Christus? quod in hoc Euangelio accidisse animaduertimus. Vnum ergo idemque est tempus, de quo vel hic Ioannes Euangelista, vel hic Lucas disserunt, quodq; alter paulo obscuriùs insinuat, id alter clarißimè aperit, de singulari ista opinione totius populi Indæorum, quàm de Baptista concepissent.*

Longè ergo facessat illa tam vilis, tamq; sordida, imò iniqua Ministrorum, vel de Ioanne, tanquā

rituum diuinorum transgressore existimatio, vel de legatione ista, tanquam ad Ioannem propterea exagitandum directa interpretatio. Inanissimorum ea hominum inanes cogitationes sunt, figmentaq; veritatis quidem omnis vacua, omnis verò è contra plenissima & vanitatis & impietatis. Sed nos ad Ministrorum hic cum Ioanne collationem sensim descendamus.

Tota Ioannis functio fuit per pœnitentię innouationem, Christo homines pręparare: Vocatio verò ad id diuina, populo toti manifestissima.

8. *VOlunt Ministri videri Ioanni simillimi, & in horribili illa quam in Ecclesiam inuexêre rerum omniū innouatione, quaq; inde consecuta est, Christianæ plebis ab Ecclesia Apostasia, ac secessione, & in ipsa etiam sui ad tam impios suos conatus institutione seu vocatione. At verò si paulò rem istam totam examinemus accuratiùs, facile inueniemus, nō ignem ab aqua conditione distare longiùs, non lucē à tenebris: quàm isti ijs in rebus, ab omni Ioannis imitatione sunt seiuncti.*

Nihil primum Ioannes de institutis legis antiquæ immutare aggressus est, nihil rituum antiquorum inuertere, nullam oppugnare consuetarum cæremoniarum legis. Et baptismi quidem purificationem antiquis superaddere voluit; verùm non pro-

pterea altare contra altare erigere, non segregationem aut Schisma vllum in Ecclesiam inducere; sed summa in vnione fidei eiusdem ac rituum omnium diuinorum, cum reliquo populo, perpetuò perseuerare. Sola hominum peccata insectari, pœnitentiam inducere, emendationem procurare, denunciare denique appropinquasse regnum cælorum, atque adesse in medio ipsorum Meßiam tot seculis desideratum, propositum ipsi fuit. Ea tota nouatio ipsius, ea prædicatio, is conatus, præterea nihil. Omnes quidem Scripturæ sacræ, in quibus operum Ioannis fit mentio, hisce attestantur. Sed & ipsemet hoc ipso Euangelio satis de se ipso declarat, dum explicaturus, quis esset, quidue haberet officij, hoc vnum se esse dicit, quod Propheta de ipso quondam prædixerat: Vocem *scilicet* clamantis in deserto, dirigite viam Domini. *In eo nimirum officium eius totum.* Ioannes totus, vox pœnitentiam agendam inclamans.

Quantus quantus erat, vox erat, clamans continuò, re quidem ipsa etiam cum ore taceret, per pœnitentiam Domini viam præparandam, vt gratia sua ipse, qui iam aderat corda hominum imbuere plenißimè posset. Quicquid prædicabat, quicquid viuebat, quicquid baptizabat, talis vox erat; nec aliud clamabat omnis ea vox, quam pœnitētiam agite appropinquauit regnum cœlorum. *Hæc inquam eius prædicatio erat. Testatur id Scriptura manifestò.* Venit, *inquit,* baptista prædicans in deserto Iudææ & dicens, pœnitentiam agite, &c: *Hîc idem baptismus eius erat,* *Matt. 3. 1.*

 neque

neque enim alium baptismum dabat ipse, quàm docebat. Docebat autem vt Marcus Lucasq́; interpretantur, non alium, quàm baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Nimirũ nihil aliud volebat baptismo suo, quã illud significare, sic necessario esse abluendam animam dignis pœnitentiæ fructibus, ab omni peccatorum macula: quemadmodum ipse ille baptismus eius, corpus à sordibus eluebat. Propterea in hoc ipso Euangelio:* Ego baptizo vos in aqua, *inquit, scilicet præterea nihil præsto ego: alius erit qui longè efficaciùs instituet conferetq́; baptisma; cuius ego dignitati nihil præreptum cupio. Deniq; talis vox tota eius vita erat, prout id sequenti Dominica expendendum veniet etiam diligentiùs.*

Mar. 1. 4. Luc. 3. 4.

Ioãnis vox Christũ demonstrans pœnitentibus.

Vltra isthæc non se extendit vllus Ioannis conatus, vlla commissio: nisi quod tandem ea ratione iã hominum animis præparatis, ac via Domino in plurimis complanata, ipsum Dominum ac Saluatorem, etiam digitis præsentem demonstrauit, Ecce *inquiens,* Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Manebat interim nihilominus cum omnibus istis in eadem cõmunione templi sacrificiorum, Sacerdotij, legis totius, nec vllam propterea populi sectionem aut Schisma induxit in Ecclesiam. Hæc inquam tota functio Ioannis, intraq; eos limites, omnia ipsius & consilia constitêre & conatus.*

Ioan. 1. 29

Misio Ioãnis mundo notissima.

Et tamen, cum adeò exiguam in Ecclesiam esset inuecturus mutationẽ, cum aliqua quali quali baptismi sui nouatione coniunctam: (quali quali inquam

inquam, Nam iam & alioqui scriptura teste, plena baptismatum & purificationum apud Iudæos erant omnia) nihilominus etiam ad eam inducendam, tã illustri Dei vocatione ac missione institutus, ac munitus; vt ne inimicissimi quidem eius, eam publicè in dubium reuocare auderent. Fuêre ij illi ipsi Iudæorum primores ac Principes, qui in hoc Euangelio in ipso Ioannis initio, tam amplam, quam descripsimus opinionem Messiæ, de ipso conceperant. Qui quidem cum postmodum Christum ipsum extremo iam odio persequi cæpissent, mortiq; adeò collatis suffragijs iam destinassent: etiam Ioannis memoriã, iam satis æquis animis ferre vix poterant, propter testimonium, quod illustrissimum quandoq; Christi personæ officioq; dixisset. Et tamen etiam ij tali iam contra Ioannem inuidia concepta, rogati quandoq; à Christo in templo, ecquid de Ioannis baptismo sentirent, è cælone is fuisset, an ex hominibus? confessi quidem non fuêre, è cælo fuisse; quia id causæ ipsorum minime expediuisset: attamen negare etiam id non fuêre ausi. Adeò communis iam & vulgata erat omnium sententia, non aliunde quàm à Deo fuisse, solum illud pro sui tum excusatione attulêre; nescire se vnde profluxisset.

Mar: 7. 4.

Mar: 21. C

9. *Nimirum omni modo quo vocare quemcũque Prophetarum suorum solet Deus, aut mittere in Ecclesiam suam, vnaque attestari, se esse qui reuera eum miserit; etiam Ioannem miserat, simulq; testatum fecerat se misisse. Duplex omnino ratio est, qua Deus Ecclesiæ suæ Ministros legitimos destinare solet* 9.

Duplex ratio diuinæ missionis ordinaria, & extra ordinem.

ſolet atque inſtituêre, duplex æquè ratio qua conteſtari ac confirmare, legitimè à ſe eſſe miſſos. Ordinaria altera ac p homines, altera præter cōmunē ordinē rerum, atq; immediatè per ſeipſum, ſi qn id Eccleſiæ neceſſitas ita fieri poſtulet; vt potè ſi prior illa ratio minùs videatur fore efficax ad finem, quem ſibi propoſitum habeat Deus perſequendum.

Ordinaria illa via mittendi, antiquitus erat per ipſam communem naturæ in poſteris Aaronis propagationem. Naſcebantur enim tum Sacerdotes, quotquot ex Aaronis ſanguine prodibant, non fiebant, nec opus erat vocatione vlla alia, vt legitimi tum Sacerdotes vocarentur, quam vt legitimi Exod. 29. *Aaronis filij eſſent: ſola initiatione quadam certis ritibus celebrata opus erat, qua cum tempus eorum veniſſet altaribus ſacris idonei redderentur. Ordinaria verò etiam tum via conteſtandi huiuſcemodi miſſionem, ille ipſe ordinarius ac legitimus naſcendi ordo erat, ac parentum vicinorumq; documenta; verè ex Sacerdotibus quenquam ortum habuiſſe.*

Extra ordinaria autem ratio, mittendi quidem illa tum erat, cum hinc inde ſingularibus ac nouis ſubortis Eccleſiæ difficultatibus; nouos extra ordinem Prophetas excitauit Deus, qui neceſſitatibus ijs nomine ipſius, mederentur. Tales ipſi primùm Moyſes atque Aaron, tales quotquot ferè Prophetæ, in antiquo teſtamento, illuſtriores paſſim prodiêre, Elias, Eliſæus, Iſaias, Daniel, atque alij ſimiles hiſce: Conteſtandæ verò miſſionis huius extra ordinem ratio; extraordinaria aliqua

ſigna

gna erant, quibus ostendere solebat Deus, reuera se tales ablegatos esse: vt cum vel Moysi mirabilem illam, ac tot prodigiorum operatricem virgam adiungeret; vel Aaronis baculum, aridum iam illum penitus, vna nocte reuirescere, florere, fructũ producere publicè faceret; vel ad Eliæ nutum, cœlum ipsum, nunc clauderet, nunc aperiret, nunc ignem ad hostes eius absumendos euomere iuberet; vel ad Elisæi preces etiam mortuos ad vitam reuocaret; vel Prophetarum suorum aliquorum prædictiones, re ipsa atque euentu comprobaret; vel alijs denique hisce similibus diuinitus æditis portentis, ita confirmaret nunciorum suorum authoritatem, vt nemo ratione præditus, legitimam haberet dubitãdi amplius causam, verè eos à Deo venisse missos. Exod. 4. Num. 17. 3. Reg. 17. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1. 4. Reg. 4.

Et talis quidem est ratio duplex missionis ac vocationis diuinæ Ministrorum Ecclesiasticorum. Quarum quidem si vel vna quis, verè à Deo initiatus sit, satis superq; esse debet fidelium cuiuis, vt tanquan legitimum Dei nuncium legatumq; in functione sua ipsum admittat.

At vero in Ioanne nostro, vt plenissima mundo ipsius constaret authoritas, vtramq; voluit esse Deus, & quidem etiam cum primis illustrem, ac toti illi viciniæ ad quam missus erat, testatissimam. Missus is fuit ordinaria veteris legis missione, quia Sacerdos natus ex Sacerdote fuit, patre Zacharia de vice Abia ex stirpe Aaronis. Fuit, *inquit scriptura de parẽtibus eius loquens,* Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor

Ioãnes vtroque missionis genere insignis.

Luc. 1. 5.

& vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. *Missus est extra communem*
Luc 3. 2. *reliquorum Sacerdotum ordinem, quia Scriptura teste*, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto, & venit in regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ. *Atque vt ipse de eo Dominus alibi testatur:* Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam,
10. qui præparabit viam tuam ante te.

Vtraque Ioãnis missio notissima.

10. *Vtriusque porrò huius missionis etiam testimonia habuit, tam conspicua, vt nemo ea in dubium vocare meritò posset, vocaretuè. Nam generis quidem ipsius series, ex ipsa communi consuetudine Iudæorum, qua accuratissimè describebantur genealogiæ singulorum, ac Sacerdotum inprimis; cuius facta fuerat euidens: Peculiaris verò etiam eius à Deo vocatio, tot natiuitatis ipsius tamq; insignibus miraculis, confirmata erat, notaque facta omnibus; vt etiam antequam prodiret in publicum, cum in cunis adhuc vagiret, iam tum communis de*
Luc. 1. 62 *eo, & opinio & fama passim celeberrima vagaretur, expectationemq; concitaret omnium, dicentium vti Lucas testatur.* Quis putas puer iste erit. *Etenim, vt idem ibidem subiungit Lucas,* manus Domini erat cum illo.

Missio extra ordinem Ioannis.

Sanè quidem tam & magna fuêre, & multa, quæ circa ipsum natum contigêre prodigia; vt nemo ea alteri quàm diuinæ operationi posset iure adscribere: tali vero eadem modo diuinitus administrata

strata fuêre, atque in notitiam communem populi totius traducta, vt nemo esset omnium, qui non facillimam eorum cognitionem posset adipisci. Mater eius & natura sterilis, & ætate eo prouecta, qua ne fœcundissima quidem si fuisset, conceptioni iam ac generationi filiorum apta erat: & concepit tamen ipsum diuinitus & peperit, extrema iam senectute sua. Pater æquè & ipse, natu grandis & viribus exhaustus totus: præter omnem communem naturæ modum, diuinitus parens effectus est. Conceptio ipsa cælitus demisso Angelo Domini, patri primùm sacris operanti, in templo denunciata fuit. Quam cum capere is non posset, contraq́; propterea disputaret paulo audaciùs, eò quòd vires naturæ omnes, res excederet; loquela priuatus ac silentio altissimo damnatus fuit. Et tamen idem, cum post modum omnia, ita vt prædicta fuerant, contigissent nato iã infante ac iuxta Angeli monita Ioanne cognominato; lingua resoluta sermone iterum integro fuit donatus.

Notißima miracula quibus Iorãnis mißio confirmata.

Contigere verò pleraq́; isthæc omnia, ita manifestè ac publicè, vt è vestigio communi rumore per omnium ora vulgata crebrescerent. Licèt enim Angelum talia denunciantem, nemò præter vnum Zachariam conspexisset: attamen maxima populi multitudo, eodem tempore foris expectans ac Deum adorans, dum in interiore templi parte adoleret Zacharias incensum Domino, eundemq́; egressurum obseruans, facile & ipsa temporis mora, cui omnes intenti erant, & consecuta inde Sacerdotis taciturnitate

Luc: 1. 21

nitate ex lingua nata vinculo, animaduertit iam tum, diuinam aliquam visionem habuisse. Vnde quidem omnium iam expectatione concitata: & auidiùs de nato diuinitus Zachariæ filio, rumor post modum exceptus est; curiosiùs omnium sermone celebratus, atque exagitatus. Itaque simul ac natus exinde infans fuit, ac quæ adempta patri fuerat, restituta loquendi facultas, non solùm mirati sunt vniuersi, qui aderant, sed & Luca testante, timor factus est super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgata omnia
Luc.1.5.6 verba hæc. *omniumq; & animi & ora eo conuersi, vt passim iam tum illud vsurparent omnes.* Quis putas puer iste erit. *prout antea diximus.*

Atque inde factum est, vt quando deinceps ipsemet ex deserto suo prodijt Ioannes, & exercere prædicationis sibi commissum munus cepit: nemo
Luc.3.15. *reclamaret, nemo non cum admiratione exciperet, nemo non initio, longè etiam maiorem, quam res ferebat, opinionem de ipso conciperet,* existimantibus omnibus, ne forte ipse esset Christus, *(vti supra docuimus n. 6.) cum tantum præcursor esset Christi & Baptista. Tam nimirum illustris facta fuerat atque euidens populo vniuerso, & ordinaria Ioannis vocatio, & diuina, in eo atque insolita missio, quod hic nobis docendum sumpseramus. Et hæc quidem igitur de vocatione ac functione tota Ioannis hactenus:* Nunc *Ministrorum nostrorum, cum eo collationem videamus.*

Ninistro-

Ministrorum cum Ioanne & in religionis quam inuexêre innouatione, & in omni diuinæ missionis genere, minor quam tenebrarum cum luce comparatio.

11. *SI mediæ noctis caligo cum luce meridiana vllam comparationem recipere potest in lumine: si esse quid & non esse, fieri & non fieri, tollere quid ac integrum relinquere, quæq; his similia sunt, contradictionem, vt Philosophi loquuntur, implicantia, vllam habere possunt inter sese conformitatem; & Ministrorum istorum conditio cum Ioannis statu ac munere aliquam admittet collationem: sin toto diametro pugnare illa nemo negat, ne Ministrorum quidem similitudo cum illis, maior vlla concedi potest. Nam & limites eos omnes, intra quos se continuit Ioannis officium, isti absq; vllo termino audacißime longißimeq́; prætergreßi sunt; & cum Ioannes ad suam functionem etiam duplici, hoc est, omni genere mißionis diuinæ armatus, ac diuinitus instructus venerit, isti nullum prorsus demonstrare suæ legationis legitimum modum queunt, non communis atq; ordinariæ, non eius, quæ præter communem quandoq; fit rerum cursum atq; ordinem; non humana documenta adferre, atq; ordinaria; non diuina atq; insolita illa miraculorum argumenta producere. Quibus quidem positis, ecqua tandem conformitas ijs cum Ioanne superesse potest? imo quæ maior vel differentia vel contrarietas reperiri?* 11. Summa mißionis Ioannis ac Ministrorum dissimilitudo.

 Mini-

Miniſtrorum propoſitum eſt, totum quem inuenêre Eccleſiæ ſtatum funditus inuertere.

12. 12. IOannes primum pœnitentiam ſolam, ac baptiſmum pœnitentiæ prædicare atq; vrgere venit; aliam præterea religionis metamorphoſin nullam inducere, nullam ſegregationem facere. At miniſtri noſtri totum funditus, eius quam inuenêre Eccleſiæ Catholicæ ſtatum, doctrinamq;, quantum quidem in ipſis eſt, eneruare atq; inuertere, & in alienum, hoc eſt in Euangeliſmum ſuum transformare contendêrunt, contenduntq;. Non inquam ij ſolum ad pœnitentiæ ſtudium homines excitare, in vna eademq; Eccleſiæ communione perſeuerantes nõ conãtur; ſed prorſus ab antiqua Eccleſia omnes abducere, nouos ſibi cœtus ſuos adiungere, ſua ſibi altaria noua erigere, ſuos ritus proprios ceræmoniaſq; conſtituere, antiqua interim Eccleſiæ ſcita condemnare atq; ſubruere omnia; eodem prorſus modo, quo illa, quæ antiqua quondam Synagogæ fuere, Moyſis inquam ac legis veteris totius propria, penitus abrogata ac ſublata fuêre, poſtquam Hieroſolymis ac templo deſtructo, Euangelium Chriſti plene promulgatum vbiq; ac confirmatum fuit.

Synagogæ in Eccleſia transformatio.

Hæc inquam Miniſtrorum conſilia, hoc ſtudium, hi conatus ac publica prædicatio eorum. Et quidem ſimplicioribus ingenij hominibus minus hæc perſpicua ſunt, cum infiniti ſint (inter Lutheranos præſertim) qui hodieq; putent, inter ſeſe ac ſuos,

atq;

atq; antiquæ Ecclesiæ Catholicos; perexiguum vnius alteriusué articuli, puta communionis Eucharistiæ sub vna vel altera specie, itemq; vel purgatorij vel inuocationis Sanctorũ, aut similiũ id generis esse discrimen: nec aliud quicquam vel Luthero ipsi vel reliquis commi̇nistris ipsius fuisse propositum, quã abusus quosdam, qui irrepsissent in Romanam Ecclesiam, corrigere atq; emendare. Sed falluntur ij toto cœlo, nec satis vnquã perspexere accuratè, quousq; prospectent impia studia Ministrorum suorum.

At ex duobus id facile colligent. Primum quidem ex eo, quod cum constet Antichristum illum germanum atq; vltimum, quem tanta nobis solicitudine passim prædicunt atq; inculcant scripturæ sacræ, abominationem quandam extremæ desolationis inducturum in Ecclesiam, sublato inde omni legitimo Dei cultu ac religione; isti tamen nihil habeant in ore frequentius, quã eam à qua ipsi egressi sunt, quamq; reformandam sibi sumpsere Ecclesiam, ipsam certissimam Antichristi sedem, synagogam, regnum ac Babilonem fuisse, atq; etiam nunc Heb.7. C.12. *esse. Secundo vero ex eo quod Paulus ad Hæbreos asserit;* Translato Sacerdotio, necesse est & legis *totius, seu religionis*, translationem *siue trasformationem* fieri. *Isti vero omnem Sacerdotij Catholici rationem ordinationemq;, in penitus nouam formam Ministrorum suorum creandorum transmutarint transtulerintué. Quibus quidem positis, nil aliud consequi certe potest; quam vt & doceant perpetuo verbis, & machinentur*

omni studio ac re ipsa extremum interitum Ecclesiæ eiusdem.

Ecclesiã Catholicã Antichristianissimi insimulãt Ministri.

13\. *Sane quidem numerare eos nos, quotquot Ecclesiæ Catholicæ inhæremus, in Antichristi asseclis, habere verò Ecclesiam nostram Romanam impiæ illius Babilonis loco, de qua in Apocalypsi sua Ioannes, summum deniq; Ecclesiæ nostræ pastorem Pontificem Romanum, ipsissimi ac germanissimi Antichristi censêre nomine; clarius est, quam vt vllis hic opus sit verbis, quibus id doceatur. Tam quidem Ministris istis definita ac certa, tamq; proclamata sunt ea omnia, vt prope etiam ipsos suos infantes ea cantillare docuerint, vixq; vllam possint instituere anno toto, ac orbe toto Euangelico suo concionem, quin simul & talia, vel aliqua certe eorũ, producant in medium, atq; iterum iterumq; suis fidelibus inculcent.*

Totã ergo eã transformẽt reformando necesse est.

Nec minus ijs indubitatum & illud: Solos se purum putum Euangelium Christi eruisse ex tenebris, atq; in lucem produxisse, adeòq; in hoc ipsum destinatos à Deo ac positos esse, vt omnem Antichristi abominationẽ euertant & eliminent, ipsum vero Antichristum, cum suis omnibus, proterant penitus pessundentq;. Ex ipsa ergo ista professione sua, illud conari debent perpetuo ac necessario, vt quiquid antiqua Ecclesia (Romana inquam illa, quam ipsi sibi reformandam suscepêre) habuit proprium, id totum oppugnent damnentq;; nempe quia quicquid tale fuerit; Antichristianum ipsis est, ac consequenter abominabilis abominatio desolationis, vinum

nis, vinum atq; immunditia fædißimi illius poculi *Apoc: 10.*
Babilonicæ meretricis, sit necesse est, qua impia illa
apud Ioannem, legitur seduxisse Reges terræ, & in-
ebriasse, qui habitant terram, de vino pro-
stitutionis suæ. *Nec mirum, vt pote Babylon il-*
la, magna mater fornicationum & abominationū
terræ. A tali verò matre, tam impia illa, tamque
venenata, quid nisi spurcißimum, nisi veneno
mortifero, ac peste infectum, ac consequenter non
extreme auersandum, & omni studio exterminan-
dum potuisset proficisci?

Deniq; qualis ei reformatio à Spiritu sancto in
scripturis sacris pridem decreta sit, in confesso est.
Odient, *inquit scriptura,* fornicariā & desolatā *Apoc: 17.*
facient illā, & nudam & carnes eius manduca- *D 16.*
bunt, & ipsam igni concremabunt. *Si ergo*
M*inistri in id mißi sunt à Deo, vt legitimam eius*
procurent Euangelismis suis reformationem; ne
possunt quidem alia esse studia ipsorum, quam vt
extremum exterminium existimatæ isti Babyloni
suæ, Ecclesiæ inquam Catholicæ Romanæ, quam
tali loco habent impij, intentent; vel certe Mini-
strorum, & nomini & professioni valedicant ne-
cesse est. Et hæc quidem igitur talia Ministrorum
studia, ipsa Antichristianismi in nobis professio de-
clarat euincitq;

14. *Nec minus eadem ex altero illo, quod addu-* Translato Sa-
ximus capite, de Sacerdotio translato, certo euiden- cerdotio &
terq; concluduntur. Argumentatur ad Hæbreos legis transla-
Paulus, anti quandam fuisse veterem legem, nouāq; tio fiat neces-
se est.

 ei sub-

ei substituendam, *ex eo quòd noui Testamenti*
Hebr. 7. C. *mediator Christus, Sacerdos noui cuiusdam ordinis fore, hoc est* secundum ordinem Melchisedech, *&* non secundum ordinem Aaron, *fuerat oraculis antiquorum Prophetarum pronunciatus. Certum enim ac indubitatum illud esse, translato Sacerdotio, hoc est nouo eo, atq; à prioribus toto genere differenti, instituto; necesse esse, vt & legis, ac consequenter rituum omnium innouatio fiat. Ita Paulus. Videmusq; ipsa rerum diuinarum experientia, optime argumentatum. Re ipsa enim id totum ita consecutum factumq; est, prout ibi ipse concludit. Nempe nouo Christi Sacerdotio sub[...]atum fuit, omne Aaronis ministerium; vnaq; cum eo & templū concidit, & omnes Moysi constitutiones fuêre abrogatæ. Successit verò in Christo testamentum nouum, cum toto legis nouæ atq; Euangelicæ apparatu. Tantum momenti in vero legitimoq; Sacerdotio positum esse voluit Deus.*

Ministri totam Sacerdotij Catholici formam inuertêre.

At vero Ministri nostri totum, quod inuenêre in Ecclesia Romana, Sacerdotium, non modo conati sunt transferre, sed & re ipsa iam repudiauere, ac conuulsere penitus, ac summo etiam cum probro, (quantum quidem in ipsis fuit) sub titulo scilicet rasorum, vnctorum, mitratorum, cucullatorum, similiumq; ludibriorum, explosere: contra vero induxere sibi Ministerium Sacerdotij proprium, ac peculiare; nouum inquam, qualis ipsis collibitus fuit, ordinandorum Ministrorum modum, à communi Ecclesia, ex qua exiuere, ritu remotissimum.

Si ergo

Si ergo iuxta indubitatam Pauli ſententiam, ex Sacerdotij immutatione tranſlationeuè ſimul & totius pendet legis immutatio, ac tranſlatio: dubitare amplius nemo poteſt, quin certißimum eſt, impios Miniſtrorum conatus, ad ipſam Eccleſiæ Catholicæ quam inuexere, plenam totalemq́; conuulſionem, atq; euerſionem directos fuiſſe, atq; hodie eſſe.

Neq; eſt quod quenquam moueat, multis in rebus eandem etiamnum ſpeciem Chriſtianiſmi præ ſe ferre ipſos (Lutheranos præſertim in quibuſdam locis) qualis etiam apud Catholicos reperitur. Sola enim rerum externa ea ſpecies eſt, vt caſſa nux, ſed nucleus internus omnis abeſt. Neq; vllam conſecrandæ Euchariſtiæ poteſtatem habent nouelli iſti Sacerdotes ipſorum, quam antiqua hactenus Eccleſia in ſuo Sacerdotio perpetuo agnouit; neq; vllam remittendorum peccatorum authoritatem; neq; prædicandi Euangelij legitimum miniſterium; neq; fidem conſequenter verè Catholicam illam, verè ſaluificam; ſed imaginaria omnia, atq; ex ipſa Sacerdotij prioris tranſlatione penitus inania iam ipſis effecta, inualidaq́; ſpeciem quidem pietatis habentia, qualem qualem reliquam, ſed omni interim virtute eius exuta ſpoliataq́;.

Hi nimirum inſœliciſsimi labores Miniſtrorū noſtrorum, talia ſtudia, tales conatus. Quanto igitur ij interuallo omnem Ioannis modeſtiam prætervecti? quanto longius progreßi? quam enormiter ab omni illius conatu diſcedentes? Tantum nimirum quantum quæ contradictoria inter ſe vocari 2. Tim. 3. A. 6.

 ſolent

ſolent, differunt: quantum inquam diuerſa ſunt; nihil abrogare omnium eorum, quæ Eccleſiæ propria fuêre, quam inuenit Ioannes; & nihil non tollere, ac damnare omnium eorum quæ Eccleſiæ propria fuêre, à qua infelices Miniſtri noſtri exiuere. In quibus quidem vt pote contradictorijs, nemo prudentum eſt, qui non videat tantum eſſe diſcrimen, vt ne in comparationem quidem vllam venire inter ſe poßint. Scitum enim illud eſt, Philoſophis omnibus, certumq́; ne ſub cogitationem quidem humanam, vllam poſſe venire virtutem tantam, quæ talia ſimul conſiſtere, contradictoria inquam ſimul vera facere, aut iuſta collatione æquare poßit.

Miniſtrorum miſſio diuina nulla, nec ordinaria, nec immediata aut extra ordinem ac de ordinaria primum.

15. 15. T*Anta nimirum in hiſce Miniſtrorum hactenus à Ioanne diuerſitas: nec vero minor in mißione ipſa, nempe quia Ioannes quidem (vti ſupra docuimus n. 9. & 10.) omni modo quo quenquam vocare ad legationem quamcunque ſuam ſolet Deus, & vocatus fuit, & ſe vocatum eſſe pleniſsime conteſtatum habuit: Miniſtri contra, nullo prorſus modo, ſuam à Deo vocationem mißionemué poſſunt oſtendere, non inquam ordinariam illam, non extraordinariam; non humanis fultam fide dignis teſtimonijs, non diuinis miraculorum atteſtationibus. Quibus quidem datis, ecqua dißimi-*

litudo

litudo in iis maior vel excogitari posset? Pressius ista examinemus.

Quemadmodum sub antiqua Moysis lege, ordinaria Sacerdotum vocatio, in naturali sanguinis, per generationem naturalem, propagatione sita erat; ita eadem sub nouo Euangelii ritu in continuata ab Apostolis successione, ac per manuum impositionẽ facta spiritualis potestatis transmissione, posita est. Vtq; tum alia Sacerdotii sui probatione nemo habebat opus, quam parentum cognatorumq; eiusdem gentis asseuerationem: ita nunc propria ordinis sacri contestatio, ex spiritualium Ecclesiæ Patrum, Episcoporum inquam, eorundemq; assessorum contestatione, atq; approbatione desumitur. At vero Ministri nostri in vtroq; horum, penitus deficiunt, id quod ex Archiministrorum, ipsorum, vnde tota profluxit isthæc progenies, consideratione; Lutheri inquam, aliorumq; similium quorumuis, nouorum dogmatum huius sæculi architectorum, luce clarius discerni atq; agnosci potest. Ordinaria missio in Ecclesia.

Nullus mortalium (in Ecclesiastico quidem officio cum authoritate positorũ) eorum cuiquam vllam potestatem spiritualem, per manuum impositionem, ad tantas in Ecclesia ruinas faciendas, dedit; nullus commissionem vllam. Ex seipsis consurrexere ii singuli, sibi quisq; eam, qua vsus est, isto in genere primus, arrogauit facultatem, tanta suæ temeritati, vel scripturarum sacrarum, vel Dei ipsius nomine impiè obtruso. Qua de re nos paulo post, vbi de extraordinaria ipsorum vocatione age- Archiministri à nullo ordinariè missi.

mus fusius. Nullus inquam hominum talem ijs potestatem contulit, quia ne fuit quidem ante nouatores istos quisquam, in omni rerum natura, qui vel haberet talem, talia inquam committendi, authoritatem, vel vlla sibi ratione, etiam falsa, eam auderet assumere, non Papa vllus, non Cardinalis, non Episcopus, non minorum ordinum alius quicunq́. Ne potuère quidem igitur isti alia quàm extraordinaria via in mundum suo Ministerio irrumpere: hoc est, non potuere alia, quam extra omnem communem modum atq; ordinem, extra omnem superiorum temporum successionem, ratione, in tantam quid vis innouandi confidentiam inuadere.

De ordinatione Catholica primorum Archiministrorũ.

16. *Nequè enim est quod hic forte nobis occurrat quispiam, Lutherum aliosq; plerosq; omnes, nouationis huius Principes, legitimos olim Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes fuisse, suamq; ideo communi atq; Ecclesiæ consueta ordinatione vocationem accepisse, nec esse quod quicquam ab ijs hic amplius requiratur. Iure enim ea opponi hic possent, si in vocatione illa sua prima constitissent nouatores isti, nec primi in hoc Reformandi orbis Christiani officio, quod post modum præ se tulere, quisq; in genere suo, nominari voluissent. Iam vero cum omnes eiusdem illius vocationis terminos, (vti vidimus n. 12. 13. 14.) longissime atq; vltra omnem modum excesserint, quid amplius hic cum illa vocatione ordinaria commune ipsis? Quærimus enim nos hic, de hac ipsa, tanti excessus commissione potestateq́, vnde eam acceperint? & dicimus nullam posse eos viam or-*

Nimium eã ij excessere.

dinariam

dinariam ostendere, qua ipsis ea sit vnquam vel à Deo, vel ab hominibus data collataué.

Alioqui quid est, quod nouos ipsi sibi ac proprios, quisq; Archiministrorum, ritus Sacerdotij sui assumpserint, nec perseuerauerint in consueta Ecclesiæ ordinatione? Quid est, quod eos, qui hodieq; pro communi illa & antiqua Ecclesiæ consuetudine ordinantur, reijciunt penitus, ac vti Baalis Ministros, non Dei veri Sacerdotes auersantur? Quid est, quod Lutherus proprio eum ob finem libro scripto de Missa angulari & vnctione Sacerdotum, omnino reijcit antiquam ordinationum formam? Imo vero inter signa & characteres Antichristi, de quibus alicubi Ioannes, referunt communiter omnes ordinum sacrorum veterum characteres initiationesq;. Quomodo ergo ad eos suam, in ipsis suis Patriarchis primis, ordinariam vocationem referre queant?

2. Ipsimet eam reiecere.

Apoc. 13. D.

Deniquè certum est Ministris atque indubitatum illud, omnes Ecclesiæ Catholicæ antiquorum rituum vel Episcopos, vel Sacerdotes, primarios esse Antichristi administros, quorum omnis potestas, ab vno illo Antichristo, & deriuata fuerit & dependeat, cum penes illum solum, supremam quiduis ligandi atque exsoluendi potestatem esse, omnes tales confiteantur. Nec minus verò indubitatum ipsis & illud; omnem Antichristi potestatem non à Deo vel Christo eius, sed à principe tenebrarum Sathana, ei communicatam ac traditam, prout id Ioannes disertè contestatur. Quisquis ergo quamcunque potestatem

4. Antichristo eã ac Sathanæ ascripsere.

Apoc. 13. A. 2.

testatem in rebus Ecclesiasticis ad antiquæ ordinationis Ecclesiæ refert normam, eo ipso ad Antichristum, ac consequentèr ad Antichristi procreatorem Sathanam, secundum Ministrorum Euangelismum, eam refert. Ab eo ergo cum longissime velint haberi segregati Ministri, necesse est & suam vocationem primam missionemque aliunde vndecunque, vel longissime deducant potius; quam ab ordinaria illa, & quæ pro confesso ab ijs ipsis Regno Antichristi ascripta est, vocatione ordinationeque Catholicorum.

De ordinaria missione in successoribus Ministrorum.

17. *Sed enim illud forte hic obijcient, saltem eos, qui hoc iam tempore in Ecclesiæ Ministeria pro diuerso singularum sectarum ritu destinantur Ministros, ordinariam vocationem habere; quippe qui & Ecclesiarum suarum consensu magno suscipiantur, & consueta iam ipsis tot annorum à seniôribus Ministris, vel manuum impositione, vel quauis alia initiatione ad ea consecrentur.*

Illegitimi Archiministri nequeũt habere legitimos successores.

Dico, si certum illud est, primos ipsorum Archiministros illegitima ratione, & extra ordinem debitum irrepisse in officia ista Ecclesiastica, adeoque non per ostium intrasse in ouile Domini, sed ascendisse aliunde; non minus certum & illud erit, quicunque eadem via ingrediantur, post illos, quantumuis ex iam trita ipsis & consueta habeatur, æque & ipsos illegitimos Ministros esse, fures inquam esse & latrones omnes, vt Dominus ipse tales nominat, nec esse quod vnquam sibi de legitima atque ordinaria sua vocatione gratulentur. Ex legitima enim successione, (vti supra diximus, n. 9. transmissæ

Ioan. 10. *A.* 1.

per ordi-

per ordinationis Sacramentum Ecclesiasticæ potestatis, omnis pendet legitima atq; ordinaria sub Christo vocatio missioq;, non minus quam olim sub Moyse, ex legitima sanguinis Aaronici ac generationis naturalis transmissione, ea dependebat. Eo ipso igitur, quo primos Ministrorum Patriarchas, illegitimos ordinariæ successionis concedimus hæredes; eo ipso & quotquot eorum posteros agnoscimus, quantumuis iam legitimæ successionis, alicuius speciem habentes, illegitimos tamen reuera fateamur hæredes necesse est; quia nulla in eos potestas legitima à Patriarchis eorum primis transmitti potuit, quæ in ipsismet illis primis, nulla talis fuisse concedatur.

Exemplum quidem eius rei manifestum nobis præbet, ipsa communis naturalibus in rebus sanguinis propagatio. Pone in seriem Aaronicorum Sacerdotum irrepsisse quandoq; spurium quempiam ac terræ filium; sed qui tamen legitimus Aaronis fuerit habitus aliquando successor. Talis absq; omni dubio ille illegitimus fuisset coram Deo Sacerdotij hæres; quantumuis ab hominibus Sacerdotis verissimi loco censeretur. Pone verò continuasse eundem suam progeniem in tertiam etiam quartamue, aut plures generationes, & quidem ordinario iam ac legitimo matrimonij iure continuasse; fierine vnquam potuisse dicemus, vt quantumuis probabili Aaronicæ successionis specie, posteri tales, reuera in Aaronis sanguinem transiuissent, vnde legitimi Sacerdotij Aaronici hæredes fuissent dicendi? Nunquam profectò. Quia semel re ipsa ac penitus in- Simile interruptæ Aaronicę successionis.

terrupta

terrupta Aaronici sanguinis in tali successione propagatio, per nullam post modum Matrimonij legitimi speciem potuit restaurari. Quocunq; tempore palam fuisset factum de tali Aaronicæ cognationis interceptione, quotquot ad eandem interruptionem pertinere fuissent deprehensi, etiam ex Sacerdotum numero fuissent perpetuo ablegandi. Atqui hæc ipsissima est Ministrorum nostrorum in sua vocatione ordinaria, quam forte obtendere possint, conditio ac status.

Extra ordinaria missio Diuina, primis Archiministris nulla: multo minus Ministris successoribus eorum.

18. 18. S*Vper est vt ad extraordinariam atq; immediatam Dei vocationem, in primis sectarum suarū Principibus sese referant; vnde postmodum semel potestate legitimæ vocationis in suis constituta, eandem etiam in sese deriuatam glorientur. At vero nihilo ita etiam hic habent amplius, quam in priori illo, quo sese consolentur. Incertissimum hoc est, quicquid eo in genere adferre possunt, atq; eo ipso nullum. Nimirum vltimum quod hic ad sui defensionem vel adducunt, vel adducere omnino queunt; aliud tandem nihil est, quam humana quædam ipsorummet de sese opinio, assertio, testificatio. Quæ quidem cum ex ipsa sui ratione sit inanissima; sine dubio etiam totum istud, quicquid id est, de diuina ipsorum & immediata vocatione, inanissimum erit.*

Etenim

Etenim in rebus tantis tamque diuinis, minime ad simplicem cuiusuis affirmationem nos acquiescere par est, cum infinitos sciamus eodem titulo seductores in hunc mundum, seculo nostro exiuisse. Quærimus quis hominum quisué Angelorum, vel testium denique quorumuis fide dignorum adfuerit tum; cum tam diuina istis à Deo potestas extra omnem communem ordinem committeretur, aut quo tandem indicio fidem nobis certam faciant tantæ commissionis? Nec sine causa quærimus; Nam ne in hominibus quidem, si quis se forte à principe quouis ablegatum dicat, ad negotia alicuius momenti, nomine ipsius, trasigenda, id ante admittimus, quam fidem legationis suæ certam is nobis faciat atque indubitatam. Quanto vero magis in rebus diuinis, & quæ salutem concernunt æternam, nobis cautio ista adhibenda est? præsertim cum tot simul prodierint, opinionibus penitus dissidentes, mandataque fidei omnino contraria adferentes, quæ singuli tamen eiusdem diuinæ missionis nomine, nobis obtrudere conantur.

Probatione opus est vt à Deo quis ablegatus credatur.

Prodijt primus omnium Lutherus, antiqua omnia damnans, ac sua nobis substituens, seque ad id diuinitus ablegatum asserens, ideoque obedientiam sibi ab omnibus præstari deposcens. Non immeritò certe, si reuera ad id diuinitus fuisset ablegatus; At ecce mox successit eodem nomine alter, Zuinglius inquam, totum illud pernegans, non inquam priorem illum; sed sese reuera missum asseuerans, ideoque non illum audiendum, sed se per omnia. Nec

Omnes Archiministri licet contrarij, Dei se legatos iactãt.

multo

multo post prodijt tertius Anabaptistarum quispiam pater, ab vtroque priorum, nos æque eodem titulo auocans, & ad sua sectanda tanquam diuinitus sibi commissa inuitans. Quos omnes breui iterum interuallo consecutus fuit, Seruetus impijssimus Trinitariorum sator, fictæ quidem mendacisque legationis arguens priores illos omnes, & se vnum mundi reformatorem ac veritatis à Deo Magistrum legitimè amandatum dictitans.

Atque ex his quatuor quasi Patriarchis quibusdam Ministrorum omnium, infinitæ illæ Ministrorum sectiones emersere, ac propagatæ sunt in hunc diem, quæ hodieque variè mundum seducunt, ac suam ex illis singuli diuinam nobis vocationem obtendunt. Rationem aliquam habere tantæ suæ iactationis videri potuissent, si vnus quispiam solus, isque perpetuo sibi constans, tale quid de se suisque promisisset; nunc vero cum & tot ij sint, qui idem pollicentur, & ijdem inter se pugnantissimi; & eodem ex temeritatis fonte exorti simul omnes, quam vel speciem veritatis habere in re tanta censeri possunt?

19, Frustra ad scripturas hic confugiunt Ministri.

19. Quærimus igitur, quo tandem argumento suam nobis istam diuinam vocationem in Archiministris suis singuli demonstrent? Respondent omnes, scripturam sacram sibi clarissimo indicio esse diuinæ veritatis, quam singuli adferant, nec alia ipsis opus esse probatione diuinæ suæ missionis. Dico nihil prorsus ad rem esse quod respondent, nec longe ad id opus nobis est petita argumentatione, ex ipsius Ioannis comparatione, de qua agimus id fit manifestissimum.

Ioannes

Ioannes longè minimam, vti vidimus, respectu
istorum in religione, imo nullam mutationem indu-
cturus venerat, idemque & scripturas sacras habe-
bat, & quidem in verissimo eas sensu habebat, atque
interpretabatur, quin de sua etiam futura missione
diuina, eas nominatim vaticinantes habebat, prout
partim in hoc Euangelio videmus ex Isaia eum ad-
ducere, vnde suam Iudæis vocationem explicet, par-
tim superiore Dominica, audiuimus ipsum Domi-
num ex Malachia eam confirmare. Et tamen mi-
nimè voluit Deus, vt nuda ea suæ missionis confir-
matione niteretur, voluit præterea & humanis &
diuinis testimonijs omnibus eam suffultam esse, (vti
supra vidimus n. 9. & 10.) & testibus inquam
certissimis, Sacerdotalem eius progeniem compro-
batam voluit humanitus, & illustrissimis præterea
circa natiuitatem eius diuinitus æditis miraculis,
iisdemq; per omnem Iudæam paulatim quidem, cer-
tissimo tamen, diuulgatis. Quanto minus ergo in
ista tam sibi pugnantium Ministrorum diuina præ-
tensa vocatione, solo scripturarum titulo nos con-
quiescere volet Deus, qui non solum diuinis, illis
humanisq; ordinariæ suæ vocationis alijs destituti
sunt testimonijs omnibus; Sed & in cæteris illis,
quæ diximus, longissimo interuallo sunt Ioanne in-
feriores? Hoc est qui & ad longè maximam atq; 1.
omni comparatione maiorem præ Ioanne, Ecclesiæ 2.
reformationem se missos iactitant, vti supra docui-
mus, & scripturas ipsas falsissimo in sensu, vel om-
nes, vel certe pleriq; omnes interpretantur, (vt po-

Ioannes scripturas pro se nominatim habebat.

Isa: 40. *A*
Matth: 11.
Malach: 3.

Ioannis præter scripturas & humanitus & diuinitus testata vocatio.

Ministri nihil habent scripturarũ pro se præ Ioanne.

te in mille contentiones diuisi, cum non nisi vna ac
3. *simplicissima sit veritas scripturarum) & denique non solum de sua futura missione, nihil habent nominatim expressum singuli, prout Ioannes in Isaia habuit, sed potius contraria omnia.*

Non solum enim nusquam scripturæ cuiquam sectariorum nostrorum, peculiare præstant testimonium, fore inquam vt vltimis mundi seculis, nouus quispiam vel Lutherus, vel Caluinus, vel Menno, vel Seruetus, diuinitus in mundum ablegaretur, qui Ecclesiam tot seculis penitus collapsam, Dei nomine restituant (quale quid de Ioanne in sua functione, & hic prædictum videmus, ab Isaia & superiore Dominica ex Malachia audiuimus; qualeque quid omnino necessarium foret, si in vna scripturæ iactatione deberet conquiescere Christiana mens, istos diuinitus ad nos esse ablegatos) sed potius his contraria omnia habemus, ex scripturis sacris. Nempe præmonent ea nos vt cum semper, tum maximè nouissimis his mundi temporibus cautissimi simus, nec abduci nos vllo modo, Christi nomine in varias nouitates permittamus. Fore enim, vt multi veniant tam præclaro hoc Christi nomine abutentes, qui va-
Matt: 24. *rie fidelium fidem tentaturi sint dicentes:* Ecce hic est Christus ecce illic, *ecce* in desertis, *ecce* in penetralibus est, *sed minimè ijs fidendum, vt pote pseudoprophetis & seductoribus pessimis, quorumque illud maximè sit proprium ex sese venire, ac vel Christi titulum, vel prophetarum falsissimo obtendere, cum teterrimi sint, & tenebriones & tenebrarum in alijs procuratores. Dicent*

Dicent hic fortè, imo prædictum esse de se nominatim apud Ioannem in Apocalypsi, illo videlicet loco; vbi temporibus Antichristi, duo prænuntiantur testes diuinitus à Deo ad Ecclesiæ consolationem ablegandi, qui impijs monstri illius Antichristiani conatibus, serio sese opponant, Christi nomine. In his enim duobus suos esse Archiministros designatos. Respondeo, vt nil iã de tota loci illius interpretatione disseramus, ex illa ipsa descriptione diuinorum illorum testium, quos Deus illic pollicetur, præter communem se ordinem tum missurum, satis superque apparere, verissimum illud esse, quod dicimus, nihil scilicet ad rem esse, quod solius istı scripturæ sacræ iactatione se satis diuinam suam vocationem muniuisse autument, id quod commune semper omnibus hæreticis vel fædissimis ijs, pestilentissimisque fuit. Nimirum miracula se talibus adiuncturum dicit, eo ipso loco, Deus talia, quibus certissimam omnibus facere diuinam suam missionem possint. Et si quis voluerit, *inquit de ijs Ioannes, eis* nocere, ignis exibit de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic opertet eum occidi. *Hi* habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint. *Hæc ibi Propheta. Talia nimirum sunt testimonia Dei, tales literæ quas Credentiæ vocamus, quibus eos munit, quos extra communem*

Prophetia Apocalypsis de vltimis testibus Dei. *Apoc*: 11.

Vltimi testes Dei, illustrissimi miraculis.

 ordinem,

ordinem, Ecclesiæ suæ reformatores mittere solet, miracula inquam, omnem communem naturæ ordinem excedentia.

Ministri omni testimonio diuinæ vocationis destituti.

Et talibus ergo testimoniis etiam Ministri nostri, suam suorumque istam diuinam vocationem, siquidem extra ordinariam eam esse contendant, necesse est vt confirment. At vero cum iis omnibus penitus sint destituti, plus etiã quam vllus vnquam, qui extra ordinem à Deo vel ad minimos neuos perpurgandos aliquando in Ecclesiam missi venere: eo ipso quidem satis superque ostendunt, ementitum esse, ac plane nullum, quicquid homines temerarij de tam diuino officio sibi cælitus commisso prædicant. Sed de his nos alibi plura; nunc ad conclusionem pergamus.

PARÆNESIS AD LECTOREM Euangelicum vocatum.

Concluditur ex dictis Ministros insigniter, & mendaces, & in Deum iniurios, & veros animarum proditores esse, ideoque fugiendos, vnique Ecclesiæ Romanæ, in qua missio Ioanni simillima, adhærendum.

Certum est, Ioannẽ nullam religionis mutationem inuexisse. n. 2. 3. 4. 5.

20. *Ad te iam lector amice descendo, te ex his quæ dicta sunt, eum quem par est fructum colligere volo. Vidisti quod habuerit propositum Ioannes, quid molitus sit, intra quos se cancellos continuerit. Nempe nihil innouare omnium, quæ ad legis ceræmonias pertinuerint in veteri Ecclesia voluisse, nihil in sacri-*

in sacrificiis antiquis, nihil in Sacramentis, nihil in omnibus templi ritibus, nihil in synagogis, nihil in reuerentia debita Sacerdotum, nihil in obedientia Pontificum, nihil in officio super Cathedram Moysi sedentium Scribarum ac Pharisæorum; denique secessionem populi ab ordinaria potestate facere nullam, altare nouum contra altare vetus erigere nullum: solam vero pœnitentiam ac vitæ in melius emendationem, quærere atque vrgere venisse, quo ita conscientia per pœnitentiam perpurgata, Christo aduenienti expeditior esset via ad animos hominum subintrandos.

Vidisti vero etiam ad hoc ipsum, ea legatione diuinitus sibi commissa munitum venisse, vt nemo cum ratione dubitare posset, legitimum Dei esse nuncium, siue cœlitus missum prophetam, qui Dei nomine talia hominibus proponeret, ac baptismo suo pœnitentiæ eos expiaret. Nam & ex ordinaria missione, Sacerdos erat legitimus, vtpote æque atque alij legitima propagatione ex Aaronis sanguine prognatus; & extra ordinem, maximis in ipsa natiuitate sua miraculis à Deo fuerat demonstratus, tanquam futurus aliquando propheta cum primis illustris. Vidisti inquam isthæc omnia, & quidē talibus commonstrata confirmataque argumentis, ea vidisti; quæ dubium tibi merito hic omne eximant.

Certū, Ioannē omnimodo missum à Deo.

n. 9. 10.

Vidisti contra, infelices Euangelismorum ministros, toto cœlo in his omnibus distare à Ioanne. Nam & Ecclesiam quam inuenere Catholicam Romanam & reformare totam, imo inuertere (quantum

Certum Ministros totā Ecclesiā antiquam conari euertere.

tum quidem in ipsis est?) conatos animaduertisti, adeòque multis in locis euertisse: partim sub impia Babylonis titulo eam persequentes; partim sacerdotium aliud, totum ab antiquo nouum subintroducentes, atque ita secessionem totalem ab antiqua illa Ecclesia cum suis facientes.

Centum Ministros nil simile Ioannis missioni habere.

Et tamen ad tantum opus, nullam prorsus à Deo legitimam missionem habere intellexisti, non ordinariam illam, & quæ fit per homines in Ecclesiastica functione simili ante constitutos; non extra ordinem, & quæ insigni aliquo, imo vel minimo miraculo vno, diuinitus fuerit comprobata. Vidisti inquam ista quoque ita tibi in conspectum posita, vt ne de ijs quidem, nisi forte clausis ea præterire oculis sponte velis, ambigere possis.

n. 15. 16. 17. 18. 19.

Ergo fugiendi Ministri.

Quid ergò tu obsecro ad ista tandem? concludesné quod omnis ratio dictat: Ministros hosce, in isto ministerio suo, & extremè mendaces, & in Deum maxime iniurios, & perniciosissimos animarum seductores? ideòque omni impostore magis auersandos? an perges etiam ita, cum ratione pugnare, imo insanire totus, talibus vt animæ tuæ salutem concredas sempiternam? Nunquam tu quidem concredes si sapis, quin id quod isti, tales cum sint, profitentur maximè, tu fugies maximè; quod maxime oppugnant, hoc est vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam Romanam, eam tu maxime sequere.

1. Quia extreme mendaces.

21. *Fugies tu inquam maxime; quæ illi commendant, primum quidem, quia in ipso isto Ministerio suo, extremè deprehendisti esse mendaces, nempe dum*

pe dum ita fidenter Ioannis exemplo, & officium suum propositumué colorant, & missionem: cum tamen, vt vidimus, mediæ noctis tenebræ, à luce ipsa meridiana longius non distent, quam in vtroque illo, ipsi à Ioanne. Qui malum bonum, nigrum albū, amarum dulce, tenebras lucem, aliaque similia sibi mutuo opposita, contrariorum quæque nominibus, appellare audeat, in eoque ipso sibi omnino credi deposcat, an non is maxime omnium mendax? Maxime quidem certo, quia cum varij sint mendaciorum gradus, prout res quæque varie aliter atque aliter, quam est in seipsa, narrari à mendaci aliquo potest; tum vero nullus est, eo in genere altior, quam dum penitus contraria veris, pro ipsis veris venditantur. Atque nihil contrarium magis, quam conatus Ministrorum, totum Ecclesiæ veteris statum prorsus eruentium, & conatus Ioannis nihil de statu veteris Ecclesiæ prorsus immutantis; itemque legatio Ioannis omni modo legationis diuinæ, & instituta & confirmata; ac missio Ministrorum, vllo mittendi modo diuinitus, nec facta nec comprobata. Et tamen isti se in vtroq; isto Ioanni esse simillimos tibi hactenus sunt persuadere ausi, in eoque etiam sibi cum primis applaudere assueti. Maxime ergo omnium & insignissime mendaces.

Nec solum maxime mendaces, sed & in Deum extreme iniurij, nempe quia legatione se fungi Dei nomine ad homines finxere, non minus quam olim Ioannes, cum Dominus nunquam vel cogitauerit de ijs mittendis. Qui propria authoritate sua princi-

2. Quia extreme in Deū iniurij.

pis cuiusuis nomine effictо, legationem sibi assumat ad alios; nonné læsæ maiestatis reus, & quidem tanto magis quanto vel grauioribus in negotijs similia tentet; vel nequius? puta si in ipsas etiam rationes Regias se immisceat, si principi debita remittat, si vinctos principis relaxet, si officia Regia etiam immeritis conferat, si thesauros ipsos Regios, regio nomine ficto, inuadat distribuatué? Omnino quidem reus. Quod si vero tali legationis titulo ea etiam machinetur, quæ ipso etiã regno suo Principem tandem exuant, ac paulatim deturbent, an non tum in supremo iam gradu talis Maiestati iniurius?

Atqui isti Regis regum nomine, ac Dei Domini Exercituum, sibi sumpsere legationem à nullo missi, eius se locum tenere, eius obire vices finxere, idq; in rebus primum omnium maximis, nempe vt non solum æquè atq; Ioannes olim, annuncient appropinquasse regnum cælorum, sed & eius sibi claues esse concreditas persuadeant. Ergo & debita Deo, hoc est, peccata ipsi ausi sunt, quasi Dei ipsius loco, suo quodam modo remittere, & pœnas æternas condonare hominibus, & cælo ipsi eos adscribere, ac Hæredes Dei ac cohæredes Christi in regno cælorum certißimo nominare, & ipsum deniq; proprium Christi regnum, quod est Sancta Ecclesia Catholica antiqua, aggreßi sunt, illo ipso sibi nequiter arrogato legationis nomine, funditus, quod in se est euertere,

Poteratnè ergo sub tam specioso isto titulo Ministrorum Euangelij, vel excogitari iniuria atrocior, qua diuinæ illuderent Maiestati? Vix quidem

certe,

certe, aut ne vix quidem poterat. Licet enim ex toto genere malorum maior aliqua Dei iniuria videri posset, puta si quis penitus aut ipsum eiuraret Deũ, aut directè oppugnare eius conaretur maiestatem: hæc tamen Ministrorũ eo etiã est nequior, quo fraudulentior iniquitas, vt quæ sub specioso quasi velamine Dei ipsius, ac diuini verbi, nequiter assumpti, Dei ipsius inuadat expugnetq́ regnum, Ecclesiam.

Quam vero eodem isto in genere etiam perniciosi animarum proditores Ministri iidem? Dei nomine agunt quicquid agunt, eo peccatorum remissionem, eo omnem gratiam, eo salutem sempiternam addicunt suis, eo beatissimos prædicant, ac tantum non viuos cælis eos inferunt, persuasos se iam maximis sanctorum æquales esse, propter eam fidei obedientiam quam ipsis, Dei nomine præstant: & ecce mera fraus totum, turpissima inquam illusio, perniciosissima deceptio. Cum enim tota nostra salus ex vna tandem Dei ipsius, tum rati habitione, tum cooperatione dependeat; isti vero à Deo nullam prorsus habeant ad isthæc omnia commissionem, nullam potestatem: consequens est inanissimos esse omnes huiusmodi conatus, omnesq́ promissiones ipsorum; consequens est in nuda ac mera imaginatione consistere absq́ omni rei veritate, omnem illam salutis persuasionem, quam miserrimi credentes ipsorum, ex iis concepere; haud secus ac si quisquam se diuitem somniet, cum sit Iro pauperior, aut si quis se suauissimè comedere somniet, cum sit inanissimus, aut qui phreneticus se sanum existimat, cum ipsi certæ morti iam sit vicinissimus

3. Quia perniciosissimi animarum proditores.

Ergo tales isti, & cum errorum sint plenissimi, se tamen solos sibi imaginantur in rebus diuinis oculatissimos, & cum sint in peccatis immersi toti, se tamen firmiter sibi persuadent, propter fidem Euangelismorum suorum, ab omni culpa purgatos atq; immunes, & cum certissimi deniq; inferni titiones, se tamen, haud secus ac Christi fratres quosdam germanos, certissimos regni cælestis hæredes somniant, idq; totum ex fraudulentissima illa Ministrorum pollicitatione, qua se Dei legatione ad ista omnia hominibus promittenda præstandaué fungi persuasere. Ergo & moriuntur ita seducti, & ad tremendum illud Christi tribunal accedunt in iisdem somniis suis, & dum tandem recta se suprema cælorum penetraturos existimant; rectissimo in ima tenebrarum deiiciuntur, vbi perpetuus futurus est fletus & stridor dentium. Et quæ posset excogitari impostura hominum quorumuis vel fraudulentissimorum, perniciosa magis?

Ministri intrinsecus lupi rapaces.

Fuge ergo lector amice, fuge tam mendaces istos in omni suo Ministerio Dei legatos, fuge tam enormiter læsæ Maiestatis diuinæ reos, fuge animarum perniciosissimas pestes. Hoc à te omnis ratio exigit, hoc ipsa à te salus tua deposcit, hoc illa grauissima Christi admonitio requirit. Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, *(diuinæ scilicet missionis pallio, ad instar Ioannis ipsius palliati)* intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Matth. 7. C. 15.

Sola Eccle-

22. *Adiungere vero pectore toto vni Ecclesiæ Dei*

Dei Sanctæ Catholicæ Romanæ. In ea enim inuenies, quos nusquam extra illam reperire datur, verissimos Euangelij Ministros, in ea omnibus sæculis iam inde ab ipso Euangelij initio, à Deo optimo patrefamilias operarios omnibus diei horis, quasi in vineam quandam legitimè missos, in ea pastores & doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerij, à Christo & perpetuo datos, & dandos semper, absq; vlla intermissione, donec occuramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. In eadem propterea & claues regni cœlorum in B. Petro ipsi & successoribus eius legitime à Christo commissas, & consequenter omnes salutis thesauros, tibi ad omnem tuam necessitatem, verè atq; extra fraudem omnem reserandos, si legitime eos quæras. In ea deniq; Dei & cooperationem, & rati habitionem, tanquam in legitimis suis ministris omnem necessariam, iuxta illa indubitata ipsius promissa. Quæcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cœlis, & quæcunq; ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlis.

sia Catholica legitimos habet Ministros.
Matth. 20. A 8.
Ephes. 4. B. 11.
Matth. 16. C. 19.
Matth. 18. C. 18.

Ac ne vlla tibi hic remaneat dubitandi occasio, confer ad extremum iam missionem Ioannis, etiam cum missione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ; & facili negotio, sicut iam animaduertisti, infelicium Ministrorum istorum missioni toto cœlo fuisse differentissimam, ita omnino simillimam inuenies ex toto genere suo. Missus est ordinaria missione Ioannes, hoc est, per naturalem illam successionem ac propaga-

propagationem Aaronici sanguinis, qua tum omnis ordinaria missio continebatur. Mittuntur omnes *Ecclesiæ Catholicæ presbyteri, etiam hodie, per continuatam omnibus seculis, iam inde ab ipso* Petro *impositionis manuum presbyterij successionem; qua omnis nunc potestatis Ecclesiasticæ transmissio ordinaria perficitur.*

1. Tim. 4. D. 14.

Missio extra ordinem similis Ioannis.

Missus est ad singulare pœnitentiæ studium in hominibus excitandum extra communem ordinem Ioannes, & multis, & insignibus iam inde à natiuitate sua miraculis, in id diuinitus consignatus ac comprobatus. Habuit æque & Ecclesia Catholica, omnibus prope seculis, insignem aliquem talem extra ordinem ad pœnitentiam prædicandam Missionem, eamque propterea, non minus quam Ioannis, imo sæpe etiam maximis portentis, ac Diuinis miraculis illustratam. Eodem enim modo passim Deus excitauit in Ecclesia nunc Antonios, nunc Basilios, nunc Benedictos, nunc Bernardos, nunc Dominicos ac Franciscos, nunc alios hisce similes insignes pœnitentiæ prædicatores, per quos frigescentem passim mundum, ad nouos pœnitentiæ feruores excitaret. Sed ita eos communiter excitauit Deus, vt neque propterea vllam per eos secessionem ab Ecclesiæ communione fieri permitteret, ac ne ipsorum quidem quenquam à communi illa ordinum sacrorum Sacerdotij successione eximeret; ac nihilominus varijs prodigijs per eosdem editis, palam testatum faceret mundo toti; à se huiusmodi homines ad tale munus pœnitentiæ prædicandæ obeundũ ablegatos.

Id quod

Id quod certißima omnium seculorum in Ecclesia historiæ, testantur quas quidem, non aliam ob causam, vel rident, vel auersantur infelices isti Euangelismorum Ministri, quam quod nihil simile ipsi (vt pote & à Deo, & ab omni antiquitate alieni toti) vel habuerint vnquam, vel habere omnino poßint. Talis igitur mißio Ioannis, talis mißio operariorum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. De quibus quidem, si amplius hæsitare pergas, dico te nihil habiturum in mundo certum, quod non eodem iure in dubium sis reuocaturus. Sed tu resoluere tandem, si sapis, & caput inclina legitimis Dei legatis, atque ita humiliare sub potenti Dei manu, & ipsa etiam experientia te tua docere poterit, adesse in Ministris suis verum Deum, qui eorum Ministerio salutem in mundo suorum operetur.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Non potest non grauissima manere Ministros vltio nisi resipiscant, ob tam temerarios ausus in diuinis absque vlla commissione.

23. *AD vos descendo, ô simillimi quidem in vestro sensu Ioanni (legatorum Dei omnium, qui ante ipsum fuere, maximi) Ministri; at reuera meræ quædam ipsius simiæ, illius quidem vobis affingentes similitudinem, cum longius ab ipso absitis, quam quæ albißima sunt ab aterrimis, quæ dulcißima ab amarißimis, quæ calidißima à gelidißimis distant. Legati inquam non veri Dei, sed illius, qui perpetuo sibi* 23.

ſibi Dei mendaciter, arrogat partes, Sathanæ, vos compello. Aduertitiſné iam tandem quæ ſit veſtri propria in iis quæ diximus cum Ioanne comparatio? Veſtrorum inquam conatuum cum ſtudiis Ioannis? veſtri officij vocationiſque, cum functione ac vocatione Ioannis?

Grauiſsima Miniſtrorũ in rebus diuinis auſa.

Nullam ab antiqua Eccleſia, quam inuenerat ſeceſſionem fecit ipſe, perſona ſua Ioannes, nullam populi ab ea docuit ſciſſionem: vos & ipſi vos nequiter ab Eccleſia ſeiunxiſtis, & Apoſtaſiam ab eadem, per totum Septentrionem, longè feciſtis maximam populorum. Nullam doctrinæ innouationem induxit Ioannes, vos eam inuexiſtis longè grauiſſimam. Nullam rituum antiquorum importauit immutationem Ioannes, vos exterminationem etiam eorum attuliſtis extremam.

Vocatio Miniſtrorum nulla.

Vocationem ille diuinam miſſionemque habuit ad omnem illam functionem ſuam, & omnis generis, quæ haberi ad ſimilia potuerat; & omni genere teſtium, tum humanorum, in probatiſſima Aaronicæ propagationis ſucceſſione, tum diuinorum, in miraculis circa ipſius natiuitatem illuſtriſſimis, diuinitus demonſtratis, confirmatam. Vos nullam prorſus in primis Patriarchis veſtris, neque miſſionem legitimam habuiſtis, neque miſſionis approbationem diuinam; in vobis vero iam ſucceſſoribus ipſorum, præter inanem quandam vmbram ac ſimiarum luſum, quo fucum tum vobis ipſis faciatis, tum miſerrimæ plebeculæ, quam ſeduxiſtis, præterea nihil. Hæc inquam veſtri eſt, cum Ioannis officio, ſimilitudo,

tudo, hæc paritas propriaque collatio, luce quidem iam ipsa meridiana clarior, modo cæcutire sponte vestra, aut oculis clausis, non libeat ista perpetuo præterire. Quid igitur vos tandem ad ista? Agnoscitis ne etiam momentum rerum, & quæ vos inde necessario, nisi resipiscatis in tempore, damnatio sit consecutura?

24. *O vos talpa quauis cæciores, imo lapide minus sensatos, si hoc non videtis, ô terque quaterque infelicißimos, si forte videtis, nec tamen quamprimum resipiscitis. Vel soli vos si ab obedientia veteri Ecclesiæ debita, desciuissètis; id tantum erat, vt Ethnicorum ac publicanorum loco habendos damnandosque irreuocabilis Christi sententia, propterea pridem pronunciârit. Nunc vero cum ad instar Apostatici illius spiritus, qui maximam angelorum partem, vna secum traxit in perditionem; etiam infinitam hominum multitudinem abduxeritis vna vobiscum in eandem defectionem: quanto vestra condemnatio erit maior? quanto atrocior gehenna?* 24. Graue scelus secessionem facere ab Ecclesia. *Matth. 18. C. 17.* *Apoc. 12. A. B.*

Ex diro illo atq; horribili supplicio, quo simile separationis crimen, in Chore, Datan, & Abiron, aliquando vindicauit Deus; dum viuos ipsos, vna cum coniugibus ac liberis eorum, omniq; substantia, in imum infernum contrusit deiecitq;, id æstimare ex parte potestis. De quibus nimirum scriptura sacra: Confestim, *inquit,* vt cessauit loqui, *(Moyses)* dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum: Chore, Datan, Abiron. *Num. 16. D. E.*

eorum: deſcenderuntq́; viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis: *Ita ille. Et tamen non niſi ducentorum quinquaginta virorum, vt ibidem numerantur, ſeditionem ij commouerant ſeiunctionemq́: vos abſque vlla comparatione eam, & multitudine feciſtis numeroſiorem, & magnitudine maiorē. Quanto igitur etiam pœna iudiciumq́ vos diuinum expectat maius?*

Grauiſsimū ſcelus fidei inducere perturbationem.

Maximè vero cum non ſolum ſimplex ſit ſchiſma iſtud veſtrum, atq; obedientiæ ſubtractio, qualis illa illorum; ſed cum maxima totius doctrinæ Catholicæ rituumq́ Eccleſiaſticorum omnium conuulſione, diſsipationeq́ coniuncta. Nullam Chore cum ſuis in religione ipſa, cultuq́ Dei innouationem moliebantur; nullam in Sacrificijs, nullam in cæremonijs legis, nullam in iudicijs alterationem, ſolam Moyſi atque Aaronis obedientiam detrectabāt. Vos vero præter ſummam temeritatem, veteriſq́ Eccleſiæ contemptum; ad quem cœtus veſtros omnes nequiter aſſuefeciſtis, etiam religionis totius, vti vidimus, perturbationem transformationemq́ extremam induxiſtis. Quanto igitur eo quoque nomine crimen Apoſtaſiæ veſtræ inſolentius, illo, quanto eiuſdem vltio maior?

1\. Iota vnum non patitur ſibi moueri Deus. *Matth.* 5.

Etenim ſi tanti facit Deus, ea quæ fidei ſunt, ac religionis ſuæ, vt cœlum citius terramq́ ruitura grauiſsimè aſſeueret, æterna veritas Chriſtus, quam vel verbulum legis vnum, imo vel literam vnam, eamq́ minimam inde excidere inaniter ſit ipſe paſſurus:

surus: quid de tam horribili ista vestra, non literarum solum, vel dictionum singularum, sed articulorum etiam fidei grauißimorum, imo religionis totius, eius quam vos inuexistis in Ecclesia, transmutatione sentiendum? quibus inquam oculis eam aspicere, qua mente tollerare, posse in vobis Deum putatis? quo terræ hiatu, qua non ad extremum usq; infernum præcipitatione persecuturum?

Sane etiam antiquorum hæreticorum nemo, & si vel vnum aliquem articulum solum in Ecclesiastica doctrina innouasset, cæteris plerisq; omnibus immotis, id impune tulit. Itaq; & propter solam pœnitentiæ iterationem negatam Nouatiani perpetuo fuere Anathemate perculsi, & propter solam cultus illius, quæ Sanctis Dei debetur improbationem, Vigilantiani perpetuo ab Ecclesia exclusi, & propter solam virium humanarum nimiam exaggerationem, cum gratiæ diuinæ depreßione coniunctam, Pelagiani perpetuo condemnati. Similesq; ob errores vel vnicos introductos alij, & pro hæreticis declarati paßim fuere, & reiecti penitus reprobatiq;. Nec euasere inde seueram vltionis diuinæ manum isti. At quanto isthæc vestra, præ omnibus hæresibus antiquis, audacia maior? quanto intollerabilior perturbatio fidei totius? Quomodo igitur non & vindicta vos diuina expectans omni ex parte maior? 2. Etiam vnius articuli hæresis damnabilis.

Nam & si propter scandalum, vni alicui vel puerorum minimo, allatum, tam grauem impendere cuius damnationem voluit Christus, vt præ ea Matth. 18. A. 6.

 satius

satius esse pronunciarit, etiam mola asinaria ad collum alligata, in profundum maris demergi; quod non malorum pelagus vobis paratum expectabitis, qui non vnum aliquem hominum solùm, sed tot etiam familias totas, tot vrbes, tot regiones integras imo amplissima regna vniuersa in tantam vobiscũ abstraxistis Apostasiam? in tantam voraginem damnationis præcipitastis?

Immanissimum fædus in diuina se immiscere.

25. *Quid? Vel sola ista vestra præsumptio tam immanis, qua absque omni Dei commissione, absq; legitima institutione, vti vidimus, contra omne etiã Exemplum eius, quem tantopere iactatis Baptistæ, in functiones Ecclesiæ omnium grauissimas inuasistis; qua vos pro verissimis Dei Ministris mundo obtrusistis, qua pro certissimis Dei Apostolis vos, seu legatis venditastis, qua remissionem peccatorum, qua omnem Christi gratiam, qua regnum cælorum ipsum hominibus promittitis, quin dare vos atque obsignare profitemini: quantam suppliciorum hyperbolen promereri apud Deum, iustum iudicem censetis?*

Saul sacrificans.

Nihil simile vestri, ne vmbram quidem attententauit aliquando Saul, primus Israëlis Rex, solam vnicam Sacerdotij antiqui partem sibi iniussus, assumpsit semel, vt sacrificium scilicet ipse absq; Samuele offerret, idque terrore repentino adactus, eò quòd in magna necessitate positus, & ab hostibus proprijs circumuentus ab omni alioqui populo suo, ex terrore dilabente, deserendum se formidaret, & tamen vel ob id solum peccatum, reiectus est à Deo, (1. Reg: 13.)

cum

cum tota progenie sua in æternum, ne regnum Israëlis amplius hæreditaret.

Ozias vero Rex, longe quid etiam eo in genere ausus videtur minus, non inquam mactare hostias, offerre sanguinem, cremare holocausta, attentauit: sed solum thuribulo præsumptuosè accepto, super altare Thymiamatis, adolere voluit Deo, iniussus incensum; princeps de cætero pius, ac religiosus totus: & tamen etiam ob eam temeritatem solam, subito percussus fuit lepra diuinitus, moxque è templo ignominiosè eiectus, ac tota inde vita sua in domo separata, tanquam abortiuum quid, ab omni consortio hominum communi, regnique etiam ipsius administratione remotus. Ozias thurificans. 2. Par: 26.

Quid? Oza licet Sacerdos ipse, nonné propterea solum etiam morte subitanea à Deo mulctatus fuit, quod temerario ausu arcam Dei, iam iamq; licet collabentem, irreuerenter contingere ausus fuisset? 3. Oza indecore arcã contingens. 2. Reg: 6.

Nadab vero & Abiu filij Aaronis vterque, ideoque & Sacerdotes iam legitimi, nonné igne etiã diuinitus immissò absumpti sunt, è vestigio, propterea solum, quod sacrificijs diuinis assistentes, ignem alienum præter præceptum Dei incenso adhibuissent? Et tamen quantula isthæc omnia, si cum vestra ista temeraria audacia, atque in diuinissima quæque absque omni authoritate, irruptione comparentur? Quanto ergo etiam periculum vestrum hisce maius? quanto peccatum enormius? quanto acerbior tale peccatum iuxta meritum suum consecutura Leuit: 11.

cutura pœna? Quæ regni inquam terreni amißio? quæ lepræ lues, fœdißima licet illa? qui repentini ignes, cum durißimo illo informi incendio, quod tantæ temeritati vestræ tot nominibus grauiori, impendet, poterunt æquiparari?

Oh igitur resipiscite tandem, & tam immanē istam temeritatem vestram, condignis pœnitentiæ fructibus, expiate. Deponite inquam laruam istā assumpti per summum scelus Ministerij vestri. Exuite atq; excutite à vobis fictum istud nomen Apostolicæ legationis vestræ, desistite distribuere, quos nemo vobis vnquam commisit, regni cælestis thesauros, ac munera; quin contra abijcite vos ad pedes verorum Dei Legatorum, quos sola habet Ecclesia nostra Catholica, eorumq; monitis, mandatisq; obtemperate; & pœnitentiæ talis sentietis fructum tandem, cuius vos nunquam pœnitere poßit.

Prophetæ non missi. *Sin pergitis omnino, & videri velle in diuinis, id quod minime estis, & id distribuere vulgo vestro, in cælestibus, quod minime habetis, & omnia denique ita diuina humanaq; permiscere, ac cœlum terramq; confundere. Audite quid pridem de vobis vestrisq; similibus constituerit Deus.* Hæc *inquit scriptura*, dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi. &c. In gladio *(inquit)* & fame morientur Prophetæ illi. Et populi quibus prophetant erunt proiecti in vijs Hierusalem, præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos. *Et alibi.* Væ vobis legisperitis quia tulistis clauem scientiæ

Hiere: 14. *Luca 10.* *Matth: 23.*

ſcientiæ (*à veſtris videlicet, & præ veſtris cœtibus*) ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. *Et tandem.* Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ; & quis vobis demonſtrabit, fugere à ventura ira? *Matth: 3.*

AD CATHOLICVM LECTOREM.

Quoniam legatio Ioannis de præparandis Domini vijs, etiam noſtrum tangit quemuis, non poteſt ea ſine graui ſcelere, cum tantus ſit ipſe Ioannes præteriri.

26. *AD extremum te quoq; Catholice lector hinc peculiariter tui officij monitum fieri par eſt. Vides primum temerarios Miniſtrorum conatus omnes Chriſtianæ modeſtiæ ac vocationis limites, nimium, ſimulata Ioannis Baptiſtæ imitatione, prætergreſſos. Horreſce igitur ac refuge impios auſus, nec vllis te ipſorum pollicitationibus, quantumuis Chriſti ipſius ac verbi diuini nomine ingeſtis, in fraudem abduci patiare.* 26.

Verum ne in eo totum tibi poſitum putes ad ſalutem, quod mendaces hoſce Dei nuncios auerſere; niſi veros etiam eiuſdem legatos, plena obſeruantia admittas audiaſue, atq; illum in primis, de quo totum Euangelium præſens, quo inquam, maiorem ante ea tempora, neminem vnquam ablegarat ad homines Deus, Ioannem Baptiſtam. Sicut enim v-

bi longum tibi præ foribus est iter; minimum est ad terminum propositum attingendum, fallaces viarũ duces refugere; nisi legitimos etiam ac veraces consequare: ita & in hac via salutis, in quam ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, comes nobis datus est Ioannes, vsu venit.

Luca 1.

Verè legatus Dei Ioannes.

Illud igitur hic tibi primum serio attendendũ, verissimum Dei nuncium fuisse Ioannem, nec proprio suo nomine tentasse quicquam, in omni prædicatione sua, sed Dei Domini sui mandata mera attulisse. Id testatur Euangelista expressè. Fuit homo missus *inquit*, à Deo cui nomen erat Ioannes. *Id pridem prædixerat Propheta ipso Christo interpretante;* Hic est enim *inquit Christus*, de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Id confirmat etiam alibi sacra scriptura:* Factum, *inquit*, est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptisma pœnitentiæ. *Deniq; ideo Angelus Domini, vti vides, à Propheta vocatus fuit, non vtiq; natura, qui filius fuit Zachariæ: officio igitur. Hoc enim ipsum est Angelum eum fuisse, hoc est nuncium, siue legatum Dei, & quidem eum singularem, atq; ad Angelorum instar, omni communi hominum genere excellentiorem.*

Ioã: 1. A 6.

Matth: 11.

Malach: 3.

Luca 3. A.

Maximus Dei legatus Ioannes.

Iam ergo & hoc ipsum tibi expendendum est accuratius, quantum eum esse voluerit ad dignè obeundum hoc Angeli munus, Deus. Omnia insolitis plena

tis plena miraculis circa ipsum esse constituit, iam ab ipsa conceptione eius, & quidem illustrißimis illis ac toti mundo notis. Non aliam ei elegit matrē, quam & anum annis, & sterilem ipsa natura. Nō alium patrem, quam & ipsum extrema iam & decrepita senectute impotentem. Antequam conciperetur in vtero, ab Angelo id denunciari primum voluit parenti, nec ab alio quam Gabriele illo, per quem eundem etiam Saluatoris ipsius conceptum, prænunciaturus erat Virgini Matri. Cum paulo tardior esset ad fidem Angelo adhibendam senex pater, loquela eum priuari voluit, idq; in templo, vt publice pateret omnibus, insolitum quid ac plane diuinum, ipsi ad altare accidisse. Eundem vero simul ac natus erat puer, ac Ioannes vocitatus, restitui rursus in integrum voluit, vt omnibus constaret recens nati occasione id factum. Cum maternis adhuc latitaret clausus visceribus, visitari à Christo voluit, & ipso adhuc in vtero latente; ac insolitis plane muneribus cumulari; agnosci inquam ab eo præsentem Christum, præter omnem ætatis captum, gauderi propterea, imo exultari, adeoq; ipsam etiam inde matrem repleri cælestibus donis. Vix natus cum esset, ita sibi eum in perpetuum assumpsit dedicauitq; Deus peculium, vt Spiritu Sancto eum repleret adhuc ex vtero matris suæ, nec vnquam inde vsq; in finem singulari destitueret gratia sua.

Luc. 1. A. Luc. 1. 8. C. Luc. 1. B. Luc. 1. F. Luc. 1. B. 15.

Exinde vero quicquid vspiam maximis Sanctorum, amicorumq; suorum gratiæ contulit vnquā Deus, itidem & isti cumulatißime voluit concessum; & ita

Quæ in alijs Sanctis fuere Dei dona singula; in Ioanne sunt simul ōnia.

& ita quidem vt quæ sigillatim eluxere dona Dei in alijs singula, eadem in vno isto, omnia simul illustrissima voluerit eminere. Itaq; *quicquid fere in omni Sanctissimorum hominum genere, qui vnquam fuere in orbe hoc, admiramur separatim; id in vno Ioanne præclarissimè accumulatum videmus.*

Patriarchæ. *Magna quondam fuit Patriarcharum laus, quod populum Dei quem fœcunda corporum procreatione mirè multiplicarant; simul omni virtutum religiosarũ, & studio exercitioq; præiuissent, & erudissent exemplo: Ioannes Patriarcha, & exemplar fuit religionis omnis nobilissimum, & quod corporum multiplicatione non præstitit, id in animarum salute plurimarum procuranda, copiosissime suppleuit,* conuertendo, *vt Angelus prædixerat*, multos filiorum Israel ad Dominum Deum ipsorum. Lucæ 1.

Prophetæ. *Magna fuit in Prophetis, scientia rerum diuinarum, profunda cælestium Mysteriorum, ac rerum futurarum intelligentia; ingens prædicandi ac populos erudiendi feruor: Ioannes & Propheta fuit, & Christo ipso teste, plusquam Propheta, vtpote qui diuinorum mysteriorum omnium maximum, (Christi inquam incarnationem) & in vtero adhuc materno præsensit; & diuinitus post modum inter primos, voce delapsa cælitus, recognouit; & coram deniq; primus mundo ostendit ac digito demonstrauit.* Ioan: 1. D.

Apostoli. Martyres. *Magna fuit Apostolicæ vocationis dignitas, amplissimum efficacissimumq; in populorum plurimorum*

morum eruditione, regeneratione, reconciliatione, Confessores.
Ministerium: Ioannis tanta in eodem genere fuit Heremitæ.
efficacitas, vt attraxerit sua prædicatione ad se in Virgines.
desertum vsq; & Ierosolimam *vniuersam, &* Iudæam omnem, *& omnem* regionem circa Iordanem, *qui &* baptisabantur ab eo annunciantes peccata sua. *Magna deniq; fuit fortissimorum Martyrum constantia, magna Sanctissimorũ Confessorum vitæ innocentia, magnus seuerissimorum Anachoretarum rigor ac pœnitentia, magna castissimarum virginum ac perpetua puritas: Ioannes æque & Martyrij certamen inuicto animi robore obiuit; & summa probitate ac sanctimonia totum vitæ suæ cursum, iam inde ab extrema infantia, peregit, & heremicolarum omnium ipse tum primus fuit, tum austerissimus maximusq́; & quã ex ipso materno vtero extulerat corporis integritatem, eandem ad supremum vsq; halitum inuiolatam conseruauit. Deniq; tantus fuit & in diuina, & in piorum omnium hominum opinione, vt grauissime aliquando illud de eo pronunciarit Christus, idq; solito sibi quasi iuramento:* Amen dico vobis, nõ surrexit inter natos mulierum, maior Ioanne Baptista. *Talis igitur ac tantus Dei nuncius Ioannes, tantus legatus.*

Math. 3. / Math. 11.

27. *Et quidem quod maximopere hic ad rem facit, ideoque vel cum primis cordi habendum est, ad nos quoque eadem illa legatione sua missus. Neq; enim vna cum vita ipsius, terminum simul accepit legationis istius prædicatio, de præparanda domini* 27. Ad nos hodieq; legatus Ioannes

 via,

via, rectisque faciendis semitis eius. Quamdiu homines erunt, quos, secreto suo in corda ipsorum aduentu, visitare ac beare debeat Christus: tam diu vigebit etiam illa Ioannis missio, ad corda eorum Domino aduentanti præparanda instituta.

Neque enim alia salus, quã hodie expectamus à Christo, ab illa quam in vita sua præ foribus esse nunciabat Ioannes: neque alius Christus hodie, ab illo qui tum appropinquabat, sed vt scriptura loquitur: IESVS Christus heri & hodie, ipse & in secula. *Neque alia igitur etiam, quæ nunc in nobis requiritur dispositio, ad eundem Christum cum suã salute recipiendum, ab illa quæ tum requirebatur. Itaque non minus etiam te nunc, quisquis es, Christiane lector, tangit isthæc Dei legatio, qua Ioannes fungebatur, quam olim dum viueret ipse, mundum tangebat. Quod vel inde satis colligi datur, quod non aliam ob causam, toto isto aduentus sacri tempore, Ecclesia toties tibi ingeminet repetatque in Euangeliorum lectione, huiuscemodi Baptistæ missionem.*

Hebr. 13.

Tantus legatus Dei clamat.

Iam hoc ipsum ergo tu obsecro mecum paulo meditare attentius. Deus ecce ipse est, qui mittit legatum hunc suum in mundum, & eum mittit quo maior ante ipsum nemo extiterat vnquam, & ad te mittit, & quidem eum alta voce clamantem mittit, ac vociferantem, vt in hoc Euangelio vides, non aliter describi totum legationis istius munus, quam quod sit: Vox clamantis in deserto, dirigite viam domini. *Quid tu ergo ad ista? An non vel*

Ioan. 1. C.

ex eo

ex eo ſolo animaduertis, ſummum rerum momentum, de quibus agitur, quamque meritò obſequentiſsimas præbere debeas aures, voci tibi iſta inclamanti; vt ſerio tandem te applices ad præparandas Domino aduentanti vias tuas.

Si virum quemcunque grauem ſorte videas petentem; ſiſtis tu vtique & intelligere geſtis, quid te is velit. Si vero etiam eundem inſolito aliquo vel geſtu, vel clamore, à longè iam animaduertas attentionem tuam concitantem: longè etiam magis intendis quid ferat. Quod ſi ad hæc omnia, intelligas à Rege Domino tuo venire ablegatum, cum mandatis ad te; & quidem ipſummet Regem Dominum pone ſecuturum, qui interim poſtulet hoſpitium ſibi parari à te: id enim ſi facias, ſaluti tibi maximæ venturum; ſin negligas, extremum te periculum quodq; ſubiturum; an non tum tu meritò, omni diligentia exſilias, omnibuſque alijs curis poſt habitis, vni ei rei intendas, vt tam iuſtæ ſatisfacias Domini tui voluntati.

*At nunc ecce, non quiuis eſt vir grauis, qui te petat, ſed is omnium hominum qui ante ipſum fuere ex maximis: non quouis te modo petit, ſed eo clamore quo potuit maximo, ita vt totus in vocem, tibi altiſsime inclamantē conuerſus videatur. (*Ego enim vox, *inquit rogatus, vt omnino profiteretur quis eſſet) nec proprio id motu fecit, ſed Dei ipſius optimi maximi, qui per illum loquitur, mandato. Ideo enim non tantum vox ipſe clamans, ſed* vox clamantis, *videlicet per ipſum Dei appellatur, ideò* prophe- Clamat Dei nomine Ioannes.

propheta altissimi, *ideo* homo missus à Deo. *An vero fieri omnino potest, nisi grauissimum esset negotium, de quo agitur, tali vt ratione tibi isthæc denunciarentur? Quid igitur tu tandem? non mouebere? non excitabere? non manum debitæ viarum tuarum præparationi, ad Dominum tuum excipiendum, admouebis? Maxime vero cum id totum tui solius causa non domini; tuæ inquam propriæ salutis, propriorum tuorum commodorũ gratia, non Domini ipsius; & susceptum sit à Domino, quod aduentet, & in te suscipiendum requiratur, vt viam pares.*

28. 28. *Profecto si ad tales tu quoq; tantosq; legationis huiusmodi clamores, pergis salutem tuam negligere: non ego te iam surdastrum dicam tantum in anima tua, sed obsurduisse penitus; nec aures habere amplius audiendi quicquam, quod salutare sit futurum: non dormitare te tantum dicam, in rebus salutis tuæ, sed penitus esse emortuum; nec posse non grauissima te indè consequi detrimenta. Ita enim iam non solum expertem salutis illius omnis, necesse est te manere, quam suo tibi aduentu hactenus allaturus erat Christus; sed & tantæ ignauiæ obiectis impedimentis, longe etiam difficiliorem tibi iam factam esse viam, in posterum omnis adeundæ salutis.*

Neq; enim fieri *aliter potest, qui nouo isthoc tantæ negligentiæ crimine, & animus ipse tuus indies obsurdescat etiam magis, ad omnem sensum diuinæ inuitationis percipiendum; & Christus ipse*

omni

omni momento longius à te longiusq; gratia sua, quā tibi oblaturus erat, retrocedat. Sicut enim qui appropinquant Deo, vt Iacobus testatur, ijs vicissim etiam sese propinquiorem reddit Deus; ita qui longius indies recedunt àDeo, etiā ab iisdem longius sese gratia sua vicissim remouet Deus. Longè enim à peccatoribus salus, *vt scripturæ docent*, quia, *inquit*, iustificationes tuas non exquisierunt. *Iacob. 4.* *Psal. 118. v. 155.*

Nec mirum istud, Ex te ipso id existimare potes. Tu enim si forte mittas nuncium quempiam singularem tuum, ad familiam propriam tuam, quiduis ei denunciaturus, si forte spernaris, non offendare? idq; etiam magis, si forte non quæ è re tua sunt propria, sed quæ ipsimet saluberrima futura denunciaris? Quanto ergo iustius Deum offensum iri, credendum est; si talem hanc, per tantum virum, tibi factam legationem salutis contemnas? Nam ea quidem ipsum vel maxime habere cordi, ex ipso isto clamore, de quo diximus, concludi potest. Neq; enim sine grauissima causa, vox est clamantis in defunctione legationis istius suæ, Ioannes; sed idipsum certissimo nobis indicio esse debet, tam serio hanc à nobis præparationem, viarum Domini requirere Deum; quam illud cuius est cordi maxime, pro quo vocem suam, cum clamore valido vel maxime quandoq; intendit.

Exurge ergo ô bone, & vel hac ipsa die incipe, obsequentes præbere aures tanto Dei legato. Hodie *enim etiam certe*, si vocem Domini audieritis, (*quam nos quidem hoc tempore non audimus* Grauis noxia clamātē Dominum spernere. *Psal.94.B.*

dimus ſolum in Eccleſia, ſed & clamantem audimus) nolite, *inquit,* obdurare corda veſtra. *Qui enim aliter fecere aliquando in deſerto, in eam tandem incidere iuſtiſsimam condemnationem, vt ijs iuraret Deus, non intraturos ipſos in requiē ſuam. Quod ſi etiam ad iſthæc omnia ſorte ita obſurduiſti corde, vt nil te iam eorum moueat, audi tandem quantam vltionem, etiam in hoc mundo talis legatorum Dei neglectus, quondam pepercrit antiquæ illi Iudæorum genti.* Mittebat, *inquit ſcriptura,*

3 Paral. 36. Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manus nunciorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens; eo quod parceret populo & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei, & parui pendebant ſermones eorum, illudebantque prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio. Adduxit enim Deus ſuper eos Regem Chaldæorum & interfecit iuuenes eorum gladio, in domo ſanctuarij ſui, non eſt miſertus adoleſcentis & virginis, nec decrepiti quidem, ſed omnes tradidit in manibus eius. *Sic ille. Tantum nimirum eſt apud Deum, tantamque ſecum trahit etiam in mundo hoc damnationem, contemnere legitimos nuncios ac legatos Dei, eorundemque monita ſalutaria, clamoreſque ad pœnitentiam inuitantes, ſurda aure præterire.*

ANNO-

ANNOTATIO LOCORVM VARIORUM, quæ circa ea quæ diximus tractari possunt.

Primus Locus.

Secessionem ab Ecclesia facere, immane est scelus. Tale est Ministrorum, cum id & à Ioanne Baptista primum, & inde à Christo Apostolisque in antiqua Ecclesia studiosè sit declinatum.

Pertinet ad Euangelium Dominicæ huius locus hic quatenus de Ioannis Officio & Missione in eo disputatur. Vide supra n. 2. 3. 4. 5. Item n. 11. &c.

29. Q*Vantam ab Ecclesiæ Catholicæ obedientia separationem fecerint Ministri nostri, foueantque etiam hodie septentrione hoc toto; clarius est quam vt multis commemorari debeat: nec minus iam ex superioribus manifestatum est, quomodo eam exemplo Sanctissimi Baptistæ, colorare conentur. Sed* N. 3. 4. 5. *quam inaniter nequiterque & ipsum, multis iam docuimus argumentis.*

Potest vero idem etiam plenius inde confirmari, quod summũ quod in hoc genere fecisse videri potest Ioannes, in eo fuit (in quo quidem eodem etiam summa erat totius legationis ipsius) quòd & populum vniuersum, & suos particulariter discipulos, ad Christi agnitionem coniunctionemq́; tandem studuerit

Nullam Ioan. secessionem ab Ecclesia fecit.

studuerit aggregare. Hoc eius erat officium supremum: Venit *enim* in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. *Hoc illa discipulorum ad Christum ex carcere missione intendit dum quæreret.* Tu es qui venturus es &c. *Hoc illa sæpius iterata Christi commonstratione:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioan.1.n7 *Matth.11.* *Ioan.1.D.*

Nullã Christus.

At Christus ipse, licet tandem legem antiquã totam esset euacuaturus, attamen & vita sua tota per se, & toto reliquo tempore eo, quo templum adhuc stetit in sacrificijs suis integrum, per Apostolos, studiosissimè cauit omnem ab obedientia ordinaria, in ijs quæ templi erant Iudæorum, seiunctionem. Vidimus de persona Christi in superioribus; idemq; clarissimum fit ex eo, quod disertè testetur ipse & cum solita veritatis suæ attestatione suo iuramento, *non venisse se soluere legem sed adimplere; idq; tam fixum sibi esse, vt citius totum ruere possit vniuersum, quam minimus de lege apex, donec integrè impleantur omnia. Porro non ante impleta fuere ista quam cum in cruce id ipse magna voce testaretur exclamans:* Consummatum esse.

N. 5. *Matt.5.B.* *Ioan.19.*

Nullam Apostoli. *Matth.28.*

Exinde iam sensim quidem discedere poterãt, ab cæremonijs illis Apostoli, id quod etiam veli scissione in templo, à summo vsq; deorsum facta, eodem quo Christus expleuerat omnia, momento, designatum erat. Attamen ne sic quidem, vt scandalum omne effugerent, id subito attentarunt. Ideò primi etiam Christiani, licet essent perseuerantes in do-

ctrina

ctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis,& orationibus per domos *(quæ prima erāt Ecclesiæ illius Christi exercitia propria)* *attamen etiam sic quotidie* erant perdurantes vnanimiter in templo. *Ideo neminem gentium in præputio suo ante admisere ad Baptismum, quam noua ad id Petrus visione ac miraculo diuinitus excitatus fuisset. Et gentes quidem exinde recepêre, nec tamen Iudæos absoluêre penitus ab obseruantia templi illius.* Act.10.A.

Id quod satis inde constat, quod longe post, vix decem ante bellum Iudaicum vltimum annis, cum Paulus vltimo Ierosolymam appulisset, à Iacobo monitus fuit, omnes, multorum millium qui erant Ierosolymis, fideles, magnos simul æmulatores esse legis, ideoque ne scandalizarentur etiam Paulo contestandum re ipsa esse, se à legis ceræmonijs nec dum defecisse. Nec grauate obtemperauit Paulus, re ipsa ostendens, non tam Iudæos fratres se à legis obseruatione, illucusque abduxisse, quam præcauisse ne gentes conuersæ, præter debitum, ad eandem seruitutem adigerentur. Nullam Paulus. Act.21.D.

Post demum, quando iam & templum ipsum desolatum & populus Iudæorum totus penitus à Romanis dispersus subactusque fuit; tum & Christiani omnes plenam ab omnibus templi illius ritibus secessionem fecere. Tanti nimirum fuit tum Christo ipsi, tum Apostolis eius, tum ante eos Ioanni Bapistæ, omne cauere scandalum scisionis. Nihil ergo hinc habent prorsus Ministri impij, quo tam

immane illud ſuum ſchiſma tueantur, fallax ſictumque eſt, quicquid de Ioanne eo in genere comminiſcuntur.

Nefas diſiũgere Eccleſiam.

Quàm vero grande eſt neſas iſtorum, tantam mundo inuexiſſè diſſòciationis peſtem? Quam audax facinus? Non tunicam ſolum Chriſti inconſutilem
Ioan:19. E *illam, & deſuper contextam per totum (quod impij etiam milites refugêre) ita impie diſcindere aggreſſi ſunt: ſed & corpus ipſum Chriſti ſpirituale eius frangere, ac diſſòciare ſunt auſi; contra & figuram agni Paſchatis expreſſam, in qua illud pecu-*
Exodi 12. *liariter cautum erat, vt ne os aliquot comminuerent ex eo, & ipſam Chriſti in cruce exiſtentis reuerentiam, quam ijdem milites ei detulere, non auſi*
Ioan: 19. F *contingere crura eius, vt quod alijs fecerant concrucifixis, ea comminuerent. Et quanta igitur id etiam diuina animaduerſione dignum?*

n. 24.

Scandali alij gradus.

Vidimus de his nonnulla ſuperius, ſed eadem etiam plenius poſſumus inde exiſtimare, quod & primum graue ſit & damnabile peccatum, quenquam pro ſe ab obedientia ſacrorum ſe abſtrahere.
1. Reg: 15. Melior eſt enim obedientia quam victima,
Matth: 15. quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus. Idololatriæ nolle acquieſcere. *Et ſecundo, longe id grauius eſt, dum idem ita admittitur, vt etiam in exemplum trahatur aliorum.* Væ enim mundo à ſcandalis, *inquit Dominus.* Neceſſe quidem eſt, vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. *At longe tertio grauiſſimum,*

ſimum, dum infinita etiam multitudo, ſimul in eandem perditionem proturbatur.

Tragica extant eius rei exempla complura in antiquis Iſrahelitis, tum cum paulò ante educti ex Aegypto, per deſertum adhuc vagarentur. Vbi quidem cum intra primum biennium decies in ſimilem incidiſſent inobedientiæ ſeceſſionem, ac variè propterea nunc igne mulctati, nunc gladio, nunc ſerpentibus ignitis, nunc alijs atq; alijs formis varijs, ne ſic quidem intra modeſtiæ terminos ſe continerent; ſed ad extremum, etiam ſeparationem à Moyſe vniuerſalem molirentur: eo tandem iuſtiſſimi furoris promouêre Deum, vt ſubita peſte tollere iam conſtitueret vniuerſos, ſuſtuliſſetq; adeò ni Moyſes deprecans ei ſe medium obieciſſet. Nec tamen ſic etiam effugêre debitam vindictam. Authores enim ſchiſmatis illius omnes, repentina fuere morte in conſpectu omnium proſtrati. Plebs vero reliqua etiam tota, quæ vigeſimum ætatis annum exceſſerat, totis annis 40. exilio damnata, donec tandem perirent in deſerto omnes, duobus ſolis exceptis. Ioſue nimirum, & Caleb, qui in obedientia debita ſuperiorum ſuorum ſoli perſtitiſſent.

Iudęorum in deſerto defectio.

Num: 14.

Num: 14.

Num: 14.

Secundus Locus.

Longè grauiſſimum facinus eſt, ſimul & ab obedientia Eccleſiæ deſciſcere; & ipſam fidei doctrinam temerare; quod fecere Miniſtri, cum inde Ioannes longiſſimè abfuerit.

Pertinet ad Euangelium præsens locus hic, eodem quo superior Iure.

30. *SI tantum est flagitium schisma solum in Ecclesiam inducere, quantum vidimus; quanto maius illud erit, idem cum summa doctrinæ totius perturbatione innouationeq; inferre; hoc est schisma etiam ipsum, cum multifariis hæresibus permiscere? Quanto vero etiam Ministrorum audacia maior, qui vt tale suum idq; grandissimum schisma colorarent, etiam Ioanni ipsi secessionem, cum summa rituum Ecclesiasticorum ac doctrinæ immutatione, coniunctam affinxere? Nam Ioannes quidem ipse, si tam studiose omnem etiam separationem ab Ecclesia æque ac Christus ipse refugit, quanto magis eam, quæ cum tali doctrinæ, confusione connexa erat.*

Ioannes similis religionũ in Ecclesia Patriarcharum. *Sane quidem si paulò attentius expendamus institutum Ioannis totum, non longius eum in omni sua separatione progressum inueniemus, quam quo religiosorum ordinum quorumuis in Ecclesia* Vide n. 24. *Catholica institutores primi fuêre progressi, hodieq; progrediuntur; qui propterea etiam hodie libenter profitentur, à Ioanne se sumpsisse exemplar institutorum suorum prope omnes, quos tamen, qui ideo secessionis ab Ecclesia insimulandos putet, nihil certe aliud lucretur, quam vt se in media luce cæcutire sponte insinuet; cum neq; Ecclesia ipsa vllos habeat, vel obsequentiores filios in omni populo Christiano, vel chariores, neq; ipsi vicissim quicquam æquè laborent,*

horent, quam vt in vnitate fidei eiusdem Christianos vniuersos contineant, atq; omnem ab iis hæreticam arceant dissipationem.

Sicut igitur omnes religionum authores, in seipsis primum nihil aliud intendunt, quam vt seueriorem pœnitentiæ exerceant disciplinam; ita aliud in heremitica illa palæstra Ioanni institutum nullum fuit. Sicut vero iidem inde nihil æque habent in votis, quam vt ad serium pœnitentiæ studium, vna secum etiam excitent mundum quantum possint totum: ita ne Ioannis quidem alia quam pœnitentiæ prædicatio fuit. Sicut deniq; iidem, quo tanto plures, ad omnem Christianæ pietatis exercitationem, vna secum excitent, quoscunq; possunt etiam præterea peculiariter sibi adiungunt, eiusdem propositi socios, eosdemq; quam proximos queunt suæ seueritatis sibi faciunt imitatores, qui inde & ipsi religiosi vocantur, quiq; vel exemplo, vel prædicatione, alios porro ad emendationem vitæ omnem promoueant: ita & Ioannes certos sibi quosdam discipulos, præ cæteris electos asciuit; quos seueriore imbuit quodam pœnitentiæ rigore, per quos etiam alios postmodum Deo facilius lucraretur. Atq; hi sunt, qui passim discipuli Ioannis in Euangeliis vocantur. Aliam præterea seiunctionem ab Ecclesia nullam serunt religiosi nostri, aliam nullam mouit Ioannes. Quam vero differentes ab his Ministrorum nostrorum in Ecclesia conatus, in secessione sua? Matth: 9. Matt: 11. Matt: 14.

Verum vt tanti istius sceleris istorum maior apparcat turpitudo, illud perpendendum diligentius: Nefas fidē Ecclesiæ temerare.

Vide n. 24. *nihil malorum omnium quæ Schiſma quoduis ſecum trahit, non ineſſe etiam tali à fide defectioni; ſed præter ea, alia etiam longe grauiora, eam detrimenta comitari. Nam Schiſma quidem Charitatis atque obedientiæ conſociationem ſolum diſſoluit; at iſthæc apoſtaſia, præterea etiam ipſam fidei Catholicæ conſenſionem vnionemque diſtrahit diſsipatque, ideoque iugulum ipſum petit, & quaſi cor ſalutis, Cui quidem, quo plures negantur grauioreſque fidei articuli, eo plura quaſi lethalia quædam vulnera infliguntur. Cum igitur antiquam iſti Eccleſiæ fidem, ſub nomine impij Antichriſtianiſmi, quaſi funditus conati ſint extinguere, idq; in infinita hominum multitudine, quam ſecum ſeduxere, ſint executi: teterrimam certe peſtem ac perniciem animarum inæſtimabilem, importauiſſe ſunt exiſtimandi.*

Ieroboami ſeceſsio. *Simile quiddam, licet longe impar illud, in nefaria illa Ieroboami defectione animaduertere licet; dum is quale quid iſti in pluribus, iiſq; ampliſsimis Aquilonijs Regnis integris, admiſere, in vnius Regni Iſraelitici bona parte impie introduxit. Dum inquam decem Iſraelis tribus, non ab obedientia ſolum Hieroſolymitani Sacerdotij abiunxit, (quod Schiſmatis fuiſſet proprium, non hæreſis) ſed ipſos etiam ſacrificiorum ritus, & totius Sacerdotij formam immutatam induxit; vitulos illi duos aureos, loco vnius veri atq; immortalis Dei adorandos proponens, Cuius quidem flagitij, eas etiam in hoc mūdo pœnas tulit, quas impijſsimi quique ſolent; nempe vt deleretur funditus progenies eius tota de terra,*

iuxta

iuxta illud Prophetæ vaticinium. Hæc dicit Dominus Deus Iſráël, &c. Eccce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum & nouiſſimum, in Iſrael, & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus, vſq; ad purum. Qui mortuus fuerit de Ieroboam in Ciuitate, comedent eum canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli, quia Dominus locutus eſt. 3. Reg. 14.

Tertius Locus.

Nefas eſt abſq; commiſſione legitima in munia ſe diuina ingerere, Ioannes nihil tentauit non miſſus, Miniſtri omnia.

Pertinet ad Euangelium hoc, locus hic, eodem nomine quo proximi, Vide ſupra n. 8. &c.

31. *NE in rebus quidem humanis, fas eſt in vlla negotia alienæ domus abſq; patris ipſius familias commiſſione, ſe immiſcere. Quanto igitur minus in domo Dei? Certe qui in domo tua, quiſquis es, abſq; mandato tuo quicquam vel donare, vel remittere, vel immutare, vel conſtituere auderet; eum tu non ſolum nihil egiſſe cenſeres, irritum pronunciando quidquid is ea ratione attentaſſet: ſed &* 31. Nefas aliena ſibi iura aſſumere.

teme-

temerariæ cuiusdam audaciæ condemnares; idq; tanto magis quanto grauioribus in rebus ille huiusmodi sibi arrogasset facultatem. Quanto vero id magis in diuinis Ecclesiæ Dei muneribus, locum habere censendum est; vt absque Dei vocatione, & inanis sit omnis conatus humanus, Dei ipsius nomine susceptus; & idem grauissima condemnatione dignus? Itaq; nihil Ioannes, omnium, quæ fecit in Prophetiæ suæ functione, aggressus est absque debita ad id Dei commissione, (vti vidimus n. 9, 10. 24.) Contra vero Ministri nostri in Ministerio suo omnia, vti æque vidimus & ipsum, n. 15. vsq; 19.

Veri Prophetæ omnes missi.

Sanctus quidem Spiritus tam illud necessarium indicauit, vt propterea in scripturis sacris, ad singulos prope vel Prophetarum libros, vel Apostolorum epistolas, nominatim illud exprimi voluerit, à Deo scriptores illos ad id missos fuisse, quod prædicabant. Itaq; videre est in omnibus prope Prophetis, in ipso initio illud præponi. Visio Isaiæ filij Amos &c. Quod factum est Verbum Domini ad Hieremiam &c. Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi. &c. *Similiter in omnibus fere epistolis Apostolorum;* Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei &c. Paulus Apostolus, non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem. &c. Iacobus Dei & Domini nostri IESV Christi seruus &c. Petrus Apostolus IESV Christi electis aduenis. &c.

Isa: 1. A 1. Hier: 1. A 2. Ezech: 1. Rom: 1. A 1. Gal: 1. A 1. Iacob: 1. 1. Pet: 1.

Dicent

Dicent Ministri, non opus se habere vlla potestate diuina, aliunde petita; scripturas sibi esse loco omnis necessariæ missionis, ex ea se petere iura sua omnia. Verbum enim Dei esse ipsis loco omnium. Ideo enim etiam Prophetas illos non aliud præmittere quam. Factum est verbum Domini ad Hieremiam, Ezechielem, Isaiam, &c. *Ideò & de Ioannis vocatione, nihil aliud dici quam:* Anno quintodecimo Tiberij Cæsaris &c. Factum est verbum Domini supra Ioannem Zachariæ filium in deserto.] *At vero primum in hisce insignis est amphibologia Ministrorum, immanis deceptio; nempe quia ad vnam scripturam ipsi pridem alligarunt omnem latitudinem verbi Dei, suisq; penitus persuasere, vbicunq; fit mentio verbi Dei, non nisi sacras literas intelligi, idcircò & in hisce locis non nisi scripturam accipiendam existimãt, cum sit luce clarius, longe hic aliud significari. Quas enim scripturas potuit intelligere vel Isaias, vel alius quiuis Prophetarum, cum diceret.* Visio Isaiæ, aut Factum est verbum Domini ad Ieremiam &c. *An tum vel libros Moysi illi citabant? vel Iosuæ, vel Iudicum, vel primum aut secundum Regum? vel Iob vel Psalmorum, similemvé alium quempiam, ex iis, qui soli tum in Bibliorum, quæ nunc habemus codicibus extabant, vt inde significarent suam se vocationem ad Prophetandum accepisse? an non potius contra illud insinuabant, non minus se ab eodem Deo missos ad scribendum, quæ ipsi scribebant, quam ipse Moyses quondam ad scribenda sua fuerat missus?*

Vcrũ ex scripturis hauriatur diuina missio.

Luc. 3. A 1

Quale verbum Dñi sit quo missi Prophetæ dicuntur.

Quid vero Apostoli? cur ij initio Epistolarum suarum, ne mentionem quidem faciunt verbi Dei, ad se facti, scripturarumué sed simpliciter se Apostolos hoc est legatos, ac nuncios IESV *Christi appellant? an illud ij etiam significare eo exordio suo volunt, ex scripturis antiqui testamenti, (quæ solæ tum habebantur diuinæ) suam se missionem accepisse? quid ipse de quo agimus Ioannes? An forte ex literis sacris is hausit propriè vocationem? Quod vero verbum illud scriptum, aut quale fuit, quod factum est ad eum in deserto? Dicent fortasse, vel illud Isaiæ vaticinium.* Vox clamantis in deserto. &c. *vel illud Malachiæ.* Ecce ego mitto angelum meum, &c. *At negat Lucas ipse, de tali se verbo loqui. Id enim de quo ipse meminit, nominatim dicit, & in deserto factum, & immediate ad Ioannem, qui tum erat in deserto factum, & anno demum quintodecimo Tiberij Cæsaris factum. Quæ vero scripsere Prophetæ illi, ea & ipsismet immediate facta verba fuerant, & Hierosolymis facta, & quidem quod vterq; exprimit:* In diebus *vel* Ioathan, *vel* Achaz, *vel* Ezechiæ regum Iuda, factum *hoc est totis prope 600. vel 700. annis, ante Tiberij regnum. Denique non aliud significauere prophetæ illi, quam fore aliquando tempus, quando Deus missurus esset talem angelum suum, qui vox esset quædam clamantis in deserto &c. non vero ipsos, se vel potestatem eam mittendi talem à Deo accepisse, vel nomine Dei iam tum mittere Ioannem, post tot annorum centurias nasciturum.*

Quo verbo Dñi missus est Ioannes.

Isa.14. A3

Malach.3

Esa.1. A1.

Mich.1. A

Longe

32. *Longe igitur aliud verbum intelligit Lucas,* 32.
Nempe omnis missio diuina, per verbum Dei, quod Verbo Domini omnis
fiat ad eum qui mittitur, necesse est vt perficiatur, missio peragitur.
idque etiam hodie constet oportet, in omni legitima vocatione. Sed verbum illud non scriptura sacra est, verum in ordinaria quidem missione, illud est; quod loquitur Deus, per legitimos Ecclesiæ suæ pastores Episcopos, quibus illa data pridem facultas Matth. 18
est, similibus in negotijs, vt quicquid soluant ipsi in terris id ipse ratum habeat & in cælis. In extraordinaria vero illud, quod loquitur extra omnem ordinem, vel visibiliter seruis suis ipse apparendo, vel per angelos suos quiduis ijs denunciando, vel alioqui intrinsecus efficaciter illustrando excitandoque, ad quoduis opus nouum insigne in Ecclesiæ vtilitatem aggrediendum. Et tale fuit illud verbum, de quo Lucas, quod factum dicit in deserto ad Ioannem.

Et certe qui vel paulo accuratius secum ipse Scripturæ Sacræ.
expendat, sacrarum literarum conditionem, eamq; cum negocio hoc de quo agimus conferat, facile inueniet inanissimum esse, quod ita eas pro sua missione obtendant Ministri. Quam enim in vllo scripturarum libro potestatem diuinæ missionis inesse voluit Deus? Quis vero ille est vel antiqui vel noui testamenti codex, qui legitimos mittit Ministros, in in Ecclesiam Dei? quomodo vero scripturæ quenquam mittunt? Vnæ eædemq; scripturæ sacræ iam inde à mille quingentis annis fuere in Ecclesia, quę vnquam vel Sacerdotem, vel Episcopum ordinauere? quem

re? quem vel Apostolorum vel Euangelistarum creauere? An vero quicunq; legit scripturas, is iam eo ipso inde potestatem, & in Sacramenta diuina, & in fidei articulos omnes haurit? Iam ne inquam is, eo ipso & peccata remittere, Dei loco, & Sacratissimum corpus Christi conficere, & quiduis aliud thesaurorum cælestium, Dei nomine cuiuis impendere potest? Sane si hæc Ministrorum persuasio non extrema quædam mundi deceptio est; non video tandem quid deceptionis loco in rebus diuinis sit habendum.

Missio necessaria etiam ad prædicationem veram.

Ad extremum hic etiam duo ista diligentius obseruanda. Primo missionem diuinam esse necessariam, non solum vt Sacramenta quis rite in Ecclesia ac verè administret; sed etiam ad ipsam legitimã verbi diuini prædicationem. Asserit id Paulus apertè dum neminem vel rite credere sine prædicante, vel prædicare ritè sine missione posse affirmat.

Rom. 10. Quomodo enim credent, *inquit*, ei quem nõ audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?, quomodo vero prædicabunt nisi mittantur. *Id vero etiam ratio manifesta euincit. Impossibile enim est humano sensu profunda penetrare scripturarum;*

1. Cor. 2. Quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. *Opus est igitur assistentia Spiritus Domini singulari qua dirigantur* Ecclesiæ *pastores, & deducantur in omnem veritatem; etiam in ipsa scripturarum vel lectione vel interpretatione. Tale Spiritus San-*

ius Sancti donum, per legitimam Dei missionem Ecclesiæ communicatur. Quicunq; igitur missione legitima sunt destituti, quia id non accepere à Deo, ideoq; non possunt non in infinitos paulatim errores præcipitare credentes suos.

Duplex inconueniens dū sine missione diuinâ tractantur.

Secundo obseruandum, ex tali Missionis defectu in Ministris duo maxima inconuenientia consequi. Primum quia quicquid attentant Dei nomine, inane eo ipso reddatur necesse est; quod sine commissione legitima fiat. Neque enim id Deus, cum ipsis nunquam commiserit, vnquam ratum habebit. Inanis inquam erit omnis prædicatio veritatis, quia veritatis assistentia deest; inanis remissio peccatorum, quia facultas remittendi iis nulla est; inanis Eucharistiæ distributio, quia potestas consecrandi nulla. Idemque de reliquis rebus diuinis iudicium est. Quanta vero miserrimæ plebis deceptio ista? quàm latè diffusa, in tantam multitudinem, quam sibi infortunati isti Ministri adiunxere? quam somniis simillima omnia, dum infelix vulgus sibi imaginatur cœlestia omnia in Euangelismis istorum, & tandem dum oculos aperit, inanissima omnia deprehendit? Alterum, non posse non maximam Dei offensam habere annexam, tam audax istud Ministrorum facinus, quo ita in altissima Dei mysteria iniussi inuocatique, tam illotis manibus, absq; omni authoritate, inuolare sunt ausi: idque etiam Deo & Ecclesiæ eius, hoc est, & cælis simul & terris, quatenus eæ cœlo coniunctæ, inuitis.

Quar-

Quartus Locus.

Missio in Ecclesia talis sit necesse est, quæ demonstrari manifesto possit. Talis fuit Ioannis, nulla talis Ministrorum.

Loci huius, quod ad Euangelium præsens attinet, eadem ratio est, quæ superiorum. Vide supra n. 9. &c. Itemque n. 15. &c.

33. Quo maius est momen tũ ad quod quis mittitur eo notior sit missio oportet.

33. *QVo maius est opus quoduis, quod in Ecclesia sua per quemuis nunciorum suorum molitur Deus; eo etiam illustriora sint necesse est testimonia, quibus manifestum fiat, verè Deum esse qui per eũ tale quid postulet à suis. Ratio ipsa id dictat. Nam ne in humanis quidem admitteretur alia conditione vlla legatio singularis. Et ideo in ordinarijs quidem functionibus Ecclesiæ, non nisi ordinaria vocatio ordinariaq; eiusdem requiruntur demonstrationes. At in extraordinarijs reformationibus; &* N. 15. *missio extra ordinem necessaria est, & præter omnem communem consuetudinem, indicia clarißima eiusdem.*

Nota fuit missio Ioannis.

In ipso Ioanne eius rei exemplum habemus: Quia enim præter solitum Prophetarum morem, etiam præsentem digito Christum demonstraturus venerat, populumq; tali testimonio per nouum pœnitentiæ baptismum, peculiariter dispositurus; idcirco etiam præter Aaronici sanguinis propagationem, ex qua natus erat, tot præterea illa tamque insignia in natiuitate ipsius, eademq; toti mundo manifestissima,

ſima, miracula, ei addidit Deus; ita vt nemo poſt modum dubitare poſſet, Deum eſſe cum illo.

Sed longe clariſſime eadem, partim in Moyſe, veteris legis primo ac maximo Dei legato; partim in Chriſto ipſo, nouæ legis ac fidei noſtræ authore & conſumatore, eluceſcunt. Quorum vtriq; maxima plane ac ſtupenda propterea adiuncta voluit ſigna Deus; qui ad maximam mundi reformationem, vterq; venerat deſtinatus. Quæ quidem ipſe etiam Chriſtus, ſibi tam neceſſaria fuiſſe aliquando confirmauit, vt abſq; iis nullum mundi peccatum fore aſſeruerit, ſi ſibi forte non crediſſet. Hoc enim illud eſt quod aliquando, de Iudæorum incredulitate loquens. Si inquit, opera non feciſſem in iis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.

Notiſsima miſsio Moyſis & Chriſti

Ioan. 15.

Cum igitur Miniſtri noſtri, ad maximam omnium quæ vnquam fuit, mundi reformationem ſe miſſos iactitent, vt eam inquam ab impii Antichriſti iugo & quo totis prope mille annis penitus, non tam oppreſſa, quam extincta ſepultaq; fuerit Eccleſia, exonerarent; atq; in primam illam qualis ſub Chriſti Apoſtolis fuit, integritatem reſtituerent: quantis credendum eſt, iis opus eſſe diuinæ miſſionis argumentis, vt merito credamus, tanto ipſos operi diuinitus eſſe deſtinatos? Iam vero nulla ii, neque diuina habent teſtimonia legitima, nedum ſingularia illa, & ſuperioribus ſæculis inaudita; neque humana vt vidimus ſuperius. Quan-

Miniſtrorũ conatus omnium maximi.

ergo

ta ergo temeritas tanta sibi eos arrogare? quanta cæcitas mundi in tantis rebus absque vlla idonea demonstratione fidem eis adiungere?

Dicunt hic quoque isti, solas sibi scripturas sufficere; eas sibi attestari legitimos se Dei legatos esse. Ad id longe etiam minus affirmari potest, quam quod proximo loco diximus, nullam eos ex scripturis ipsis missionis authoritatem haurire potuisse, Etenim quod hic quæritur tale est, de quo in scripturis ne mentionem quidem vllam directam reperire detur. Nempe illud hic ipsis demonstrandum venit, si ad rem loqui velint, hosce qui his temporibus post quindecim demum à Christo nato sæcula, erupêre vel Lutheri discipuli, vel Caluini, vel cuiusuis alterius hæresiarchæ noui, vere in id esse missos à Deo, noua diuinitus potestate ad id accepta, vt suo modo & interpretentur arcana omnia fidei, quo interpretantur & Sacramenta ipsa conficiant, peccata remittendo, Corpus Christi consecrando, quæuis alia Ecclesiastica sacra obeundo, quo faciunt. At ea de re nihil prorsus habere ex scripturis possunt.

Itaq; tale quid etiam ne tentant quidem ostendere, sed totum studium suum ad singulos conuertunt fidei suæ articulos, quos ex meris sacris literis se astruere possè contendunt, non animaduertentes nihil prorsus ad rem esse, eam de qua hic quæritur disputationem talem, ad confirmandam inquam inde legitimam ipsorum à Deo missionem.

Nô satis est hic scripturas ingeminare.

Id quod & in Ioanne primum, de quo agimus, & in Christo ipso, eiusq; Apostolis euidentißimè cernitur

nitur. Nihil enim certe docuit Ioannes, quod non esset scripturis omnibus, summè consentaneum. Christi vero atq; Apostolorum doctrinæ, tam fuere consentientes scripturæ, vt de eo alicubi asseueret Petrus: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eũ. *Actor. 10.* *Quin nominatim etiam non de Christo solum, eiusq; in terram missione, (de qua plenæ sunt scripturæ omnes) sed & de Ioanne ipsò, atq; Apostolis Domini in orbem mittendis, testimonia sacrarum literarum aperta extabant.*

Et tamen ne vllum posset esse mundo iustum dubium, neminem istorum, in sola scripturarum interpretatiane, sistere voluit Deus, ad legitimam suam missionem confirmandam: sed Ioanni quidem præterea & ordinariæ missionis documenta esse omnia voluit, & extra ordinaria etiam illa, quantum satis esse poterat, maxima adesse: Christum vero inde & Apostolos eius nomine ipsius; planè diuinam vim voluit communicatam habere prodigiorum, qua sese ipsi mundo vniuersò testatos redderent, verissimè à Deo esse missos. At vero Ministri nostri nihil istorum omnium habent, nulla testimonia miraculorum vllorum diuinorum, nulla documenta ordinariæ successionis vllius, nulla scripturarum vaticinia de sua peculiari missione vnquam futura, sola deniq; mendaciorum, fraudum, contentionum, plena sua omnia. Ioannes. Christus. Apostoli.

Quintus Locus.

Misit Deus omnibus seculis, ad instar Ioannis, incentores nouos pœnitentiæ in Ecclesiam suam, quibus Ministri per omnia dissimiles.

Etiam huius loci eadem ratio est, quæ superiorum.

34. 34. O*Pera precium est hoc loco, occasione eorum quæ tam multa disputauimus de missione Ioannis ac Ministrorum, admirari benignissimam diuini consilij, in Ecclesia sua reformanda rationem continuationemq́ perpetuam, perpetuò sibi similem, & quomodo omnia Ministrorum studia ei è diametro videantur opponi.*

Omnibus seculis habuit Deus similes Ioanni prędicatores pœnitentiæ in Ecclesia.

1. *Voluit Deus frigescentem penitus mundum, occasione aduentus Christi instantis, ad nouũ pœnitentiæ feruorem ac studium singulare, per Ioannem accendere. Idem exinde omnibus prope seculis obrigescente denuo charitate adortus est, alijs alijsq́; subinde nouis ad eum finem excitatis legatis suis in Ecclesia sua. Id quod illa de vocatis in vineam Domini, ad omnem diei horam, operarijs nouis, parabola insinuatur.*

Matth. 20.

2. *Placuit ad id talem sibi assumere Ministrũ, qui ipse primus austerissimam sibi pœnitentiæ induceret exercitationem, Ioannem. Qua de re & nos Dominica superiore multis egimus, (n. 4. 15.)*

& non

& non pauca etiam disputabimus sequenti (n.10.) Idem inde omnibus prope seculis, in nouis maxime ordinum sacrorum fundatoribus præstitit, viros ad eum finem sibi eligens, mundo isti crucifixos totos, ac rigidissimos pœnitentiæ ascetas.

3. *Illi primum adiunxit certos quosdam discipulos, viciniores quasi Magistri, in omni seueritate vitæ imitatores, de quibus Euangelistæ testantur, per quos paulatim etiam latius diffunderet prædicationis suæ effectum. Eodem modo primis religionum Patriarchis, semper addidit quosdam primos socios, singulari præ cæteris vitæ sanctimonia præcellentes, indeque plures alios eiusdem normæ institutum amplexos, per quos exinde sensim etiam feruor inflammaretur plurimorum.*

4. *Inde paulatim insignis in pluribus hominibus consecuta fuit emendatio vitæ, ac studium virtutum singulare, ita vt diceret aliquando ea de re ipsemet Christus.* A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11.* *Itidem plane & omnibus consequentibus seculis vsu venit, nouis subinde religiosorum nouorum coloniis, tanquam nunciis Dei nobis collaborantibus in id, connitentibusque.*

5. *Quo efficacior esset huiuscemodi Ioannis conatus, ea ei iam inde in ipsa natiuitate ipsius adiunxit miracula; quæ & mundo fierent notissima, & omnes raperent audientes in admirationem. Eodem modo, plerisque ordinum sacrorum omnium fundatoribus, miram quandam patrandorum miraculo-* Vide n. 10.

 rum

rum virtutem communicauit, (id quod ex Ecclesiasticis historijs manifestum est) per quæ & mundo innotescerent ipsi, & testatum fieret cunctis, Deum ipsum adesse qui per tales suos Ministros Ecclesiam suam erigeret excitaretq;.

6. Nec tamen propterea quicquam in ordinaria Sacerdotali ordinis vocatione, deesse voluit Ioanni Deus, quin hoc quoque omnibus esset conspicuum, ex Aaronis eum propagine procreatum. Ita ne in consequentibus quidem, de quibus diximus, pœnitentiæ prædicatoribus, quicquam voluit ab ordinaria Ecclesiæ, in munijs Ecclesiasticis, quibusuis, missione, deficere; sed ijsdem & ipsos, quibus alij solerent Ministri Ecclesiæ legitimi, omnes ordinibus sacris initiari.

7. Deniq; in omni ista reformatione Ioannis, nullam tamen voluit Deus ab ordinaria Ecclesiæ obedientia fieri per eum secessionem, nullam Ecclesiasticorum officiorum immutationem; sed in vna eademq; sacrorum communione perseuerare etiam ita pœnitentes ipsius omnes. Ita in omni omnium seculorum superiorum, per nouum pœnitentiæ seruorem reformatione, nunquam tamen passus est Deus, per legitimos nuncios suos, vllum in Ecclesiam schisma induci, vllam ab ordinaria obedientia separationem, vllam fidei sacrorumq; rituum perturbationem; sed in vna eiusdemq; fidei, Ecclesiæq; Catholicæ consociatione simul continere voluit omnes. Ecce igitur diuinam semper sibi similem in Ecclesiæ suæ restitutione, semperq; sibi constantem Dei rationem.

At vero

At vero Ministrorum nostrorum quam dissimilis per omnia status? quam diuersa studia? quam contrarij effectus? Ministrorũ studia ijs cõtraria per omnia.

1. *Enim de singulari aliquo pœnitentiæ rigore, ij ne cogitant quidem, neque in seipsis exercendo neque excitando in alijs.*

2. *Igitur primi ipsorum Patriarchæ, Lutherus inquam cum sui similibus, non solum similia Ioanni non sunt pœnitentiæ studia sectati, sed & quæ ante sub Catholicis consilia susceperunt talia, omnia in contraria studia mutarunt, vt vidimus Dominica superiore. n. 9.*

3. *Quales porro Magistri ipsi primi, tales & primi ipsorum discipuli.*

4. *Exinde in populo ipsorum, qui olim dum Catholicus esset vtrunq; aliqua saltim sectabatur pœnitentiæ opera, paulo seueriora, in ieiunijs similibusq; exercitijs alijs; iam remissio consecuta est summa, licentia summa, dissolutio maxima.*

5. *Meritò igitur nullã habuere vocationẽ vllo signo mirabiliori diuinitus notatã ad talia Ministri.*

6. *Sed ne ordinariam quidem Ecclesiæ, missionem retinuere, quin reiecêre eam penitus.*

7. *Ac summam ad extremum post se traxêre confusionem, rerumq; omnium in Ecclesia antiqua, perturbationem, secessionem innumerabilem, rituumq; fidei perturbationem extremam. Quid igitur concludemus? à Deo ne perfecta ista? Imo vero à nullo alio, quam à teterrimo diuini honoris hoste, omnisq; licentiæ ac confusionis authore, diabolo.*

 Sextus

Sextus Locus.

Ioannes se negat esse Eliam & Prophetam qui haberi iure poterat. Lutherus vltro se ex maximis Prophetis esse asserit, cum longissimè absit.

Pertinet locus hic ad illa Euangelij: Non sum Non à Ioan: 1. C.

35. Ioannes & Elias erat & Propheta.

35. *AD extremum obseruatu & illud dignum est, quàm studiosè Ioannes quamq; humiliter omnē honoris titulum refugiat, quantum in se est, etiam eum, quem omni iure sibi delatum poterat assumere; cum è contra Archiministri nostri, arrogantissime sibi similes, etiam indebitos vltro asciscant, vt vel sic etiam intelligatur, Spiritu contrario per omnia à Ioanne eos duci.*

Petitur in Euangelio à Ioanne sit nè Elias? sitnè Propheta? Vtrumq; omni iure poterat admittere, prout à Christo ipso, sanctoq; Spiritu vtrumq; ei magna cum laude inuenimus attributum. Nam de Elia quidem, ita Christus alicubi apertè de Ioanne
Matth. 11. *loquens :* Et si vultis recipere ipse est Elias,
Matth. 17. qui venturus est: *Et iterum :* Elias iam venit & non cognouerunt eum. *Et ante eum Ange-*
Luc. 1. B 17 *lus :* Ipse præcedet ante illum *(Dominum Deum ipsorum)* in Spiritu & virtute Eliæ. *De Pro-*
Lu. 1. A 76 *pheta vero :* Et tu puer *(inquit pater eius plenus Spiritu Sancto)* Propheta altissimi vocaberis.

Et Chri-

Et Christus ipse. Quid existis in desertum videre, Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. *Et tamen ad vtrumq; Ioannes hic constanter respondet:* Non sum: *scilicet quia licet Elias esset Spiritu officioq;, persona tamen ac natura non erat: ita licet esset Prophetarum maximus, eo tamen modo non erat Propheta, quo isti forte eum esse autumabant.*

Lutherus.

At vero contra præclarus ille nostri seculi secundus Baptista, si dijs placet, Lutherus, Archipatriarcha Ministrorum nouorum omnium; cum præter fastum quendam incredibilem, & inanißimam de seipso conceptã opinionem nihil iam haberet singulare: tamen ausus est temeritate maxima de seipso nihil non maximum etiam sponte sua prædicare. Testantur id eius colloquia symposiaca, & monent in quibus titulo, de concionatoribus & Ministris Ecclesiæ, in hac aliquando verba prorupisse perhibetur: Ich bin Jsaias / sprach D. Luther auff das ich mich nach rhůme Gott zu ehren / des werck vnd gaben es allein ist / vnd dem Teuffel zu trotz / der es gerne hindern / vnd vertilligen wolte / Philippus ist Hieremias, *hoc est, Ego, inquiebat, sum Isaias, vt & ego me aliquando ipse prædicem, ad gloam Dei, cuius solius opus id ac donum est, & ad diaboli despectum qui id libenter impediret, & extingueret. Philippus vero est Hieremias. Testatur idem liber eius cuius titulus est, aduersus falso nominatum ordinem Episcoporum. Tom: 2. Lat. f. 307. Vbi ita de seipso:* Etsi Euangelistam etiam

me Dei gratia nominarem, citius essem ostensurus, me hæc iure facere quam vestrum aliquis titulo aut nomini Episcopi satisfecerit. Certus enim sum, Christum ipsum me sic nominare, & pro Ecclesiaste habere, qui meæ doctrinæ magister est, eumq; testem non dubito futurum. Non me nec meam doctrinam iudicio certo Angeli subijcere dignor. *Ita ibi. Et iterum idem de seipso Tom: 12. Germ: f. 243. in libr: cuius titulus Contra Papistas, &c.* Den Solchen rhum vnd ehr habe ich von Gottes genaden/es sey dem Teuffel vnd allen seinnen schupen lieb oder leid / das sind der Apostel zeit kein docter noch schribent/kein Theolog/noch Jurist/so herlich vnd klärlich die gewissen vnd weltliche stende bestetiget vnderricht/getröst hatt/alls ich gethan habe/das weis ich fürwar/den S Augustinus noch Ambrosius / die doch die besten seind in diesen stück / mir nich gleich sind. *Ita ibi hoc, &c.* Hanc ego ex Dei gratia gloriā habeo & honorem, (siue id gratum sit diabolo & omnibus squamis eius seu ingratum, quod à tempore Apostolorum nullus extiterit, vel Doctorum vel Scriptorum, nullus vel Theologorum vel Iuristarum, qui æque præclare ac dilucidè conscientias & politicos status confirmarit erudierit ac consolatus sit, atque ego feci. Id quod certo scio. Nam neque S. Augustinus, neq; Ambrosius, (qui inter alios sunt optimi) ea in parte mihi sunt pares.

LOCI

LOCI ALII VARII, QVI TRActari de controuersijs circa Euangelium hoc commodè possint,

Et hæc hactenus de discursu nostro superiore. Nunc iam & alios Euangelij locos insinuemus.

Primus.

Propheta Dei nemo est, nisi quatenus per eum Deus, vt per vocem suam loquitur. Id quod totum ex legitima Missione Dei pendet.

Ego vox clamantis in deserto. Ioan: 1. C.

36. *ISta Ioannis, siue Hebraica phrasi dicta accipiantur, eo modo, quo multa similia in scripturis, vt sit idem* Ego vox clamantis, *quod, Ego vox clamans; prout terra promissionis, idem est, quod terra promissa; viri diuitiarum, idem quod viri diuites; viri sanguinum, idem quod viri sanguinolenti erunt; siue communi pro more Latino Græcoué, vt vere se vocem solam esse ita affirmat, vt alium simul insinuet esse, qui per se intonet clametué? eodem tandem recidunt. Vtrinque enim consequitur, nil ex seipso locutum in prædicatione sua Ioannem; sed alium per ipsum, & in ipso clamasse, Deum scilicet, à quo missus fuerat, cuius ipse tantum instrumentum & vox fuerit. Nam & vox per se sola nulla clamat, nisi simul adsit, cuius ea vox dicatur, siue* 36. Vox clamātis quid sit.

qui edat clamantē vocem. Atq; ita eodē tandē perti-
Luc. 3. A. *nent ista Ioannis, quo & illa Lucæ:* Factum est verbū Domini ad Ioannem in deserto. *Quo de loco vide supra n. 31. & 32.*

Ioannes totus vox Dei.

Quod vero de se toto quæsitus Ioannes, quis sit? nil aliud respondet, quam Ego vox; *eo illud etiam insinuat: non doctrinam solum suam, quam prædicauit, in Dei se nomine & commissione, imo persona prædicare; sed & totum esse suum, totum statum, totum illud tam austeræ vitæ genus, itidem non nisi ex Dei commissione se suscepisse, eademque omnia & clamare itidem, quod doctrina clamabat (qua de re vide quæ Domin: sequente n. 10. disputamus)* dirigite, *inquam,* viam Domini, *& instrumentum quoddam Dei ipsius esse, per ista nobis talia acclamantis.*

Ea vero occasione, duo quædam circa officium legitimorum in Ecclesia Prophetarum ac Doctorum explicari possunt, vtrumque maximi momenti, vt rite ea populus Christianus concipiat. 1. quidem, frustra clamare omnem Prophetam, frustra promittere synceram Euangelij veritatem, ac scientiam salutis; nisi vere assistentem sibi habeat Deum, qui per ipsum clamet, vnde vere vox eius non ipsius propria, sed vox clamantis per eum Dei. dici possit. 2. quomodo id ipsum, & vnde in prophetis Ecclesiæ, pastoribusue, rite sit diiudicandum. Et insinuauimus quidem hæc nos iam in superioribus, maximeque n. 32. circa finem; occasione ea qua de missione Ioannis & officio generatim à nobis disputatum

Propheta Dei nemo est, nisi per quem Deus loquitur.

tatum fuit. At occasione verborum horum Ioannis in particulari, etiam clarius de iisdem disputari potest, & plenius.

Ad primum illud, pertinet diligentius considerare, ex vna parte altitudinem mysteriorū fidei, quæ Euangelio, sacro, scripturisque continentur, longe excedentia omnem communem hominum captum: ex altera naturalem nostram ad diuina quæuis cognoscenda imbecillitatem, cæcitatemque, qua ad omnia caligamus ex nobis, quæ cœlestia sunt. Primum illud patet, ex ipsa rerum cœlestium natura, & altissime à terrena ista habitatione nostra remota, & abditissime cœlis recondita. Qua quidem ex causa etiam expresse D. Paulus de Deo affirmat, quod lucem inhabitat inaccessibilem, quam nullus hominum viderit, sed nec videre possit. *Alterum similiter patet, & ipsa naturali nostra infirmitate, & ex scripturæ testimonio expresso. Hoc enim est quod Sapiens testatur; dum rationem reddit, quare à Deo postulet, diuinæ sibi sapientiæ lumen infundi.* Quis enim, *inquit*, hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio, deprimit, sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in aspectu sunt, inuenimus cum labore. Quę autem in cælis sunt, *quis inuestigabit*? Sensum autem

Mysteria Dei altissima sunt in generali.

1. Tim: 6.

Infirmitas humana ex se nequit penetrare diuina.

Sap: 9. C

autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? *Hæc ille?*

37: Ad scripturas S. intelligendas, Dei assistẽtia requiritur. Salomon.

37. *Nec est quod hic quisquam sibi blandiatur, de scripturis sacris satis perspicuis; vnde putet iam satis imbecillitati suæ prouisum. Nam & Salomon ista orans, licet alioqui iam & sapientissimus esset, & legem quoque vna cum scripturis varijs sacris Iosue, Iudicum, Iob, Samuelis, haberet & Psalmorum, (qui omnes libri sacri ante ipsum iam conscripti fuerunt) nihilominus sic quoque, id quod diximus, vt de toto genere hominum, ita & de se ipso expressè fatetur, agnoscitq́; præter ista omnia, ad ritè intelligenda ea quæ Dei sunt diuino se lumine opus habere. Nec minus maximus Prophetarum* David. *Dauid, parens eius, & ipse, ijsdem licet diuinis scripturis munitus, tamen continuo orat in Psalmis, maximeq́;* 118. *nunc doceri à Deo iustificationes eius; nunc reuelari oculos suos, vt consideret mirabilia de lege eius; nunc dari sibi intellectum, vt sciat intelligatuè testimonia eius, &c.*

Apostoli. *Sed & Christus ipse, licet Apostolis suis, & scripturas veteris testamenti integras tradidisset, &* Luc. 24. *sensum quoque omnium præcipuarum in ijs difficultatum aperuisset, vt intelligere eas possent; tamen sic quoque Spiritu sancto illis opus esse iudicauit,* Ioan. 16. B *qui ijs perpetuo assisteret, posterisq́; eorum ad ipsam vsq; seculi consumationem, vt ita demum & ipsi deducerentur, in omnem absque errore veritatem, & mundum totum in viam salutis dirigerent.*

Frustra

Frustra igitur sibi blanditur omnis etiam Propheta, qui solo scripturarum adminiculo sufultus, satis se instructum putet, ad legitimi prædicatoris munus in rebus salutis obeundum. Sed & ipsum hoc D. Ioannis exemplum satis idem declarat, dum vocem clamantis se vocat: sine dubio non propter sacræ scripturæ aliquod verba, quæ hinc inde citarit; sed propter ipsam diuini auxilij aßistentiam, quæ in officio prædicationis suæ continuo eum direxerit.

Pertinet porro consideratio hæc, ad legitimam Mißionem Prophetæ cuiusuis; vt nimirum vere & legitime missus fuerit à Deo ad prædicandum; & non vel aliunde intrusus, vel ex se ipso currens, antequam mitteretur. Eo ipso enim, quo mittitur à Deo legitime quiuis, eo ipso & commißionem accipit à Deo legitimam, præstandi ea omnia nomine Dei, quæ talis Mißio complectitur, & potestatem. Missio legitima Prophetæ cuiuis necessaria.

Atq; ita consequenter etiam eo ipso diuinæ gratiæ aßistentiam sufficientem, vt satisfacere commißioni poßit; idq; verum tandem fiat, ipsum non proprij cordis cerebri sui vocẽ, sed Dei per se clamantis edere. Contra vero eo ipso quo quis ad diuina mysteria interpretanda se ingerit, non legitime missus; eo ipso & commißione diuina vera omni destitutus intelligitur; & omni etiam consequenter diuino præsidio opportuno, ad rite agenda ea, quæ, Dei licet & scripturæ nomine, agit. Vnde illud porro consequitur talem non posse non, & errare ipsum turpiter, quia solus est, & sine Deo diuina, scripturasq; tractat, (omnis autem homo *solus & ex* se men- *Rom. 3. A*

se mendax) *& alios in errorem inducere, vocem deniq; non Dei sed sathanæ transfigurantis se in Angelum lucis, & per ipsum clamantis esse.*

38. Propheta intra limites Missionis suæ se continens.

38. *Iam quo ad secundum illud, vnde æstimandum sit Prophetas siue Pastores in Ecclesia, non ex seipsis vocem suam edere; sed in ijs vere inclamare nobis Deum: id facile iam erit ex primo isto, quod diximus, colligere. Nam si certum est, totum illud, vnde vox Dei dicatur propheta, ex legitima missione commissioneque Dei, quam in ea acceperit ad prædicandum pendere; sine dubio, quam diu intra limites missionis suæ huius constiterit, pro certissimo habendum erit, Deum in eo loqui, ideoque & audiendum esse, non minus quam si Deus ipse præsens loqueretur.* Qui enim vos audit me audit, *affirmat ideo ipse Christus, vt* & qui vos spernit me spernit.

Lucæ 10.

At si eos terminos egressus fuerit, ex ipso quidem & diuino auxilio destitui, & non nisi humano spiritu iam duci censendus erit. Nec audiendus iam igitur, quia non iam amplius vox Clamantis Dei. Et quoniam in Ecclesia Dei ordinariè omnes prophetæ seu Doctores, ordinaria missione per superiores ac pastores Ecclesiarum mittuntur: simul & ordinariam, Dei loco, ab ijsdem commissionem accipiunt, ordinariam & acceptam à maioribus Ecclesiæ fidem, scripturarumque interpretationem declamitandi ac prædicandi. In ea igitur ijs perseuerandum est, & quam diu id faciunt, voces sunt clamantis nobis per ipsos Dei, ideoque etiam tenere, & sub terminatione diuinæ vltionis audiendi.

At si

At si deflexerint (prout Lutherus, Zuinglius, OEcolampadius, ac similes nostrorum temporum hæresiarchæ, omnes olim in Ecclesia Catholica legitima ordinatione ac missione presbyteri, ne Monachi etiã initiati, sed viles post modum Apostatæ, currentes alio quam fuerunt missi, & clamantes nomine Dei, quæ nunquam in Ecclesia iis fuerant commissa) eo ipso iam & ipsi cessant esse voces seu Legati Dei, & Deus per illos nobis mysteria acclamare. Eademque ratio est & in extraordinaria missione æstimanda. Nam etiam ipsius probatio ex Ecclesiæ iudicio pendet, & vbi semel probata fuerit, eousq; acceptanda erit, quamdiu intra limites commissi sibi muneris & approbati se continuerit Legatus Dei talis. Secus enim & ipse omnis talis propheta haud secus ac sal infatuatum foras erit mittendus.

Propheta extra Missionẽ suam deflectens, desiuit esse propheta.

2. Locus isque varius.

Ad salutem consequendam Arbitrij nostri cooperatio requiritur. Eadem Deo placet, maxime in Pœnitentia vera

Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Ioan: 1. C.

39. *QVam hæc sententia frequenter iteretur in scripturis sacris vide Dominica sequente n. 26. notatum. Sed & in quo proprie positum sit studium hoc, quod à nobis requirit hoc loco Ioannes, vt domini viam dirigamus, eadem Domin: vide fuse disputa-* 39.

disputatum n. 6. & sequentibus. Totum id scilicet in illo conatu pœnitentiæ est, quem docuit Ioannes, quo prouti in viarum naturalium directione impedimenta omnia remouentur; dum alta depri-
An fructuosa dirigunt. *muntur, humilia eleuantur, indirecta diriguntur, & aspera complanantur: ita in hac animorum nostrorum præparatione, omnis generis præterita peccata eijciuntur atq; exterminantur.*

Cooperatio nostra ad salutem requisita. *Ea vero ratione multiplex hic campus aperitur, disputandi circa ea, quæ in nobis requirit fides Catholica, vt ad gratiam Christi seu iustificationis recipiendam disponamur.*

Primum enim, dum ad nos eo modo suam exhortationem, imo clamantem per se Dei vocem, dirigit Ioannes, vt rectam in nobis faciamus Domini viam: illud certe clare significat cooperationem nostram non possibilem solum; sed necessariam etiam esse, ad diuinæ gratiæ dispositionem, nec totum id quod eo pertinet, operari in nobis Deum. Absurde enim alioqui nobis acclamaret Ioannes: Dirigite *vos; æque ac si quis securim aut quoduis instrumentum artificis alloqueretur, artifice ipso prætérito, vt exurgeret, & quoduis opus fabricaretur. Vide Dom: sequentem n. 27. Ergo consequenter etiam vis aliqua in nobis arbitrij liberi superest, qua gratiæ Dei in ea parte collaboremus.*

2. 2. *Et quidem cum totum hoc, eo fine in nobis*
Opera bona Deo placita sunt & non peccata omnia. *requiratur, vt tali dispositione placitam Christo quasi habitationem in nobis præparemus, quo ita renasci in nobis ac inhabitare corda nostra dignetur, con-*

tur consequens & illud est, non opera nostra omnia, si ad Dei Iudicium comparentur, peccata esse, quæ scilicet magis magisq; offendant (prout impiè de iis etiam in gratia iustificante factis disputant. Et Lutherus in assertione articulorum suorum, ar: 31. 32. &c. itemq; in hoc ipsum de quo agimus Euangelium, dum mera stercora vocat omnia bona nostra coram Deo, vide Dom: sequente. n. 17, & 18. & Caluinus 3. Instit: Cap. 14, § 9. Et alij eiusdem ordinis) quin etiam Deo ipsi ac Christo eius accepta esse, & quidem suo quodam modo, & per modum dispositionis ad gratiam iustificantem, etiam ea pœnitentiæ opera, quæ ipsam gratiam præcedunt, hoc est Fidei, Spei, Timoris diuini, dilectionis ea opera quibus paulatim crescit homo ad fidem vsq; plena charitate formatam &c. Certe enim nisi placita essent, certa quadam ratione talia, etiam in oculis Dei: nullo modo in iis præparationis nostræ vlla pars poni posset, ad faciliorem Christo Domino ad nos viam complanandam.

3. *Deniq; quia hæc ipsa directio, quæ in nobis hic requiritur, nil aliud quam pœnitentia est, quam studiosissimè alioqui prædicabat Ioannes (prout docuimus Dominica quarta, n. 6. & sequentibus) eademq; (vt ibidem clare demonstrauimus,) non fides est proprie, non spes, non timor domini, non charitas; licet absq; huiuscemodi virtutibus esse non possit: sed omne illud studium quod impeditur, vel dolendo plorandoq; ob admissa crimina vel confitendo, vel orando, vel ieiunando, vel Eleemosynas dan-*

Pœnitentiæ studium in quo sit.

 do, vel

do, vel quouis, alio modo ſemetipſum iudicando ac caſtigando ad præterita expianda peccata: idcirco eo ipſo, occaſio hic datur præſens etiam de hiſce omnibus fuſius diſſerendi, varioſq; errores Miniſtrorũ circa hæc ipſa exaggerandi, prout nos de ijs copiosè diſputauimus Dominica 4. n, 6. ad 12. itemq; n. 21. & 28.

Tertius Locus.

Sancti de ſeipſis operibusq; ſuis merito humillimè ſentiunt. Contraq; Deus tanto magis ſibi in ijs placet.

Cuius ego non ſum dignus vt ſoluam corrigiam eius calceamenti. Ioan. 1. D.

40. 40. A*Pud Matthæum iſta paulo aliter deſcribũtur:* Cuius non ſum dignus calceamenta portare. *Marcus vero addit.* Cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius. *Propriè vero ijs comparat Ioannes ſe cum Chriſto, ex parte perſonæ, itemq; officij ac functionis ſuæ, oſtenditq; quanto ipſe ſit Chriſto inſerior. Nam cum Iudæi ipſum eſſe Meſsiam ſuſpicati fuiſſent, atq; ad id expiſcandum, potiſsimum, legationem iſtam in Euangelio hoc ad eum adornaſſent, (vt fuſè in ſuperioribus docuimus n. 7. &c.) ipſe omnem etiam ſuſpicionem eius rei auertere à ſe volens hæc tandem hic ſubintulit:* Ego baptizo in aqua, Medius autem veſtrũ ſtetit, quem vos neſcitis, Ipſe eſt qui poſt me ventu-

Matt. 3. C. *Mar. 1. A.* (marg. to lines 2–3 of n. 40); *Matt. 3. C.* *Mar. 1. A.* (marg. to "Ego baptizo… ſtetit")

venturus eſt, qui ante me factus eſt (*addunt Matth. Marcus & Lucas*, fortior me eſt) cuius *Luc. 3. D.* ego non ſum dignus. &c. *Nempe inquit tantus ille eſt, vt ego quantus quantus ſim, cum omni admiratione & prodigijs Natiuitatis meæ, cum omni functione prædicationis & baptiſmi mei, cum omni ſanctitate vitæ meæ, cum omni opinione vulgi de amplitudine mea: ne ſic tamen me dignum ſatis inueniam, qui vel procumbens ſoluam calceamenta eius, vel omnino ea manibus meis portem.*

Hic vero proprius locus eſt oſtendendi Lutherum cum ſuis, turpiſsimè pernicioſiſſimèq; verbis iſtis Ioannis abuti, ad omne bonorum operum corã Deo precium penitus euacuandum. Is enim de hoc ipſo Euangelio agens Dominica 4. Aduen: in Poſtilla ſua domeſtica, eo iſta Ioannis detorquet, quaſi ijs omnia iuſtorum etiam ſanctiſsima opera, extremæ indignitatis condemnentur, nec alium habere locum in oculis ac iudicio Dei doceantur; quam quem viliſsimi centones, & calceorum terſoria, in oculis noſtris habent, imo ne eum quidem. Referimus nos eius ſententiam fusè Dominica ſequente, n. 17. & ſequentibus, refutamusq;. Inde igitur petantur, quæ etiam huc deſeruiant.

Hic illud ſolũ addimus, non Ioannẽ tantũ, ſed & ſanctiſsimos quosq; alios Dei ſeruos, perpetuo de propria ſua ſanctitate ſeq; ipſis totis non niſi humillimè ſenſiſſe, ſentireq;, nec aliter õnino ſentire poſſe, iuxta illa Chriſti. Dicite ſerui inutiles ſumus. *Itaq;* *Luc. 17.* *etiam Abraham quondam Deo loquens:* Loquar

Gen. 18. *inquit*, ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. *Et Dauid.* Ego autem mendicus sum & pauper, Deus adiuua me. *Non vero id inde fit, quasi omne bonorum operum genus, tam extreme in oculis Dei vilescere existiment: sed quia norunt non se esse debere iudices operum suorum, sed Deum; in cuius propterea conspectu libenter agnoscunt nihil se esse, quoniam opera humilium respi-*
Psal. 137. *cit Deus, cum alta despiciat, & à longè cognoscat. Tanto vero id etiam faciunt sancti magis; quanto magis propriè sibi suæ imbecillitatis sunt conscij: vnde perpetuo vereantur ne forte opera sua quæ agunt, propter admixtas aliquas imperfectiones suas, minus sint idonea, quæ oculis placeant Dei. Vnde*
Iob 9. D. 28 *quidam etiam eorum:* Verebar, *inquit*, omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti.

41. *Longè vero interim aliter & Deus ipse de ijs iudicat, & sancti de toto bonorum operum genere loquuntur. Nam & de illo ipso qui in se omnia opera sua verebatur; Deus interim testabatur, esse ser-*
Iob 2. A. 3. *uum suum, cui non esset* similis in terra vir æque simplex & rectus, ac Deum timens, à malo recedens & perseuerans in innocentia sua. *Et de operum bonorum thesauro per Angelum suum*
Tob. 12. B. *illud alibi asseuerat:* Bona est oratio, cum ieiunio & Eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. *Sed & Christus ipse, de se extremoq; iudicio suo loquens, assirmat ipsum regnum cælorum pijs se tum propter charitatis opera ipsorũ adiudica-*

adiudicaturum. D. vero Paulus, quem impius eodem illo loco citato Lutherus meri ac fœtidi stercoris loco, omnem piorum operum sanctimoniam dicit habere: tantum abest ab ea sententia, vt alibi fateatur, inueniri inter sanctos, qui supra fundamentum fidei suæ in Christum, merum aurum, argentum, lapides pretiosos operum, inædificent, idq; ipsum iudicij diuini rigorem, quo omnia ad ignem probentur, asserit declaraturum. Matth. 25. 1. Cor. 3. C.

Deniq; B. Ioan: Euangelista, de bonorum operum iustificationibus loquens; qualemq; in oculis etiam Dei ea locum habeant explicans: Gaudeamus (inquit nomine omnium cœlitum) & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Conferantur vero ista cum tersorijs calceorum Lutheri, quanto ab ijs habent diuersam rationem? Nam hic quidem de solius fidei Lutheranæ iustificationibus non loqui Ioannem, ex eo clarissimum est, quod ad cœlestes illas nuptias, ne pertingat quidem fides. Ante enim euacuatur omnis fides, quam nuptiæ illæ cœlestes inchoentur, prout D. Paulus expreßè docet. Ex parte, inquit, cognoscimus (scilicet fide nunc, quæ argumentum est rerum non apparentium quæque visio quædam est obscura, & quasi per speculum & in ænigmate) cum autem venerit id quod perfectum est, euacuabitur Apoc. 19. 1. Cor. 13. C Heb. 11. A

 quod

quod ex parte est, *scilicet videbimus omnia tum facie ad faciem. Igitur operum sunt iustificationes istæ, & omnium virtutum Christianarum, quibus vxor Agni Christi, etiam ipsius Agni oculis paratur, atq; exornatur. Egregius vero foret ornatus & cælo dignus, calceorum tersorijs, & vilissimis quibusq; centonibus sponsam suam Christo exornare.*

Quartus Locus.

Baptismum Ioannis qui Baptismo Christi æquat; præcipuam noui testamenti vim & energiam eneruat.

Ego Baptizo in aqua, Medius autem vestrũ stetit. &c. Ioan. 1. D.

42. 42. ANnotat hac occasione Stapletonius in suo *Cathal: locũ de differentia Baptismi Ioannis à Christi. Vide apud eum. Sed & nos eundem copiosè tractamus Dominica sequente, à n. 2. vsq; ad 8. itemq; n. 26.*

Hic illud solum addimus, minimè sterilem hanc quæstionem merito videri debere; aut talem quæ Theologorum tantum scholis, non vero concionibus popularibus conueniat. Simul enim hic occasio datur docendi ac demonstrandi, Ministros istos omnem Sacramentorum Ecclesiæ vim penitus ea ratione eneruasse; nec quicquam in ijs præter infirma quædam, & egena elementa, (qualia anti-
Gal. 4. B9. *qui testamenti fuisse Paulus asserit) inaniaq; symbola*

bola nobis reliquum fecisse. Atq; ita consequenter etiam totius noui testamenti præ veteri illo, quasi medullam exinaniisse. Certum enim est, potissimam nouæ legis gratiam, præ antiqua in Sacramentorũ efficacia positam esse. Ea igitur sublata negataq; etiam præstantia omnis potissima Euangelij sublata est. Tollunt porro ea omnia Ministri, eo ipso quo Baptismata ista confundunt. Quia inde omnis hæc eorum promanat, assertio, quod negant, Sacramenta nostra ex opere operato quicquam posse, Solaq; ex operantis fide præstare quicquid præstent doceant; ideoq; non tam sacramentum vllum in se quã fidem Sacramenti iustificare. Id & Lutherus expressis verbis docet, in sua Capt: Babyl. & Caluinus, & omnes communiter eorum discipuli. Noui testamenti efficacia in Sacramentis.

Quintus Locus.

Quæstiones de Religione controuersæ, non laicis sed Sacerdotibus legitimè vocatis committendæ sunt; vt ritè examinentur ac decernantur.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas. Ioan. 1. Cap. 19.

43. D*Vm noua de religione quæstio orta fuit, essetne fortasse Ioannes, vel Messias, vel quisquam alius maximorum Prophetarum; itemq; quid eius sibi baptismus vellet: Iudæi Sacerdotibus & Leuitis id* 43 Sacerdotum est Religionis tractare negocia.

tis id committunt negotium, vt ipsi omnium nomine, rei veritatem inquirant; dumque eam ij curam in se recipiunt, plenam totius eius quæstionis resolutionem populo referunt. Ita cum tempore Herodis Regis quæstio mota esset de loco Natiuitatis Christi, æquè & tum Rex ipse congregans omnes Principes Sacerdotum & scribas populi; sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur, & didicit ab eis omnem dubij sui veritatem *veram explicationem seu resolutionem.*

Matt. 2. A

Ministri laici cuiuis Iudicium religionis commitunt.

Propria huius loci illa est tractatio, contra omnem iuris tàm diuini quàm humani ordinem Ministros peccare, dum omne rerum diuinarum iudicium vulgo committunt; ipsumq́ue in sola inquisitione sua priuata, quam in scripturarum lectionem impendit, conquiescere docent, in tantis labyrinthis quæstionum quas inuexere. Nam tale quidem quid omnes communiter Ministros agere, satis inde constat, quod vna quidem ex parte constanter negent, vllos esse in terris à Deo iudices constitutos, qui controuersias in religione ortas definiant, ad quos propterea in omni dubio confugiendum sit, præter solas scripturas sacras: ex altera vero easdem scripturas, omnibus & singulis etiam ex communi plebe hominibus obtrudant legendas, in vulgarem propterea cuiusq́ue gentis linguam eas transferentes, atq́ue illa Christi ad Pharisæos quondam dicta eo deflectentes. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.

Ioan. 5. 39.

Deus solis Sacerdoti-

At vero omni id ordinationi diuinæ repugnat, & an-

& antiquæ, & nouæ legis, quæ perpetuo talia negotia solis Sacerdotibus, atq; Ecclesiæ Doctoribus commissa voluit. Ita enim Moyses in omni quæstione ambigua legis non nisi ad sacerdotes Leuitici generis populũ remittit, Deut: 17. B. Ita Malachias Propheta: Labia, *inquit,* Sacerdotis custodient scientiã, & legẽ requirent ex ore eius. *Ita ante eum Ezechiel, de Leuitis loquens:* Et cum fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis & iudicabunt, *Et:* Populũ meũ docebunt, quid sit inter sanctũ & pollutũ, & inter mundũ, & immundũ ostendent eis. *Christus vero ipse tantum abest, quod voluerit quicquã ex eo ordine ĩmutari (quamdiu quidem stabat lex illa antiqua, ac necdum penitus euacuata fuerat) vt nouo eum ac proprio suo grauissimo præcepto cõfirmarit:* super cathedram, *inquiens,* Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite.

bus & Leuitis Religionis controuersias commisit.

Lex antiqua.

Mal. 2. 7.

Ezech. 44 24.

Matth. 23.

In noua vero lege sua idem Christus Dominus noster, nunquam alias partes esse voluit fidelium communium suorum, eo in genere; quam quæ ouium sunt erga pastores, nempe obaudire atq; obsequi pastorum voci ac nutui, cum pastorum interim sit oues educere ac reducere; iisdemq; pabula, aquationes, stabulationem & similia omnia designare atq; ostendere. Vide Ioan: 10 Cap. prope totum &c. Ac ne de solius Christi supremi pastoris persona intelligenda putes, quæ de ouium obauditione & obedientia ibi dicta sunt: confer quæ Paulus ad Ephesios scribit

Lex noua.

Ephes. 4. B.

scribit, quem ob finem Christus cælos ascendens, pastores ac doctores reliquerit in Ecclesia; inuenies claré, potissimum eum esse, vt contra omnem nequitiam & deceptionem malorum & omnem ventum ac fluctuationem ambiguæ fallacisq́; doctrinæ, muniti esse perpetuo possent fideles.

44. Sacerdotes vera dicere possunt, etiamsi ipsi ea non sequantur.

44. *Porrò quod ad præsentem Euangelij huius locum attinet, bene obseruandum est illud, quod sacerdotes isti & Leuitæ, quantumuis veritati ei quã hic didicere, ad finem vsq; vna cum principibus suis non fuerint obsecuti: nihilominus tamen certissimã totius dubij propositi resolutionem retulerint. Eodem modo quo tempore Herodis Regis, de loco nati Christi, verissimum reddidere responsum Regi; quantumuis nemo eorum se moueret ad quærendum, eo in loco quem agnouerant nouum sibi natum regem: Quod quidem non absimile est illi Christi de Scribis,*

Matt. 23. 2. *dicto quod modo vidimus:* quæcunq; dixerint facite, secundum opera eorum nolite facere.

Nimirum vt discas non tam attendere vitam in pastoribus Ecclesiæ; quam officium & doctrinam: nec tam an ipsimet obsequantur doctrinæ, quam agnouere; quam quid in sua inquisitione ex officio ipsi inuenere.

Sacerdotij Aaronici in Christo delapsus.

Dicet quis forte, periculosum videri quod dicimus, plebem Christianam in pastorum suorum inquisitione, ac definitione debere in Religionis quæstionibus conquiescere. Quid enim si & ipsi errẽt pastores, homines similes aliis? Nam errare quidem possè videtur ex ipsis istis Sacerdotibus & Leuitis huius

Euan-

Euangelij, vna cum toto Collegio residuo ipsorum, satis concludi posse. Si enim non ita multò post, non solum in hac quæstione de Ioanne, eiusq; Baptismo turpiter errarunt; dum se scire negarunt vtrum à Deo fuerint ista, an secus, prout id & Matthæus, & Marcus, & Lucas Euangelistæ testantur: sed longè etiam turpissimè, in iudicio de Christo ipso ac doctrina eius. Quando videlicet in toto tandem magno Concilio suo, & Christum ipsum ad mortem damnauere, & doctrinam eius extremæ blasphemiæ loco habuere. Matth. 21. Mar. 11. D Luc. 20. A Matth. 26.

IV. Sacerdotium Aaronicum istorum, non longius se extendisse, quam eò vsq; donec nouus exurgeret ac mundo innotesceret. Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech *appellatus, qui erat ipse Christus Dominus, vt de eo copiosè disserit Paulus ad Hebræos scribens. Nam vt ibidem idem affirmat:* Translato sacerdotio, & legis necesse est translatio fiat. *Innotuit is mundo, cum primum quidem à Patre cælesti promulgaretur:* Hic est filius meus dilectus, &c. *inde vero à Ioanne Baptista digitis demonstraretur:* Ecce Agnus Dei, *&c. ac tandem infinitis miraculis suis, semetipsum contestatum faceret. Ex eo tempore paulatim etiam cessabat, atq; eneruabatur omnis vis sacerdotij illius, omnesq; iam etiam ipsi illi Sacerdotes, obligabantur, non iam Moysen audire, sed Christum, quem ipse prædixerat Moyses suo aliquando loco venturum.* Aaronicum Sacerdotium quousque durarit. Hebr. 7. & sequen. Matt. 4. D Ioan. 1. D. Deut. 18.

Igitur à Sacerdotibus illis omnis erat petenda atq; expectanda resolutio rerum diuinarum, donec Aaronici Sacerdotes

Christus

quousq; fuerint audiendi.

Christus se aperiret, eratq́; indubitata ipsorum definitio, dum ex officio inquirerent dubia legis, ac declararent, quia diuina eos regebat aßistentia, quæ talem ordinem Ecclesiæ illi posuerat. Eratq́; talis adhuc conditio sacerdotij illius in Euãgelio isto. Nondũ enim manifestatus tum erat Christus, nondũ mundo se aperuerat, vt perspicue hic ipse declarat Ioannes? Medius vestrum stetit, *inquiens,* quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, &c. *Et propterea etiam indubitatam retulere resolutionem quæstionis huius populo Iudæorum; nec sine fructu ad tempus, quia vt ipse Christus insinuat, hac ipsa de legatione aliquando Iudæis loquens, acceptasse videntur ad tempus Ioannem, pro eo qui erat magno scilicet Propheta Dei. Voluerant enim, Christo attestante,* ad horam exultare in luce eius, *acceptantes nimirum prædicationem eius.*

Ioan. 5.33.

Vide supra n. 7.

At vero id longius non durauit in ipsis, quamdum Christum nostrum ijs Meßiam assereret idem Ioannes, ac prædicaret, hominem mundo despectum ac pauperem, & multa perpetuo in ipsis reprehendentem, quiq́; tandem extremum etiam interitum minabatur, & ritibus, & toti statui ac principatui ipsorum. Exinde iam cum talia comprehendere non possent sacerdotes illi, vel nollent potius: & Christum ipsum penitus aspernati fuere; & Ioãnem quoque ipsum reiecere; & simul ab omni excidere gratia veræ religionis, translato iam in Christum, eiusq́; Vicarios, quos sibi in Apostolis primum, inde in eorum

Sacerdotij Aaronici lapsus.

rum successoribus substituturus erat, Sacerdotio. Nec ergo mirum, si inde varie lapsi fuere, & vna in errorem secum omnes sibi adhærentes traduxere. Nimirum iam eo ipso, etiam populus obligari coeperat, non iam illos audire sed Christum, eiusq; ministros. In quos iam inde, vti officium sacerdotale per Christum; ita & perpetua præsentia ac Spiritus Sancti gubernatio, deriuata erat; manens exinde cum iis, vsq; in æternum, vna cum Christo ipso ad mundi vsque consummationem suis assistente. Matth. 28.

Sextus Locus.

Christus prior & Ioanne, & Abraham, & omni creatura, in principio, & ante secula Deus.

Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, &c.

45. Hunc locum paulo post ipse Ioannes explicat, Christum digito demonstrans: Hic est de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, &c. Explicat, inquam, & dat rationem illius, quod hic dicit: Ante me factus est, siue quod idem est, dignitate me longe maior est, ita vt ego ne calceamenta quidem ei soluere dignus sim (quod hoc Euangelio subito subiungit.) Ratio est, quia ante me erat, prior inquam tempore iam, quantumuis secundum humanam naturam, post me sex mensibus, & conceptus fuerit & natus. Hanc temporis 45. Prior tempore Christus quam Ioannes.

temporis (vt ita dixerim) prioritatem, hinc intelligunt atq; interpretantur, etiam patres qui in Ioannem scripserunt. August: tract: 3. in Ioan: Chrysost: homil: 12. Beda, & Euthymius, & Rupertus in 1. Ioan: Itemq; Gregor: homil: 7. in Euang: & Epiphan: lib: aduersus Ariomanitas.

Ariani nostri negant ante Mariã fuisse Christum.

Eo vero sensu, propria hic occasio est, contra impios Arianos nostri seculi disputandi, qui Christum ante quam nasceretur ex Virgine, fuisse vspiam re ipsa penitus negant; omnem ei naturam diuiniorem auferentes; etiam eam, quam antiqui quondam Ariani ei concedebant, ante omnes etiam Angelos à Deo Patre productam. Et certe, verba ista Ioan: Prior me erat, *nullo possunt alio legitimo sensu accipi, quin simul fateamur; in ijs includi, Christum etiam tempore ante eum fuisse. Declarat enim ijs Ioannes, & causam dat, quare tanto se inferiorem Christo, tanto illum digniorem se affirmet, & dicit inde id esse;* quia prior me erat. *Si id quoq; de dignitate accipiamus, sensus erit, quia dignior me erat. Et ita mera ea esset tautologia, idem per idem probans. Sed & idipsum iam ante significarat illis verbis:* ante me factus est, *hoc est, mihi longè prælatus est, siue me longe dignior est, ita vt ad calceos me eius demittere, ego non sim condignus. Deniq; illud* Erat, *satis clare temporis aliquam ante tempora Ioannis differentiam includit. Debuisset enim dicere: dignior me est, non erat, si solam Christi amplitudinem hic innuisset.*

46. 46. *Quanto igitur ante Ioannem iam Chri-*

stus?

stus? aut quamdiu prior illo erat? Respondet primum Christus ipse, etiam ante omnes iam Prophetas & Abrahamum ipsum se fuisse, apud Ioannem. Imo apud Lucam, iam tum cum è cælo caderet Sathanas cum Angelis suis adfuisse se & aspexisse sicut fulgur corruentes. Respondet inde Paulus, ante omnem naturam aliam, tàm visibilem, quàm inuisibilem creatam, eum iam fuisse. Qui est, inquit, primogenitus omnis creaturæ, quoniã in ipso cõdita sunt vniuersa, visibilia & inuisibilia, *&c.* *Cui adstipulatur Ioannes Euangelista:* In principio, *inquit,* erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. *Deniq; respondet Micheas Propheta, ante omnia etiam secula, eum fuisse & ab æterno, &* egressus eius, *inquiens,* ab initio, à diebus æternitatis.

Christus prior Abrahamo. Ioan. 8. 58. Luc. 10. 18. Christus primogenitus omnis creaturæ. Colos. 1. 15. Ioan. 1. 1. Mich. 5. 2. Christi egressus à diebus æternitatis.

Hac igitur ratione commodè hic articulus de diuinitate Christi tractabitur; isq; duplici occasione; partim quidem ex tanta Ioannis, Prophetæ omnium præteritorum Prophetarum maximi, humiliatione præ illo; partim ex consideratione temporis, quo Ioannem Christus præcessit: quod quidem ex aliarum scripturarum collatione, reperitur ipsam tandem æternitatem fuisse.

Matth. 11. 11.

Septimus & 8. Loci, &c.

Examinandi Prophetæ noui legitimè antequam admittantur.

Miserunt

Miserunt Iudæi, &c. vt interrogarent, tu quis es. Ioan. 1. C. 19.

47 Inquiritur quis sit Ioannes.

47. *Simul atq; Ioan: prodit, nouum quoddam vitæ genus ducens, nouam baptismi ceremoniam vsurpans, subito inquisitio authentica instituitur:* (Tu quis es) *& quidem per Sacerdotes & Leuitas, sed publica totius populi authoritate. Sine dubio iam & ante, quam ad ipsummet Ioannem legatio ista cum tali quæstione expediretur, aliunde inquisierant, quæcunq; haberi potuerant de ipso, & inuenerant Zachariæ esse filium, summo miraculo à sterilibus parentibus conceptum, & natum; quæq; circa eius Natiuitatem, præterea mira diuinitus acciderant. Itaq; ne dubitabant quidem iam, quin vere à Deo venisset missus sibi Magister: sed quousque se eius extenderet mißio, ex ipsomet clarius intelligere cupiebant; illudq; maximè, an non fortassè ipsemet Meßias esset Ioan: ? qua de re nos fusius in superioribus n. 6. & sequentibus.*

Inquirendũ quales sint qui se Prophetas Dei dicunt.

Nempe officium hoc est omnis legitimi ac Christiani magistratus, vt inuigilet ad omnem in religione nouitatem, studioseq; examinari curet, sed per Sacerdotes & Leuitas, siue homines in Ecclesiastico ministerio legitime constitutos, omnes Nouitatem quamcunq; hic sapientes, sub nomine vel Euangelij vel Christi. &c. Et quidem si inueniant verè quempiam sibi missum à Deo, nouum aliquem quasi magistrum; vt reuerenter accipiant, tanquam Dei legatum: (prout factum semper in Ecclesia

Catholica,

Catholica, quotiescunq; Deus nouos maximè religiosorum ordinum fundatores aliquos excitauit) Sin falsum reperiant Prophetam; vt tempestiuè omnia auertant scandala, ne ipsorum somnolentia fiat, vt zizania hæreseon copiosius superseminentur, atq; excrescant, quam vt postmodum satis commodè & absque detrimento piorum *queant euelli.* *Matth. 13. 29.*

Porro quid agendum cum ijs, qui deprehensi fuerint falsi nouatores Dei nomine, clarissimè iam pridem constituit ac decreuit Deus. Vide deuter 13. A. & 18. D. Nesciunt hæretici Christum licet in medio stantem.

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. *Notat hoc loco Stapletonius in suo Catholico quomodo hæretici Christum nesciant qui tamen medius nostrum stetit. Sed eum locum tractat in promptuario suo morali. n. 7.*

DOMINICA

Quarta aduentus.

Euan: Luc: 3. Anno decimoquinto Tiberij &c. de prædicatione Ioannis.

DISCVRSVS VNICVS in Euangelium.

ANNO quintodecimo Imperij Tiberij Cęsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam,

dæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureç & Traconitidis regionis, & Lysania *Abilinæ* Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro Sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei.

Demonstratur Ministros dum maximè videri volunt ipsissimam Baptistæ doctrinam vrgere ac suis proponere, eandem maximè deprauasse atq; inuertisse.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

1. DOctrinam hic ministrorum inanissimam cum Ioannis Baptistæ prædicatione comparamus. Eam ipsi quidem Ministri nostri volunt vnam esse prorsus, Ioannem propterea Christum demonstrantem perpetuo suis ob oculos ponentes.

At nihil est dissimile magis in rei veritate idque in omnibus capitibus doctrinæ ipsius.

Tria is docuit, Baptismum, pœnitentiam, Christum

ſtum præſentem. In omnibus extremè Miniſtri ab eo diſſensêre.

Baptiſmum Ioannes ſuum à Chriſti Baptiſmo dif 13.
ferentiſſimum prædicauit. Ideo enim ſimpliciter ſcri- 5. 2.
pturæ tanquam diſtinctorum generum vtriuſq; illius
meminere, Ideo alter à Ioanne, alter à Chriſto deno- 16. 3.
minationem habet. Prior enim figura fuit noui teſta-
menti: alter proprium eius Sacramentum. Prior ſo-
lius aquæ ablutionem dabat; alter etiam Spiritum S.
& peccatorum remiſſionem. Prior pœnitentiæ erat, 1.
nulliq; conferebatur niſi pœnitentiæ capaci; alter gra-
tiæ: ideoq; etiam infantibus & mente captis datur.
Prior altero ſuppleri debuit & perfici: alter nunquam 4.
potuit iterari. Poſterior datus in nomine Patris & Fi-
lij & Spiritus S. in priore mentio Spiritus S. nulla.

Pœnitentia vero quam docuit Ioannes tota fuit 17. 6.
in præparandis Domini vijs, vt Prophetæ loquuntur, 28. 29.
hoc eſt in impedimentis peccatorum ex animis homi- 7.
num ad viarum ſimilitudinem amouendis. Id ex men- 8.
te Ioannis fiebat ſeria ſui ipſius caſtigatione, ob pec-
cata admiſſa. Talis enim pœnitentia omnis anti-
quorum, talis viæ præparationi propriè reſpondens, 9.
talis quam tota vitæ ſuæ auſteritate inclamabat Ioan- 10.
nes, talis qua regnum cælorum violenter raptum fuit 11.
ab auditoribus eius.

Chriſtum deniq; ita demonſtrauit Ioannes, vt doceret 12.
verè eum eſſe Saluatorem peccata mundi tollentem,
& talem eum, vt in eius comparatione nihil valeat
humanarum virtutum dignitas, niſi ab ipſo accipiat
valorem ſuum; nec tamen eum nobis valorem ſine
pœnitentia communicari. Hæc Ioannis prædicatio.

Contraria his ex toto, Miniſtrorum doctrina. 26. 13.
Vnus idemq; ijs Baptiſmus Ioannis, qui & Chriſti. Id
expreſſè docent, nec poſſunt aliter, poſita vnius fidei
iuſtificatione. Sed immeritiſſimo cum maxima ſit in
his vti vidimus differentia.

Pœnitentia vero, nuda eſt ipſis reſipiſcentia ſeu 14.

15. morum emendatio. Ineptissimè, cum pœnitentiam
Ioannes præcedere velit iustificationem, hæc non nisi sequatur; illa viæ impedimenta præterita extermi-
27. 28. net, hæc solum noua veteribus non adiungat; illa ma
29. gnum propterea in ipso Ioanne prædicatore rigorem postularit hæc nullam prorsus in Ministris similem requirat.

16. Testimonium deniq; Ioannis de Christo, nil volunt esse aliud, quam omnium operum bonorum exinanitionem quandam, contraq; solius fidei encomi-
17. um. Quod quidem eo vsq; amplificat Lutherus vt opera bona omnia, non nisi tersoria calceorum infi-
18. ma, imo stercora dicat, coram Deo censenda. Stultissimè. nam ne Ioannes quidem cuiquam Christum, nisi per pœnitentiæ opera demonstrat acquirendum; & idem apertè vetat confidere in promissis filiorum Abrahæ, nisi pœnitentiæ opera adsint; & ipse deniq; fuisset stultissimus in omni sua pœnitentiæ exercitatione, dum per ea se Deo studuit commendare. Quam stultus ergo Lutherus, cum ex ista ipsa Christi demonstratione, omne Anachoretarum institutum penitus condemnatum docet?

19. Fugiat igitur Ministros hosce quisquis sapit, vt pote & in Christum ipsum eiusq; baptismum mirè con
20, tumeliosos, & in Ioannem iniuriosissimos interpre-
23. 21. tes, & vitæ salutis perniciosissimos deprauatores, & quorum deniq; nullā prorsus sit cum Ioanne similitudo, quæ sola est in Ecclesia Catholica per omnia.

22, Resipiscant vero etiam Ministri ipsi, à tantis cor-
23. ruptelis, ex ipso genere suo tam fœdis pestiferisq;, duplicem alioqui subituri meritam damnationem, & hic nimirum & in futurum.

24. Deniq; quisquis salutis suæ auidus est, serio se applicet quamprimum, ad vias suas Christo seria pœni-
25. tentia parandas. Alioqui enim vti Bethlehemitis, nō tam saluti fuit Christi apud eos Natiuitas, quàm & dedecori & damno, ob ignauiam ipsorum, maximo: ita eadem

ita eadem æque & nunc ignauis omnibus de nato Saluatore sors obtinget.

Sequitur discursus ipse.

THEMA.

Venit Ioannes in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc: 3.

De doctrina Ioannis ac prædicatione disserendum.

1. *AGendum occasione Euangelij huius, de prædicatione Ioannis ac doctrina, qua Ecclesiam ille imbuit; eademq́ partim cum fide Catholica, partim Ministrorum nostrorum Euangelismis nouis, in comparationem ponenda: vt quantum hic quoq; isti ab omni tramite recti declinarint, manifestum fiat. Id quod tertio loco superius in hac de Ioanne, tractatione, nos demonstraturos recepimus.* 1. Dom. 2. n. 2.

Et quidem etiam hac in parte Ministros nostros sibi vnice de Ioannis imitatione quasi propinquissima blandiri, si forte aliunde obscurum est, ex communissima ea pictura (Lutheranorum maximè) qua peccatoris hominis iustificationem ex propria Euangelismi sui ratione delineare ac vulgi cōmunis oculis exponere solent, fieri potest clarissimum. In ea enim vti saluari hominem more suo ex Ministri ipsissimam Ioannis doctrinā suis pollicentur.

Imago communis Ministrorum.

fide sola, absq; omni cuiuscunque nominis vel merito vel opere doceant; in vna quidem parte Christum crucifixum solent depingere, tanquam proprium salutis nostræ authorem; (neque id male) in altera vero, hinc Moysen expansas legis tabulas homini peccatori obtendentem, quasi is ita eum certæ damnationi per legem obnoxiam ostendat, conuincatq;, & ab omni operum cogitatione in rebus salutis absterreat; inde vero peccatorem ipsum penitus nudum, hoc est vt volunt, ab omni iam operum iustitia quasi abstractum nudatumq;, per Ioannem Baptistam ad vnum Christum inspiciendum digitis directum, ac quasi monitum, vt ne alio fidei suæ oculos conuertat, sed ab vno Christi merito peccatorum suorum remissionem certa fidei apprehensione, & applicatione sibi factam concipiat, quasi hoc ipsum & non aliud voluerit Ioannes. Illo suo de Christo testimonio significare, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Nimirum, illud ea ratione significare volunt, non se totis scripturis alium vllum inuenisse vel Apostolorum vel Prophetarum, qui propius Euangelismi ipsorum caput omnium primum ac maximum, de gratuita peccatoris per solam fidem iustificatione, docuerit confirmaritue; præter vnum hunc nostrum Ioannem.*

Ioan. 1.

At vero tantum etiam in hac ipsa doctrinæ Ioannis iactatione, ab omni veritatis ratione germana exiuere, quantum ij qui omnium maximè; hoc est, quantum qui omnino contraria contendunt via. Ea enim quæ Ioannes sua prædicatione per-

vrgere

vrgere premereq́; solebat maxime, ea isti etiam auersantur maxime; quæ vero Ioanni ne in mentē quidem venêre vt cogitaret, nedum vt inculcaret perpetuo, ea isti nunquam non clamitant, prædicat, ingerunt maximè; & quidem id quasi ipsius Ioannis vel nomine vel exemplo totum. Explicatius ista videamus.

Tria sunt omnino capita, ad quæ omnis Ioannis prædicatio reuocari potest; Baptismus, Pœnitentia & Christi demonstratio iam præsentis. Omnium eorum in hoc ipso Euangelio fit mentio. Et duorum quidem priorum, hoc est Baptismi ac pœnitentiæ, in ipsis thematis nostri verbis. Venit, *inquit*, prædicans baptismum pœnitentiæ. *Tertij vero, hoc est, præsentis Saluatoris demonstrandi in fine Euangelij illis Isaiæ.* Et videbit omnis caro salutare Dei, *In eorum nullo cum Ioanne constitêre in eodem sensu Ministri; in omnibus tantum abscessere, quantum ab ipsa Ecclesia Catholica, hoc est omnium longissimè.* Túplex prædicationis Ioannis caput

Primum autem hic ipsam Ioannis sententiam in singulis hisce inquiramus necesse est; inde, quam nihil istis nimium imponamus, manifestum fiet.

PRIMVM CAPVT DOCTRINÆ Ioannis de Baptismo.

Baptismus Ioannis, longè Baptismo Christi inferior: quia lauacrum tantum pœnitentiæ, nō renouationis Spiritus S.

2\. 2. DE Baptismo primum, quem vel docuit vel
Luc.3.A3. contulit Ioannes, hoc quidem Euangelio aliud nihil habemus, quam prædicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quod toti-
Mar.1.A4 dem verbis etiam à Marco repetitum legimus: sed
Luc.3.D15. infra clarius eodem hoc apud Lucam capite ipse se explicat Ioannes. Existimante enim omni populo de eo, ne forte ipse esset Christus respondisse dicitur ac dixisse omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius; ipse vos Baptizabit in Spiritu S. & igni. *Ita ibi. Quæ quidem eo in genere tanti fecit Spiritus Sanctus, vt ab omnibus etiam alijs Euangelistis ea totidem prope verbis in scripturas referri voluerit. Itaq; & apud Matthæum, ea simillimis hi-*
Matth. 3. *sce legimus*: Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in
Mar.1.A8 Spiritu S. & igni. *Et apud Marcum prope ijsdem:* Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit
Ioan.1.D. vos Spiritu S. *Deniq; & apud Ioannem.* Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam corrigiam calceamentorum.

Duplex Baptismus à Ioanne prædicatus.

Talia de baptismo Ioannis, quibus quidē clarissimè, quid de eo vel sentiat ipse, vel sentire alios velit

velit ostendit. Summa in eo est, baptismum quem prædicabat, duplicem esse: suum quidem alterum, quem ipse conferebat; alterum vero Christi, quem paulo post ille collaturus erat: & suum quidem non nisi inchoatum quid, & imperfectum eo in genere esse; at alterum illum totum perfectum in genere suo & absolutum fore. Nimirum tantam in his differentiam inesse, quanta inter ipsum & Christum erat, inter percursorem inquã Saluatoris, & ipsum Saluatorem, inter simplicem aquæ ablutionem in signum pœnitentiæ, & veram ac realem Spiritus S. communicationem, inter humanum deniq; studium pœnitentiæ, signo illo ablutionis excitatum, ac directum, & ipsam cælestem Spiritus diuini, in animabus hominum, operationem ac sanctificationem.

Omnem eam differentiam verba ipsa Ioannis manifesto declarant, modo expendantur, qua par est, attentione. Quorsum enim primum tantam hic adhibet sui, respectu Christi, submissionem: (Ego inquit imbecillis totus, ille fortior me; ego licet prior illo ætate, longè tamen dignitate posterior; nã ante me factus est, tanto interuallo vt ne calceamẽta quidem eius vel portare vel soluere dignum me sentiam) nisi vt ostendat insignem illam, quam diximus, baptismi Christi præ suo excellentiam? Certe quidem ad Baptismi huius vtriusq; comparationem dignè explicandam, id totum à Ioanne dictum, verba ipsa demonstrant. Quorsum vero etiam tam expressa apud omnes quatuor Euangelistas solius aquæ mentio in baptismo Ioannis, & quidem cum

Dignitas baptismi Christi maxima præ Ioannis.

Spiritus exceptione manifesta: contra vero in baptismo Christi Spiritus ipsius promißio expressa; tanquam, quæ in ipso conferenda foret, cum in priore non conferretur? nisi vt insignem baptismi Christi, præ altero illo tanquam longè inferiore efficaciam intelligeremus? Quid ad extremum, non nisi pœnitentiæ baptismum Ioannis haberi vult scriptura? Prædicans, *inquit*, baptismum pœnitentiæ. *Itemq;* Ego baptizo in aqua in pœnitentiam. *Et Paulus*: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum &c. Cum contra, lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S., lauacrum aquæ cum verbo vitæ coniunctum, aqua munda ab omnibus emundans inquinamentis, fons in ablutionem peccatoris *à Deo paratus &c. vocetur, aliisq; similibus titulis magnificis exornetur baptismus Christi? nisi quia longius suo baptismo se non extendebat Ioannes, quam vt corpus ablueret, eoq; modo per pœnitentiam, animæ sordes abluendas doceret: cum contra Christi baptismus, ipsa virtute sua, quam ex Spiritus diuini operatione annexam habet, etiam intima animarum penetraturus esset, omnes inde sordes eluens, ac Deo regenerans in nouam creaturam. Ita quidem plane res habet. Hæc ipsa est, Ioannis de suo baptismo prædicatio, hæc ipsa Euangelica veritas.*

Act.19.A.4 Tim.3.B.6 Ephes.5.F.26. Ezech.26.

3. Multiplex inter baptismum Ioannis & Christi discrimē.

3. *Itaque differentißima sunt, quæ de vtroq; isto baptismate, vel scripturæ sacra paßim produnt, vel fides ipsa & communis Ecclesiæ Christi sensus, nos do-*

nos docent. Primum enim nunquam baptismatum horum in scripturis occurrit mentio, quin tanquam diuersa inter se, ac alterum altero longe excellentius comparentur. Patet id ex iis quæ paulo ante, ex ipsius Ioannis ore attulimus. Patet ex pluribus aliis scriptura locis, puta ex Actuum 1. 11. 13. 19.

Deinde prius quidem illud, perpetuo Ioanni tanquam institutori eius primo attribuitur. Patet id ex omnibus, quæ nominauimus locis, imo ab eo etiam nomen tulit, vt Ioannis Baptisma vocaretur & non Christi. In quo; *inquit quibusdam Paulus,* baptizati estis? *quærens an Christi an Ioannis suscepissent baptismum.* At illi responderunt, in Ioannis baptismate. *At vero Christi baptisma nunquam ab vllo hominum, præterquam ab vno Christo authore eius primo sortitum est nomen. Itaque etiam cum initio discipuli eius baptizarent nomine ipsius; ipse tamen baptizasse in iis à scriptura nominatim monetur. Et Paulus diligenter auertere conatur ab ea opinione omnes, ne quis vnquam baptismum Christianum alterius nomine censendū existimet, quam vnius Christi:* Nunquid, *inquit,* Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem baptizaui, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. &c.

Baptisma Ioannis ab authore nominatum.

Act. 19. 4.

Ioan. 4. 1.

1. Cor. 1.

Atque hinc tertia differentia, quod baptismus quidem Christi, verum ac legitimum sit noui testamenti Sacramentum credendum: Ioannis vero nullo

Ioannis baptisma non est Sacramentum Euangelii.

ro nullo modo, imo non nisi figura quædam adhuc & vmbra Sacramenti. Alioquin primum omnium ac maximè necessarium Sacramentum nouæ legis, alium habuisset quam Christum institutorem, & quidem Christo antiquiorem. Id quod ferre omnino nequit propria nouæ legis institutio; [illegible]m Paulus ad Hebræos scribens studiosè contendit, non
Hebr. 7. C. *nisi à nouo Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron appellati, originem habere debuisse.*

Efficacitas baptismi Christi præ Ioannis.

Consequitur inde etiam diuersitas quarta, ex parte efficacitatis vtriusque; Christi enim baptismus vti verum Sacramentum est, ita vere efficax gratiæ spiritualis, quam designat, indicium. Ideo
Ezech. 36. *enim* mundari eo ab omnibus inquinamentis
Zach. 13. homines *dicuntur in scripturis, ideo* ablui eo
Ioan. 3. A. peccatores & menstruatæ, *ideo* renasci in eo
Eph. 5. F. ex aqua & Spiritu S., *ideo* mundari Ecclesia, ita vt non remaneat vlla in ea macula, aut ruga, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit Sancta tota & immaculata. *At vero nihil tale baptismo Ioannis vspiam tribuitur, imo negatur expresse. Hoc enim est quod supra vidimus, Ioannem perpetuo negare suo, spiritum dari, Baptismate; Sed Christi id reseruatum Baptismo futuro.* Ille *inquit* baptizabit Spiritu, *non ego. Hoc quod non nisi aquam & ipse Ioannes vti vidimus, suo baptisma*
Act. 1. A 5. *tribuit, & aliæ scripturæ assignant: Ita enim &*
Act. 11. B. *Christus Apostolis.* Ioannes quidem baptiza-
Luc. 3. A 3 uit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S.

Ita Pe-

Ita Petrus de Cornelio: Recordatus sum, *inquit*, verbi Domini sicut dicebat Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. *Hoc deniq; quod non nisi pœnitentiæ baptismus vocetur Ioannis. Ita enim & Lucas eum in hoc Euangelio nominat, & Marcus vti vidimus, & Paulus in Actibus Apostolorum iterum iterumq;.* Mar. 1. A. Act. 13. D Act. 15. A

4. *Et quidem mentio etiam fit aliquando remissionis peccatorum, dum Baptismi à Ioanne prædicati fit mentio; vti in locis ex Luca Marcoq; nominatis videre est. Sed primum nunquam id asseritur expressè de baptismo, quem contulit Ioannes sed de eo quem prædicauit. Vtroq; enim illo loco nominatim additur mentio prædicationis*: Prædicans *inquit*, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Prædicauit vero, vti ante vidimus, non suum solum baptismum Ioannes, quem dabat ipse; sed futurum etiam, quem paulo post daturus erat Christus. Satisq; tum distinctè ipsemet, suo quidem nil nisi aquam adscribendum monuit; Spiritus vero donationem, (in qua etiam ipsa peccatorum remissio) Christi.* 4. Remissio peccatorum quatenus baptismo Ioannis tributa.

Deinde, meminit quidem Ioannes vna cum Baptismo remissionis peccatorum, sed simul etiam vtroq; in loco pœnitentiæ præmittit nomen: Baptismum, *inquit*, Pœnitentiæ in remissionē peccatorum. *Ideoq; etiam si quis contendat omnino de baptismo ipso etiam Ioannis ista accipienda; nihil tamen euincet aliud, quam ratione adiunctæ pœ-*

nitentiæ

nitentiæ remittendi peccata aliquam vim habuisse baptismum illum. Id quod nemo iure negauerit. Omnis enim pœnitentia, quodcunq; habeat signum annexum, modo ipsa in se sit vera; peccatorum remissionem in homine perpetuo operatur. Itaq; & cum sacrificijs antiquis olim coniuncta, remissionem eam obtinuit; & cum lachrymis postmodum Magdalenæ, idem operata est, & hodieq; vel ieiunijs, vel eleemosynis, vel sedulis orationibus admixta, idem potest: nec tamen propterea istorum, vel omnium, vel singulorum eadem cum baptismo Christi virtus, eademue est efficacia. Nempe aliud est ex opere ac dignitate operantis, seriam hominis conuerionem ad Deum acceptari in remissionem peccatorum; aliud (quod Sacramenta nouæ legis habent) ex ipsa innexa sibi vi, cooperante scilicet diuino spiritu, talia communicari hominibus, vbi impedimentum spiritui nullum ab homine opponatur.

Luc. 7. G.

Baptismus Ioannis nulli datus, nisi capaci pœnitentiæ.

Atque hinc etiam quintum inter baptismata ista, insigne existit discrimen. Ioannes nullum vnquam baptizauit, nisi pœnitentiæ iam agendæ in se ipso idoneum. Nullum inquam infantem admisisse ad suum baptismum, neq; in scripturis legitur, neq; vlla Ecclesiæ vel hominis cuiusquam, vel traditione vel testificatione habetur. Solos eos qui prædicationis ipsius, & ita fidei in Christum, ac dignorum pœnitentiæ fructuum essent capaces, suscepit. Nimirum quia cum tota baptismi sui operatio ex adiuncta pœnitentiæ operatione penderet: inanis fuisset omnis baptizatio infantum. Neq; enim aliud ij quic-

quicquam, quā nudam aquæ ablutionem percepissent, qualem à nutrice quisque eorum sua, æque quotidie domi accipiebat. At vero baptismi Christi longe alia ratio est. Admitti ad eum æque & infantes possunt ac debent, vti communis id propterea etiam Ecclesiæ consuetudo habet; quin amentes etiam, ac mente capti. Quia scilicet tota vis operandi, in ipso hic baptismo est. Satis est ex parte talium baptizandorum, nullum esse Spiritui S. obicē positum, per contrariam obstinatæ ipsorum voluntatis intentionem, ad fructum Sacramenti ipsius percipiendum.

5. Eodem vero ex capite, etiam sexta illa differentia ortum habet; quod cum adeo imperfectum esset baptisma Ioannis: propterea ex ipsa natura sua perfici debuerit Baptismo Christi, tanquam longe perfectiore. Quantumuis, inquam, à Ioanne quispiam fuisset, baptizatus: nihilominus tamen, denuo etiam à Christo baptizari debuit, postquam Christi Baptisma cœpit mundum obligare. Docuit id ipse primum Ioannes, Attestatur vero ei etiam communis Apostolorum praxis. Ego inquit apud Marcum Ioannes, baptizaui vos aqua. ille baptizabit vos Spiritu S. Ecce ijs loquitur, qui baptismo iam ipsius initiati, iam inquam ab ipso baptizati fuerant, & ijs tamen etiam sic nouum promittit Christi baptisma in quo ex spiritu sancto regenerandi essent. Si non longe aliud Ioannis, aliud Christi baptisma, quomodo qui vno abluti iam erant, ad alterum remittuntur? Nam Christi quidem ba

5. Baptismus Ioannis perfici debuit baptismo Christi. Mar. 1. A 8

dem baptiſmo, vt vnus idemq́ homo ſæpius tingatur, non minus fieri poteſt, quam vt vnus idemq́ homo ex eadem parente ſua iterato generetur.

Apoſtoli vero licet ſcirent maximam Iudæorum partem iam fuiſſe ante baptizatam à Ioanne, Exiuerant enim ad eum, *vt Marcus Matthæusq́ teſtantur,* & omnis Iudæa & omnis regio circa Iordanem & *particulariter* Hieroſolimytæ vniuerſi, *& baptiſmum ab eo receperant: nihilominus quotquot poſt modum ad Chriſti confeſsionē ex ijs conuertebantur, abſq́ vlla hæſitatione ad nouum Chriſti baptiſma ſuſcipiendum obligarunt. Itaq́ & cum ipſa die Pentecoſtes, tria eſſent hominum millia, vna Petri concione conuerſa Hieroſolymis; & cum non ita multo poſt, millia alia quinque; omnibus tamen promiſcue præceptum fuit, baptizari in nomine Ieſu Chriſti, omnesq́ promiſcue nulla de accepto Ioannis Baptiſmate interrogatione facta, in eo nomine fuere baptizati. B. vero Paulus alibi etiam expreſſè de Ioannis Baptiſmo accepto examinatos faſſòsq́; in nomine tamen Dominī Ieſu denuo baptizari fecit.*

Matth. 1. Mar. 3. A3. — Act. 2. F. — Act. 19. A

Baptiſmus Ioannis non datus in nomine Patris & Filij & Spiritus S.

Quando quidem etiam ſeptimum quoddam diſcrimen, idque eſſentiale vtriusq́ huius baptiſmi aperuit Paulus. Nam cum baptiſmatis Chriſti ipſa forma in eo ſit, vt conferatur in nomine S. Trinitatis expreſſò, Patris inquam, & Filij & Spiritus S. nihil tale habuiſſe baptiſmum Ioannis ibi oſtendit Paulus. Patet id ex eo, cum illo in loco examinaret quoſdam diſcipulos, accepiſſentné Spiritum S. an ſecus;

ſecus; illiq́ reſponderent, ne quidem nomen Spiritus S. illo vſq́ ſe audiuiſſe: mox perrexit quærere; in quo ergo baptizati eſſēt? *(Nimirū quia verus Chriſti baptiſmus, ſine Spiritus S. mentione nō conferretur) illisq́ reſpondentibus:* in baptiſmate Ioannis *ſe baptizatos; mirari iam deſiit ignorantiam ipſorum, quam in baptizatis in Chriſto nō toleraſſet, diligentiusq́ etiam in fide Spiritus S. inſtruxit.*

Ad extremum ſubeunte paulatim baptiſmo Chriſti, prius illud Ioannis, totum exterminatum fuit; vt pote euacuatum, vel expletum potius, tanquam minus perfectum à perfectiore illo Chriſti. At vero Chriſti baptiſmus, nullam iam in omne æuum mutationem poteſt admittere. Hæc igitur baptiſmatum iſtorum differentia, hæc tanta Ioannis præ Chriſti tenuitas, hæc tanta Chriſti præ Ioannis excellentia, & quidem ex ipſa Ioannis, de vtroq́ iſthac baptiſmo, prædicatione, vſuque inde ipſo Apoſtolorum, manifeſto deducta. Baptiſmus ioannis ſublatus.

Et hæc quidem igitur de prima doctrinæ Ioannis parte: nunc altera de pœnitentiæ prædicatione videamus.

ALTERVM DOCTRINÆ IOannis caput de pœnitentia.

Ioannis pœnitentia, viarum Domini directionem docebat.

6. D*E pœnitentia igitur ſecundo loco, prout eam Ioannes*

am Ioannes prædicauit, hæc habent Euangelistæ, Lucas quidem in hoc Euangelio, vt sequitur: Venit *inquit*, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ, vox clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aspera in vias planas. *Et paulo post Euangelium idem Lucas* Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cæperitis dicere patrem habemus Abraham, Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. *Hæc Lucas. Matthæus vero, præter hæc ipsa de dignis pœnitentiæ fructibus, atq; Abrahæ filiis ac arboris infructuosæ excisione quæ totidem prope verbis, & ipse repetit, illa præterea addit:* Venit, *inquit*, Ioannes prædicans in deserto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. *Eiusq; rei causam subnectit:* Hic est enim, *inquiens*, qui dictus est per Isaiam Prophetam, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. *At Marcus illud solum quod & hic Lucas habet:* Fuit, *inquit*, Ioannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. *Qui-*

Luc. 3. B. *Mat. 3. 4.* *Matt. 3. A.* *Mar. 1. 4*

Quibus quidem omnibus ex locis, accuratius examinatis, non illud solum primum habemus; id ipsum quod scripturæ paßim de proprio Ioannis munere testantur, venisse eum vt viam præpararet Domino, per gratiam iam ac peccatorum remißionem aduentanti; id ipsum inquam, in baptismi pœnitentiaq; prædicatione potißimum fuisse positum: sed & alterum illud consequenter facile intelligimus; in quo potißimum ipsa illa pœnitentiæ ratio, quam prædicare propriè venerit Ioannes, fuerit constituta. Et quidem proprium fuisse Ioannis officium, parare viam Domini, *siue vt alibi scriptura loquitur,* parare Domino plebem perfectam, *sæpißimè in scripturis repetitur. Id pridem Isaias Propheta prædixerat, prout & Lucas hic, Isaiæ ad eum finem recitat testimonium. Et omnes Euangelistæ reliqui, id iterant paßim. Idem pronunciarat Malachias, prout id, & superiore Dominica, ex ore Christi ipsius audiuimus, & omnes prope Euangelistæ idem æquè testantur. Quin & Angelus, nascituri Ioannis nuncius, idem Zachariæ patri eius retulit,* præcessurum *eum Saluatorem* in spiritu ac virtute, *Eliæ*, parare Domino plebem perfectam. *Et Zacharias ipse post modum Spiritu S. iam peculiariter repletus:* Et tu puer, *inquit*, Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Propriũ Ioannis officium parare Domino viam.

Lu. 1. B 17.
Isaiæ 40. 3.
Matth. 3. 3.
Matt. 1. 3.
Ioã. 1. C 23.
Malac. 3. 1
Mat. 11. 10
Lu. 7. D 27
Mar. 1. A 2
Lu. 1. 76.

Hanc vero ipsam præparationem, potißimum præstitisse Ioannem pœnitentiæ suæ prædicatione,

Parauit propriè Ioannes Domino viam pœnitẽtiæ prædicatione.

Lucas hic manifesto asserit, explicans illud Isaiæ, de Ioannis isto officio vaticinium, vti vidimus, idq; in eo expletum asserens, quod Ioannes prædicarit suum istum pœnitentiæ baptismum. Hoc enim est, quod illa sibi volunt Lucæ: Venit prædicans baptismum pœnitentiæ, sicut scriptum est in libro Isaiæ: Vox clamantis dirigite. &c. *Ad eum inquit modum prædicauit illum suum pœnitentiæ baptismum, suamq; induxit pœnitentiam, pro vt is ante per Isaiã fuerat prænunciatus: fore, vt vox clamantis, siue prædicantis intonaret in deserto, dirigendas siue præparandas per pœnitentiam Domino aduentanti vias suas. Confirmat vero idẽ & Matthæus, dum post factam de prædicatione pœnitentiæ Ioannis mentionem, subito causam eius illam adducit, quod id ita prædixerit Isaias:* Hic est enim, *inquiens,* qui dictus est per Isaiam, Vox clamantis &c. *Hæc inquit ratio est, cur pœnitentiam illam ita prædicarit Ioannes, quia ipse vox illa erat, de qua pridem fuerat prædictum, fore vt clamaret;* Parate viam Domini &c. *Cui nimirum præparationi eo modo satisfaciendum erat, hoc est, per dignos fructus pœnitentiæ à Ioanne prædicatos.*

7. Pœnitentiæ proprium opus ex analogia viæ præparandæ colligendum.

7. *Sic Euangelistæ, neq; aliunde propterea melius faciliusué intellexerimus, quod sit proprium pœnitentiæ istius, quam prædicauit Ioannes, opus, quam ex ipsa ista Euangelistarum interpretatione. Videlicet id quod viæ cuiuscunq;, in via alioqui & impeditissima, complanatio efficit in corporalibus, ad facilem*

ad facilem aditum aperiendum cuiuis transituro; idem pœnitentiæ studium debet efficere in animæ nostræ dispositione, ad ingressum aperiendum Christo, per gratiam suam introituro.

Illa tota in eo est, vt impedimenta omnia viarum tollat è medio, siue inquam quæ montosa sint, ac nimis accliuia (vt in collibus,) demittenda sint; siue quæ profunda ac demissa nimis, (vt in vallibus) eleuanda; siue quæ curua sint, intortaq́; nimis, rectificanda; siue deniq́; quæ inæqualia sint nimis atq; aspera coëquanda complanandaq́;, pro vt in his quatuor propterea, hoc ipsum Euangelium omnem viæ cuiuscunq; impeditæ ac difficilioris expeditionem, positam describit. Et iustum igitur etiam pœnitentiæ studium, totum in eo est, vt quæcunque in animo nostro sese offerant, quæ Christi à nobis arcere poßint præsentiam, auferantur penitus eliminenturq́;. Iidemq́; ipsi labores, qui ad huiuscemodi impedimenta expedienda, impenduntur; fructus pœnitentiæ dicuntur: digni vel minus digni, prout vel maiora sint huiuscemodi animarum nostrarum vel minora impedimenta, quæ amouenda sunt; quibus vel idonei sint conatus nostri tales sufficientesué, vel minus idonei atq; inepti. **Præparatio viarum.** **Digni pœnitentiæ fructus.**

Quod dicimus, tale est. Venit Ioannes diuinitus ad id missus vt viam præpararet Christo, vero Meßiæ aduentanti: non vtiq; viam vllam corpoream aut naturalem. Nam sufficere sibi voluit ad omnem naturalem suam neceßitatem ipsemet Christus: ac propterea neq; vt homo fieret, ipse vlla Ioan- **Spiritualis viæ præparatio.**

ro nullo modo, imo non nisi figura quædam adhuc & vmbra Sacramenti. Alioquin primum omnium ac maximè necessarium Sacramentum nouæ legis, alium habuisset quam Christum institutorem, & quidem Christo antiquiorem. Id quod ferre omnino nequit propria nouæ legis institutio; [illegible]m Paulus ad Hebræos scribens studiosè contendit, non Hebr. 7. C. *nisi à nouo Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron appellati, originem habere debuisse.*

Efficacitas baptismi Christi præ Ioannis.

Consequitur inde etiam diuersitas quarta, ex parte efficacitatis vtriusque; Christi enim baptismus vti verum Sacramentum est, ita vere efficax gratiæ spiritualis, quam designat, indicium. Ideo Ezech. 36. *enim* mundari eo ab omnibus inquinamentis Zach. 13. homines *dicuntur in scripturis, ideo* ablui eo Ioan. 3. A. peccatores & menstruatæ, *ideo* renasci in eo Eph. 5. F. ex aqua & Spiritu S., *ideo* mundari Ecclesia, ita vt non remaneat vlla in ea macula, aut ruga, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit Sancta tota & immaculata. *At vero nihil tale baptismo Ioannis vspiam tribuitur, imo negatur expresse. Hoc enim est quod supra vidimus, Ioannem perpetuo negare suo, spiritum dari, Baptismate; Sed Christi id reseruatum Baptismo futuro.* Ille *inquit* baptizabit Spiritu, *non ego. Hoc quod non nisi aquam & ipse Ioannes vti vidimus, suo baptismo* Act. 1. A 5. *tribuit, & aliæ scripturæ assignant: Ita enim &* Act. 11. B. *Christus Apostolis.* Ioannes quidem baptizaLuc. 3. A 3 uit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S.

Ita Pe-

Ita Petrus de Cornelio: Recordatus sum, *inquit*, verbi Domini sicut dicebat Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. *Hoc deniq; quod non nisi pœnitentiæ baptismus vocetur Ioannis. Ita enim & Lucas eum in hoc Euangelio nominat, & Marcus vti vidimus, & Paulus in Actibus Apostolorum iterum iterumq;.* Mar. 1. A. Act. 13. D Act. 15. A

4. *Et quidem mentio etiam fit aliquando remissionis peccatorum, dum Baptismi à Ioanne prædicati fit mentio; vti in locis ex Luca Marcoq; nominatis videre est. Sed primum nunquam id asseritur expresse de baptismo, quem contulit Ioannes sed de eo quem prædicauit. Vtroq; enim illo loco nominatim additur mentio prædicationis*: Prædicans *inquit*, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Prædicauit vero, vti ante vidimus, non suum solum baptismum Ioannes, quem dabat ipse; sed futurum etiam, quem paulo post daturus erat Christus. Satisq; tum distincte ipsemet, suo quidem nil nisi aquam adscribendum monuit; Spiritus vero donationem, (in qua etiam ipsa peccatorum remissio) Christi.* 4. **Remissio peccatorum quatenus baptismo Ioannis tributa.**

Deinde, meminit quidem Ioannes vna cum Baptismo remissionis peccatorum, sed simul etiam vtroq; in loco pœnitentiæ præmittit nomen: Baptismum, *inquit*, Pœnitentiæ in remissionē peccatorum. *Ideoq; etiam si quis contendat omnino de baptismo ipso etiam Ioannis ista accipienda; nihil tamen euincet aliud, quam ratione adiunctæ pœ-*

nitentiæ

nitentiæ remittendi peccata aliquam vim habuisse baptismum illum. Id quod nemo iure negauerit. Omnis enim pœnitentia, quodcunq; habeat signum annexum, modo ipsa in se sit vera; peccatorum remissionem in homine perpetuo operatur. Itaq; & cum sacrificijs antiquis olim coniuncta, remissionem eam obtinuit; & cum lachrymis postmodum

Luc. 7. G. *Magdalenæ, idem operata est, & hodieq; vel ieiunijs, vel eleemosynis, vel sedulis orationibus admixta, idem potest: nec tamen propterea istorum, vel omnium, vel singulorum eadem cum baptismo Christi virtus, eademue est efficacia. Nempe aliud est ex opere ac dignitate operantis, seriam hominis conuerionem ad Deum acceptari in remissionem peccatorum; aliud (quod Sacramenta nouæ legis habent (ex ipsa innexa sibi vi, cooperante scilicet diuino spiritu, talia communicari hominibus, vbi impedimentum spiritui nullum ab homine opponatur.*

Baptismus Ioannis nulli datus, nisi capaci pœnitentiæ.

Atque hinc etiam quintum inter baptismata ista, insigne existit discrimen. Ioannes nullum vnquam baptizauit, nisi pœnitentiæ iam agendæ in se ipso idoneum. Nullum inquam infantem admisisse ad suum baptismum, neq; in scripturis legitur, neq; vlla Ecclesiæ vel hominis cuiusquam, vel traditione vel testificatione habetur. Solos eos qui prædicationis ipsius, & ita fidei in Christum, ac dignorum pœnitentiæ fructuum essent capaces, suscepit. Nimirum quia cum tota baptismi sui operatio ex adiuncta pœnitentiæ operatione penderet: inanis fuisset omnis baptizatio infantum. Neq; enim aliud ij quic-

quicquam, quā nudam aquæ ablutionem percepissent, qualem à nutrice quisque eorum sua, aque quotidie domi accipiebat. At vero baptismi Christi longe alia ratio est. Admitti ad eum æque & infantes possunt ac debent, vti communis id propterea etiam Ecclesiæ consuetudo habet; quin amentes etiam, ac mente capti. Quia scilicet tota vis operandi, in ipso hic baptismo est. Satis est ex parte talium baptizandorum, nullum esse Spiritui S. obicē positum, per contrariam obstinatæ ipsorum voluntatis intentionem, ad fructum Sacramenti ipsius percipiendum.

5. Eodem vero ex capite, etiam sexta illa differentia ortum habet; quod cum adeo imperfectum esset baptisma Ioannis: propterea ex ipsa natura sua perfici debuerit Baptismo Christi, tanquam longe perfectiore. Quantumuis, inquam, à Ioanne quispiam fuisset, baptizatus: nihilominus tamen, denuo etiam à Christo baptizari debuit, postquam Christi Baptisma cœpit mundum obligare. Docuit id ipse primum Ioannes, Attestatur vero ei etiam communis Apostolorum praxis. Ego inquit apud Marcum Ioannes, baptizaui vos aqua. ille baptizabit vos Spiritu S. Ecce ijs loquitur, qui baptismo iam ipsius initiati, iam inquam ab ipso baptizati fuerant, & ijs tamen etiam sic nouum promittit Christi baptisma in quo ex spiritu sancto regenerandi essent. Si non longe aliud Ioannis, aliud Christi baptisma, quomodo qui vno abluti iam erant, ad alterum remittuntur? Nam Christi quidem ba

5. Baptismus Ioannis perfici debuit baptismo Christi. Mar. 1. A 8

dem baptismo, vt vnus idemq; homo sæpius tingatur; non minus fieri potest, quam vt vnus idemq; homo ex eadem parente sua iterato generetur.

Apostoli vero licet scirent maximam Iudæorum partem iam fuisse ante baptizatam à Ioanne, Exiuerant enim ad eum, *vt Marcus Matthæusq; testantur,* & omnis Iudæa & omnis regio circa Iordanem & *particulariter* Hierosolimytæ vniuersi, *& baptismum ab eo receperant: nihilominus quotquot post modum ad Christi confessionẽ ex ijs conuertebantur, absq; vlla hæsitatione ad nouum Christi baptisma suscipiendum obligarunt. Itaq; & cum ipsa die Pentecostes, tria essent hominum millia, vna Petri concione conuersa Hierosolymis; & cum non ita multo post, millia alia quinque; omnibus tamen promiscue præceptum fuit, baptizari in nomine Iesu Christi, omnesq; promiscue nulla de accepto Ioannis Baptismate interrogatione facta, in eo nomine fuere baptizati. B. vero Paulus alibi etiam expresse de Ioannis Baptismo accepto examinatos fassosq; in nomine tamen Dominũ Iesu denuo baptizari fecit.*

Matth. 1. Mar. 3. A3.

Act. 2. F.

Act. 19. A

Baptismus Ioannis non datus in nomine Patris & Filij & Spiritus S.

Quando quidem etiam septimum quoddam discrimen, idque essentiale vtriusq; huius baptismi aperuit Paulus. Nam cum baptismatis Christi ipsa forma in eo sit, vt conferatur in nomine S. Trinitatis expresso, Patris inquam, & Filij & Spiritus S. nihil tale habuisse baptismum Ioannis ibi ostendit Paulus. Patet id ex eo, cum illo in loco examinaret quosdam discipulos, accepissentne Spiritum S. an secus;

secus; illiq́ʒ responderent, ne quidem nomen Spiritus S. illo vsq́ʒ se audiuisse: mox perrexit quærere; in quo ergo baptizati essēt? (*Nimirū quia verus Christi baptismus, sine Spiritus S. mentione nō conferretur) illisq́ʒ respondentibus:* in baptismate Ioannis *se baptizatos; mirari iam desiit ignorantiam ipsorum, quam in baptizatis in Christo nō tolerasset, diligentiusq́ʒ etiam in fide Spiritus S. instruxit.*

Ad extremum subeunte paulatim baptismo Christi, prius illud Ioannis, totum exterminatum fuit; vt pote euacuatum, vel expletum potius, tanquam minus perfectum à perfectiore illo Christi. At vero Christi baptismus, nullam iam in omne æuum mutationem potest admittere. Hæc igitur baptismatum istorum differentia, hæc tanta Ioannis præ Christi tenuitas, hæc tanta Christi præ Ioannis excellentia, & quidem ex ipsa Ioannis, de vtroq́ʒ isthac baptismo, prædicatione, vsuque inde ipso Apostolorum, manifesto deducta. Baptismus ioannis sublatus.

Et hæc quidem igitur de prima doctrinæ Ioannis parte: nunc altera de pœnitentiæ prædicatione videamus.

ALTERVM DOCTRINÆ IOannis caput de pœnitentia.

Ioannis pœnitentia, viarum Domini directionem docebat.

6. DE *pœnitentia igitur secundo loco, prout e-*

am Ioannes prædicauit, hæc habent Euangelistæ, Lucas quidem in hoc Euangelio, vt sequitur: Venit *inquit*, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ, vox clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aspera in vi-

Luc. 3. B. as planas. *Et paulo post Euangelium idem Lucas* Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cæperitis dicere patrem habemus Abraham, Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. *Hæc*

Mat. 3. 4. *Lucas. Matthæus vero, præter hæc ipsa de dignis pœnitentiæ fructibus, atq; Abrahæ filijs ac arboris infructuosæ excisione quæ totidem prope verbis, &*

Matt. 3. A. *ipse repetit, illa præterea addit:* Venit, *inquit*, Ioannes prædicans in deserto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. *Eiusq; rei causam subnectit:* Hic est enim, *inquiens*, qui dictus est per Isaiam Prophetam, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas

Mar. 1. 4 eius. *At Marcus illud solum quod & hic Lucas habet:* Fuit, *inquit*, Ioannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. *Qui-*

Quibus quidem omnibus ex locis, accuratius examinatis, non illud solum primum habemus; id ipsum quod scripturæ paßim de proprio Ioannis munere testantur, venisse eum vt viam præpararet Domino, per gratiam iam ac peccatorum remißionem aduentanti; id ipsum inquam, in baptismi pœnitentiæq; prædicatione potissimum fuisse positum: sed & alterum illud consequenter facile intelligimus; in quo potißimum ipsa illa pœnitentiæ ratio, quam prædicare propriè venerit Ioannes, fuerit constituta. Et quidem proprium fuisse Ioannis officium, parare viam Domini, *siue vt alibi scriptura loquitur,* parare Domino plebem perfectam, *sæpißimè in scripturis repetitur. Id pridem Isaias Propheta prædixerat, prout & Lucas hic, Isaiæ ad eum finem recitat testimonium. Et omnes Euangelistæ reliqui, id iterant paßim. Idem pronunciarat Malachias, prout id, & superiore Dominica, ex ore Christi ipsius audiuimus, & omnes prope Euangelistæ idem æquè testantur. Quin & Angelus, nascituri Ioannis nuncius, idem Zachariæ patri eius retulit,* præcessurum *eum Saluatorem* in spiritu ac virtute, *Eliæ*, parare Domino plebem perfectam. *Et Zacharias ipse post modum Spiritu S. iam peculiariter repletus:* Et tu puer, *inquit*, Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Propriũ Ioannis officium parare Domino viam.

Lu.1.B 17.
Isaiæ 40.3.
Matth. 3.3.
Matt. 1.3.
Ioã. 1.C 23.
Malac. 3.1
Mat. 11.10
Lu.7.D 27
Mar.1.A 2
Lu. 1. 76.

Hanc vero ipsam præparationem, potißimum præstitisse Ioannem pœnitentiæ suæ prædicatione,

Parauit propriè Ioannes Domino viam pœnitẽtiæ prædicatione.

ad facilem aditum aperiendum cuius transituro; idem pœnitentiæ studium debet efficere in animæ nostræ dispositione, ad ingressum aperiendum Christo, per gratiam suam introituro.

Illa tota in eo est, vt impedimenta omnia viarum tollat è medio, siue inquam quæ montosa sint, ac nimis accliuia (vt in collibus,) demittenda sint; siue quæ profunda ac demissa nimis, (vt in vallibus) eleuanda; siue quæ curua sint, intortaq́; nimis, rectificanda; siue deniq́; quæ inæqualia sint nimis atq; aspera coëquanda complanandaq́;, pro vt in his quatuor propterea, hoc ipsum Euangelium omnem viæ cuiuscunq; impeditæ ac difficilioris expeditionem, positam describit. Et iustum igitur etiam pœnitentiæ studium, totum in eo est, vt quæcunque in animo nostro sese offerant, quæ Christi à nobis arcere possint præsentiam, auferantur penitus eliminenturq́;. Iidemq́; ipsi labores, qui ad huiuscemodi impedimenta expedienda, impenduntur; fructus pœnitentiæ dicuntur: digni vel minus digni, prout vel maiora sint huiuscemodi animarum nostrarum vel minora impedimenta, quæ amouenda sunt; quibus vel idonei sint conatus nostri tales sufficientesué, vel minus idonei atq; inepti.

Præparatio viarum.

Digni pœnitentiæ fructus.

Quod dicimus, tale est. Venit Ioannes diuinitus ad id missus vt viam præpararet Christo, vero Mesiæ aduentanti: non vtiq; viam vllam corpoream aut naturalem. Nam sufficere sibi voluit ad omnem naturalem suam necessitatem ipsemet Christus: ac propterea neq; vt homo fieret ipse vlla Ioan-

Spiritualis viæ præparatio.

 nis præ-

nis præparatione opus habere voluit, neq; vt postmodum homo iam factus, quæcunq; humanæ naturæ officia administraret. Ad solos hominum animos sibi præparandos aptandosq;, opera Ioannis vti voluit; in iisq; propterea disponendis tota industria Ioannis erat exercenda. Iam eam ad rem potissimum requirit ac primo omnium pœnitentiæ studium Ioannes, & quidem studium pœnitentiæ, siue fructus eius condignos. Quærimus quale hoc sit pœnitentiæ studium? & ex Euangelij huius interpretatione concludimus, id totum in eo esse, vt omnia ea quæ in animabus nostris occurrere solent possuntq; obstacula, Domini à nobis gratiam excludentia, remoueantur.

Impedimenta viæ spiritualis peccata.

Quæ enim sunt obstacula illa? sine dubio non corporea ea aut naturalia; non inquam quæ in vlla vel externarum rerum inopia aut egestate, vel corporum nostrorũ defectu aut ægritudine posita sunt; (neq; enim in talibus vllum est diuinæ gratiæ impedimentum in nobis, quin sæpe adminiculum maximum) sola peccata ea sunt, & quæ ex peccatis enascuntur in animis nostris, siue iniquitas, siue ruina, siue deformitas, siue labes, siue reatus, aut quocunq; tandem nomine simili teterrimos in homine peccatorum effectus libeat appellare. Quos quidem pro ratione peccatorum variorum, non dubium est, & ipsos esse varios; in turpioribus inquam, peccatis turpiores, in grauioribus grauiores, in enormibus totos enormes &c. Nimirũ ista sola sunt quæ vt nos primum à Deo alienant, ita vicissim Deum à nobis cum

bis cum omni gratia ipſius longiſſimè auertunt. Et ratio quidem omnis id ita dictitat, & ipſa ſcriptura ſacra. Ratio quidem, quia nihil eſſe in naturalibus poteſt, neq; bonum neq; malum, quod non ex authoris natura, Dei inquam ipſius diſpoſitione, plena, dependeat. Ideoq; malum tale diſplicere ei nunquam ita poteſt; vt gratiam ſuam propterea à quoquam ipſe abſtrahat. Propriam enim alioqui ſuam ipſe diſpoſitionem ita perſequeretur, puniretuè; quo nihil poteſt eſſe à Dei perfectione alienum magis. Morale neceſſe eſt malum ſit, quod auerſetur Deus, hoc eſt ſpontanea hominis voluntate ſuſceptum, vt dignum pœna cenſeatur. Quale quidem nihil eſt in omni rerum natura, præter id quod peccatum dicimus. Scriptura vero idem diſertè teſtatur. Ecce, *inquit*, non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neq; aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates noſtræ diuiſerunt inter vos & Deũ, & peccata noſtra abſconderunt faciem eius à nobis vt exaudiret. *Vides nihil aliud eſſe impedimenti, quo minus ſalutem ſuam conferat homini Deus, quam quod iniquitates humanæ eam diuiſionem faciant, vt nequeat (quod alioqui ijs non obſtantibus præſtaret) ipſos ſaluare. Atq; hinc eſt etiam illud, quod cum Deus naturaliter adeò intimè adſit rebus à ſe creatis omnibus; vt in ipſo dicamur omnes nos* & viuere, & moueri, & eſſe: tamen ſolis timentibus atq; inuocantibus ſe in veritate, propè adeſſe *dicatur in ſcripturis, contra vero* longè à peccatoribus abeſſe.

Iſaia 5. A1

Act. 17. 28.
Pſ. 144. 18
Pſal. 118. n. 155.

Pœnitentia Peccata remouet.

Pœnitentia igitur est hæc Ioannis, cum ad modum complanationis viarum difficillimarum dirigere ac disponere animas nostras debeat ad Christum per gratiam suam aduenientem excipiendum; tota in eo elaboret, necessè est, vt huiusmodi peccatorum impedimenta, quantum quidem in nobis est, eliminet excludatq́;, sicq; aditum Domino aperiat, ad corda nostra subintranda.

PROPRIVM STVDIVM POENITENTIÆ, quam prædicauit Ioannes, in eo conatu est, quo peccata præterita in nobis ipsis expiamus, persequimur, castigamus

8. 8. *SEd illud hic potissimum est, rite vt inueniamus in quo tandem propriè situs sit, ille vel conatus, vel labor noster peccata ex parte nostra eliminãs, iuxta Ioannis mentem? siue quod idem est quærere, quod tandem esse studium particulare pœnitentiæ nostræ voluerit Ioannes, quidué propriè sit pœnitere hoc, in ore Ioannis? Idemné fortè quod vel in Deum Christumué eius credere? vel in eundem sperare? vel timere ipsum? vel simile quoduis virtutum singularium Christianarum opus exercere? Hoc enim vnicum iam superest, vt inquiramus, vt plene quid à nobis præstari velit sua pœnitẽtiæ prædicatione Ioannes intelligamus.*

Dico ea de re nil propterea explicitum nobis tradere Euangelistas, nisi quod dignos pœnitentiæ fructus

fructus à suis exegerit Ioannes, quodq; nominatim ad id satis esse negarit ex semine quempiam esse Abrahæ, atq; in ea spe, promißionumq; quæ illi fuerant factæ, confidentia, conquiescere. Nam sic quoq; exscindendos esse, & in ignem mittendos, quot quot dignè non pœnituissent. Sed quale tamen id propriè sit totum, partim ex ipso isto silentio Euãgelistarum, partim ex ijs quæ dicta sunt à nobis hactenus, partim ex ipso vitæ instituto Ioannis toto, partim deniq; ex consequente pœnitentiæ studio auditorum discipulorumuè ipsius, ista ipsa prædicatione excitatum; esse concludendum. Illud vero ex ijs omnibus facile colligi, nihil aliud esse pœnitentiã eam, quam requisiuit Ioannes, quam acerrimum quoddam cuiusuis studium, omne peccati genus, non solum euitandi in futurum: (in quo vitæ propriè correctio est,) sed & detestandi penitus, omnibusq; modis persequendi in semetipso, ac castigandi; vt ita homo pœnitentia sua diuinæ se voluntati conformet, iustam iram ipsius præueniens, & semetipsum diiudicans, ne ab ipso tanquam iusto iudice, aliquando seuerius iudicetur. Hæc inquam propria pœnitentia Ioannis, hæc viarum Domini in nobis præparatio, hæc eliminatio propria omnium impedimentorum, neq; est quod quisquam sibi ea in parte de vllo alio pœnitentiæ genere blandiatur.

Pœnitentiæ propriũ studium pecca ta præterita persequi, castigare, expiare.

Silent primum Euangelistæ in quo proprium pœnitentiæ conatum posuerit Ioannes: Nimirum quia nihil eo in genere nouum is mundo intulit, nouum solum pœnitentiæ feruorem quæsiuit, isq; propterea

Omnis Euãgelica pœnitentia ꝓpriè peccata admissa in se ipso persequitur.

pterea tam accuratè disertis verbis exprimitur in scripturis. Seriam inquam & condignã pœnitentiam expoposcit Ioannes. Talem quondam & Niniuitæ iam pridem, ad prædicationem Ionæ fecerant, & ante eos Dauid ad Nathanis admonitionem, & complures alij varijs occasionibus ad pœnitentiam excitati. Quorum omnium vnus fuerat conatus, in se ipsis castigare quantum possent, quæ digna iam castigatione admiserant; sicq; præuenire iustissimam Dei ac meritam animaduersionem.

Niniuitæ. Ionæ 3. A. B. C. *Itaq; & Niniuitæ in sacco, in cinere, in ieiunio seuerißimo, in orationis clamore feruenti pœnitentiæ, semet ipsos ita diuinæ vltioni auertendæ obiecere, vt Ionas propheta describit: Et* Dauid. Ps. 6. A. 7. *Dauid de seipso suaq; pœnitentia loquens nunc* per singulos dies lauisse lachrymis lectum suum stratumque etiam irrigasse, Ps. 34. C. 13. *nunc* humiliasse in ieiunio animam suam *adeo* vt genua etiã sua infirmari inde *inciperent, nunc* cinerem *quidem* tanquam Ps. 101. 10. panem manducasse, potum vero suum cum fletu miscuisse, *similiaq; austeræ pœnitentiæ opera adhibuisse testatur.*

Ioel. 2. 12. *Deniq; admonitio etiam prophetarum erat expressa, vt conuersio ad Deum si vera esse deberet, nõ ex toto solum* corde *fieret, sed &* in ieiunio, in fletu, in planctu, *similiq; seriæ pœnitentiæ exercitatione. Neq; ignota talia erant, etiam vulgo Iudæorum, cum singulis Sabbathis ei paßim in Synagogis scripturæ legis proponerentur à legis doctoribus, explicarenturq;. Propterea ergo inquam in talibus repetendis*

petendis longi esse noluêre Euangelistæ in ista pœnitentiæ prædicatione Ioannis explicãda, illud ipsum innuentes, nihil eum eo in genere ab antiquis pœnitentiæ exercitijs innouasse. Itaq; etiã in Christi ipsius prædicatione simili post modum consilio vtuntur. Describit enim Matthæus, æque & Christum suum inchoasse Euangelium, à pœnitentiæ prædicatione: Pœnitentiam, *inquiens* agite appropinquauit enim regnum cœlorum. *Nec quicquam præterea exprimit, quod in huiusmodi pœnitentia postularit. Et tamen post modum idem Matthæus suo loco exprobrasse dicit obduratis Iudæis, quod non ad similitudinem Niniuitarũ pœnitentiã suam vel egerint, vel instituerint, cum longissimè ipse esset, qui eam ijs prædicaret, præ Iona maior. Sed ea de re nos suo loco fusius. Nunc satis est nobis, illud obseruasse; ex ipso hoc silentio scripturarum, non aliam quam hisce simillimam pœnitentiæ operationem, etiam in suis quæsiuisse Ioannem.*

Christus. *Matt. 4. 17.*

Matth. 12. D. 41.

9. *Patet vero id etiam secundo ex ijs quæ hactenus ex ipso Ioannis ore iam didicimus. Ex analogia viæ cuiusuis impeditæ expediendæ, pœnitentiæ nostræ similitudinẽ, capere nos is docuit voluitq;: quo ita Rex Regum Dominus Saluator noster, per gratiam aduentans, expeditum sibi, quantum in nobis esset, aditum inueniret. Pone principẽ quemuis denunciare ciuibus suis aduentare sese; ideoq; consequenter illud ab ijs expectari; vt vias illi transituro aptent consternantq;. Excipiunt illi nuncium vt par est creduntq; aduenturum; nunquid propterea iam* *parasse*

9\. Viæ dirigendæ studium propriè offendicula viarũ exterminat.

Simile præparandarum viarum.

parasse ipsi viam dicentur? Minimè id quidem, Nã ne manus quidem adhuc ita, aut animum ad id seriò applicuere; alio hic opus propiore est conatu. Circumspiciunt interim illi vias, inueniunt impeditissimas, agnoscunt opus esse perpurgatione. Ne sic quidem adhuc quicquam in via sua præparatione præstitere. Agnoscunt turpissimum sibi fore, nisi eas perpurgent, ac dedecoris plenum. Nec sic quidem adhuc quicquam ad rem perfectum. Denunciatur nisi fecerint officium, certam sibi principis indignationem iustamq; inde castigationem expectandam. Timent iam, & tamen ne sic quidem adhuc via est instructa. Significatur contra, si requisita præstiterint maximam à principe gratiam inituros. Sperant iã, & afficiuntur tum operi tum principi ipsi. Et tamẽ in his omnibus ne initium quidem adhuc factũ propriæ præparationis, donec tandem manus ipsas operi admouent; viarumq; omnia impedimenta conatu debito asportant; aspera inquam componant, contorta dirigant, nimis demissa vel concaua impleant, nimium elata complanent; prout in hoc Euangelio, omnis viarum dispositio describitur. Tum demum inquam verũ esse incipit, uias hosce dirigere ac præparare Domino suo; præparasse vero iam penitus tũ verum erit; vbi ex toto perfecerint taliter inchoata.

Præparatio propria spiritualium viarum.

Simillima pœnitentiæ nostræ ratio est, ex ipsa propria vti vidimus Ioannis prædicatione. Offert is denunciatq; nobis gratiosi Saluatoris Christi ad nos aduentum, vnaq; copiosissimam gratiarum eius diffusionem, cum ipso paratam; tantum vt vias ipsi nostras per

ſtras per pœnitentiæ ſtudium condignũ præparemus. Itaq; pœnitentiam, *inquit*, agite: Appropinquauit regnum cœlorum. *Certiſsima id fide appræhendimus omnino id ita fore; ſi ita nos comparemus. Nunquid propterea via iam ſatis per pœnitentiam complanata eſt? Minime id quidem. Fides ea hactenus eſt, pœnitentia nondum eſt.* *Matt. 3. 2.* *Fides.*

Dum videt nos cunctabundos Ioannes, ac nec dum manum adhibentes debitæ præparationi; inſtat vehementius. Genimina viperarum quis vobis demonſtrabit fugere à ventura ira. *Itemq;* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. *Idq; è veſtigio,* iam enim ſecuris ad radicem poſita eſt, iam ventilabrum in Domini manu, vt inutiles paleas *ab tritico bono ſegreget,* easque comburat igni inextinguibili. *Credimus & hoc fide indubitata, adeoq; timere etiam incipimus iuſtam & terribilem vindictam Dei. Et tamen ne ſic quidem adhuc pœnitentiæ ipſi propriæ manus admota eſt. Timor Domini iſte eſt, pœnitentia nec dum eſt.* *Matth. 3. A. B. C.* *Timor.*

Pergit Ioannes promiſsis etiam ad debitã præparationem nos allicere. Appropinquauit *inquit*, regnum cœlorum. Venit poſt me fortior me cuius ego calceamẽta ſoluere dignus non ſũ, ille vos baptizabit Spiritu S. & igni. *Ille vos pœnitentes, tanquam* triticum ſuum *bonum*, congregabit in cœleſte horreum: *Ergo pœnitentiam agite. Credimus & hoc, quin iam etiam afficimur, non ſolum promiſsis tantis, vt pote longè maximis*

mis (quid enim regno cœlorum maiùs?) sed etiam ipsi benignissimo Domino ac Saluatori aduenienti, per quem tanta nobis promissa offeruntur. Quid ergo? nunquid iam via parata est? Ne sic quidem adhuc propriè in genere suo inchoata. Spes ista est hactenus, initium dilectionis est, pœnitentia nondum est, viæ perpurgatio seria nondum est. Manent sic quoque omnia viarum impedimenta immota, peccatorum inquam præteritorum, vel culpæ, vel reatus, vel maculæ, vel quocunque alio nomine huiusmodi Deum à nobis elongantia offendicula libeat nominare.

Spes initiumq; dilectionis.

Applicat se tandem animus, tantis vel spebus vel timoribus excitatus; & accedit ad rem propiùs, resolutus omni ratione possibili persequi in se se mala ista, & expiare. Incipit ergo detestari ex animo admissa, proponit in futurum, nunquam similia cũ diuina gratia admittere, abijcit sese ad pedes Sacerdotis, tanquam medici spiritualis partim consilium contra admissa, quærẽs prout ij fecere q Ioanni sua confitebantur peccata, partim absolutionis auxilium expetens, prout nunc fit in Ecclesia pœnitentiæ Sacramento iam instituto. Denique quibuscunque scit medijs, diuinam à nobis iram auerti ea studiosè adhibet, orat, ieiunat, eleemosynis peccata redimit, cilicijs, fletu, planctu, Chameunijs, Xerophagijs, similibusque asperitatibus alijs in se ipso peccata sua castigat, ac nihil demum intentatum relinquit, quod ad plenam sui coram Deo expiationem ex parte sui facere posse intelligit. Et ecce ista demum propria via spiritualis, qua Christus intret, plenissimè in corde nostro

Pœnitentia.

nostro habitaturus, præparatio est: quia in his demũ propriè omnis ille conatus est, quo viæ illius impedimenta, peccata inquã, nitimur ex animabus nostris exterminare. Et hæc quoq; igitur demum propria illa pœnitentia est, quam Ioãnes sua prædicatione nobis indixit, in his omnes idonei pœnitentiæ fructus, quos à nobis requisiuit, quandoquidem, vti supra ostensum est, (n. 6.) vnum idemq; in officio Ioannis, esse scripturæ demonstrant, vel pœnitentiã prædicare, vel viam Domini aduentantis in hominũ animabus præparare. Nec dubium vllum est, quin maiora vel minora viarum impedimenta; vel maiores etiam vel minores sibi deposcant labores idoneos, vt inde amoueantur.

10. *Confirmatur verò idem tertio, etiam ex ipso instituto vitæ Ioannis toto. Quantusquantus is erat totus vox erat clamans pœnitentiam agendam esse. Id Isaias de eo pridem prædixerat, id hoc ipsum hodiernum Euangelium peculiariter approbat, id omnes pariter Euangelistæ testantur, id ipse deniq; de se Ioannes apud Ioannem affirmat.* Ego, *inquit* vox clamantis in deserto dirigite viam Domini. *Nam in his quidem locis vnum idemq; esse, clamare dirigendas nobis esse vias Domini, & prædicare pœnitentiam agendam; id iam superius nos & ex Luca in hoc ipso Euangelio & ex Matthæo docuimus (n. 6.) Non solùm vero ecce prædicatio Ioannis vox, talia clamans, sed & ipse Ioannes totus. Nimirum quia etiam cum voce sileret, re ipsa tamen prædicabat inclamabatq; omnibus suam istam viæ directio-*

10. Ioannis vitæ tota rigore pœnitentiæ prædicat.
Isaiæ 40. A3. Matt. 3. 3. Mar. 1. 3. Luc. 3 A4. Ioan. 1.23.

directionem, siue pœnitentiam agendam. Igitur & habitus ille eius simplicissimus, vox erat similia clamans; & asperrima deserti habitatio, ab omni communi hominum consolatione remota, æque vox erat talis; & dura ibi, in qua somnum capiebat, humus, & summa illa ac perpetua cibi potusq; parcitas, & tota deniq; vitæ illius, ad omnem seueritatem composita ratio, vox erat talia clamans. Omnia inquam ista vox erant mera, clamantis in deserto, pœnitentiam agendam & apparandas Domino aduenienti vias suas.

Nullam quidem hæc hactenus iustam dubitationem admittunt, ita clarè ab Euangelistis ipsis enarrata sunt; & si maxime dubitationis quidpiam haberent, tamen id facile Domini ipsius nobis tandem testimonium eximeret. Is enim de tanta illa vitæ austeritate Ioannis loquens, clarissimè, & apud Matthæum, & apud Lucam, & voci eam comparat lugubre quoddam intonanti, & ad eum finem susceptam ostendit, vt omnes eam vel intuentes vel audientes per pœnitentiam æmularentur. De Ioanne enim ibi loquens, eiusq; summa abstinentia ac seueritate, exprobransq; Iudæis quod pœnitentiam iustam non suscepissent, talia conspicientes; threnodiæ cuidam assimilat totum illud Ioannis institutum, ad eum finem directæ vt similem etiam in aliis planctum excitaret. Cui similes *inquit*, dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes, sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem &c. lamen-

Matt. 11.17 *Luc.* 7.32.

Vide Dom: 2. n.23.&24.

Luc. 7. E.

lamentauimus vobis. ἐθρηνήσαμεν, *hoc est threnos vobis lamentabiles præcinuimus, quales in funebribus nænijs præcini solent, ad similem lamentandi affectum concitandum*) & non planxistis. *Moxq; ea applicans ad Ioannis austeritatem* Venit *enim inquit Ioannes neq;* manducans panem, neq; bibens vinum, & dicitis dæmonium habet. *Ecce threnodiam Ioannis non linguæ solum sonitu, non tibiæ inflatu excitatam, sed ipsa illa cibi potusq; abstinentia summè vocalem redditam, & auribus omnibus intonantem. Ecce simul etiam finem totius eius vocalitatis, nempe vt & ipsi auditores talia intelligentes, similiter plangerent, vtiq; per dignos id pœnitentiæ fructus.*

De tali enim planctu hic loqui Dominum, præter ea quæ dicta sunt hactenus, etiam illa mox consecuta apud Matthæum exprobratio acerbissima confirmat, Ciuitatibus Chorozaim, Bethsaide, Capharnaum, & similibus à Domino facta: quod post tantas pœnitentiæ occasiones, eam digne agendam non suscepissent, cum Tyrij & Sidonij, per similem occasionem, in cinere & cilicio eam fuissent acturi. Et alioqui non est insolitum scripturæ, pœnitentiæ prædicationem, simili planctus periphrasi describere. Ita enim & apud Prophetam legimus, de Dei inuitatione ad pœnitentiam. Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum ad caluitium & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia. &c. *De pœnitentiæ ibi prædicatione loquitur, nec alia eam circumlocutione*

Matt.11.C.
Isa.22.C.12.

 tione

tione describit, quam quod ad fletum & planctum similiaq; exercitia seuerioris disciplinæ, sit homines vocaturus inuitaturusué. Quæ cum ita sint, consequens certè est, etiam omne illud proprium pœnitentiæ studium, quod sua illa pœnitendi voce in nobis requisiuit Ioannes, in ipsa vitæ austeritate, ad Ioannis imitationem assumpta, consistere; quandoquidem interpretatione ipsius Christi, etiam in ipsa illa eius austeritate, lamentandi illa seu threnodiæ similis inuitatio erat comprehensa.

11\. Pœnitentes Ioannis rigidi fuere peccatorum expiatores.

11\. *Id quod idem quarto loco ipse etiam consecutus in animis piorum effectus demonstrat. Hoc enim illud primum est, quod omnes quotquot exiuisse ad Ioannem ex tota Hierosolima, totaq; Iudæa ac regione circa Iordanem, pœnitentiæ studio dicuntur, nominatim ab Euangelistis peccatorum suorum præmisisse confessionem annotantur: Nimirum vt pro ratione peccatorũ diuersorũ, diuersa singuli pœnitentiæ suæ ab Ioãne designationem instructionemq; expeterent. Nam alia tum confessionis nulla dum erat causa, cum absoluendi à peccatis potestas, nec dum vlli hominum à Deo communicata fuisset, vt quæ tempori Resurrectionis Dominicæ esset reseruata. Hoc quod in propriis discipulis Ioannis & studium orandi singulare, & ieiunandi etiam exercitium præ cæteris omnibus eluxit. Itaq; venisse aliquãdo propterea conquestum etiam ad Christi Apostolis Pharisæos legimus, quod minus frequenter vel orarent vel ieiunarent ipsi, quam illi,* Dixerunt, *inquit Lucas,* Pharisæi ad Christum, quare discipu-

Matt. 3. 5. Mar. 1. 45. Mar. 2. 7. Ioan. 20. F. 23.

ſcipuli Ioannes ieiunant frequenter & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum; tui autem edunt & bibunt. *Hoc deniq́, quod Chriſtus ipſe teſtatur apud Matthæum de multis,* A diebus, *inquiens*, Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Apud Lucam vero.* Ex eo (*tempore Ioannis*) regnum cælorum Euangelizatur, & omnis in illud vim facit. *Nam hanc quidem violentiam, nihil aliud eſſe, quam ſingulare illud ſtudium in piorum animis excitatum per Ioannem, ad dignos pœnitentiæ fructus, quales dicimus ferendos; ſatis ipſa mentio regni cælorum cum violentia illa connexa oſtendit, eodem modo quo Ioannes etiam ſuam pœnitentiæ prædicationem, cum eodem coniunxit* Pœnitentiam, *inquiens,* agite, Appropinquauit enim regnum cœlorum. *Et quidem* facite fructus pœnitentiæ dignos, *Alioquin enim non tã regnum cœlorũ, quam ignem potius inextinguibilẽ manere omnes eos, qui pœnitentiam non agerent, manifeſto idem docuerat Ioannes.* Lu.5.F33. Matt.11.12 Luc.16.16.

Manet igitur concluſum illud, proprium pœnitentiæ exercitium, quod requiſiuit docuitq́, Ioannes, in ea potiſſimum contentione eſſe poſitum; qua ipſi, quæ admiſimus peccata (ſuo ſinguli feruore) aggredimur proſequimurq́, ac ſeueriore caſtigatione emendamus: vt ita impedimẽta remoueantur, quæ ab animis noſtris excludere gratiam Chriſti ſolent, peccata inquam. Quam ob cauſam etiam ad viarũ morem quæ præparãtur, inſtruendos animos noſtros Chriſto, prædicabat.

Sed hæc iam etiam de altera Ioannis doctrinæ parte, pœnitentia inquam. Superest, vt vltimam etiam illam de Christi ipsius demonstratione, expendamus.

TERTIVM DOCTRINÆ IOANNIS caput, de Christo Saluatore præsente testimonium.

12. 12. T*Ertiam doctrinæ Ioannis partem, in illa Christi Saluatoris nostri ostensione positam diximus, qua illud effecit testimonio suo Ioannes, prout hoc Euangelium loquitur, vt* videret, *siue cognosceret,* omnis caro salutare Dei nostri. *Præstitit id Ioannes post omnem baptismi ac pœnitentiæ suæ prædicationem, illis maximè verbis quibus Christum digitis demonstrans, iterum iterumq; suis testatus*

Ioan. 1. 29. *fuit:* Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Itemq; alijs illis:* qui post me ventu-

Matt. 3. 11 rus est fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. *(Siue, vt alius Euangelista loquitur,* corrigiam calceamenti soluere*)* ille baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni.

Ioãnes Christum agnũ Dei testatur

Iis verò quid propriè commendatum nobis voluerit, facile iam partim ex ipsis istis verbis eius, partim ex ijs quæ hactenus tam multa disseruimus, fuerit intelligere. Dicit primum verbis manifestis Christum esse agnum Dei, qui tollat peccata mundi. Nempè eo testimonio scientiam illam salutis, propter quam mundo communicandam ipse missus venerat,

venerat, ad extremum tandem culmen deduxit, eamq; in illo sitam ostendit, vt agnoscamus, & verum & vnicum mundi Saluatorem esse Christum. Verum quidem, quia ipse est qui tollit peccata mundi. *Nil proprium magis vero Saluatori mundi. Declarat id Angelus Iosepho, dum nomen Christi proprium Iesus fore siue, quod idem est, Saluator pronunciat; & mox rationem nominis adferens:* Ipse enim, *inquit*, saluum faciet populum suum, à peccatis eorum. *Idemq; propterea etiam in ipso isto Euangelio insinuatur ab Euangelista:* Et videbit omnis caro Salutare Dei. *Vnicū vero illum, quia ipse est* Agnus Dei *diuinitus scilicet ad eum finem destinatus, ac mundo datus.* Nō *igitur, vt Petrus alibi dicit*, aliud sub cælo datū est nomen hominibus in quo nos oporteat fieri saluos. *Matt. 1. 21.* *Act. 4. 2.*

Addit vero Ioannes; agnum illum tanti esse, vt ipse cum omni sua sanctitate ac pœnitentia, dignum tamen se minimè inueniat, qui aut calceos illius portet, aut soluat ei corrigiam calceamentorum. Nempe illud vult significare ita ab eo dependere omnem salutem nostram, omnemq; peccatorū mundi remissionem, vt nulla nostra quantumuis magna vitæ sanctitas, nulla nostra pœnitentia, comparari illi vel à longè possit; sed neq; valere ex sese quicquam; nisi ab illo virtutem accipiat. Nisi em̄ iste Agnus Dei accipiens omnem peccatorum mundi in se reatum, iustissimam patris nobis iram placet ac suppleat defectus nostros; inacceptabilis est Ioannes indignum se Christi calceis æstimat.

diuinæ iustitiæ omnis humana probitas, omnis iu-
Lu. 17. 10. *stitia. Itaq; monet alibi etiam Christus ipse:* cum
2. Cor. 3. 7. feceritis omnia, quæ præcepta sunt nobis, dicite quia serui inutiles sumus. Neq; *enim* sufficientes sumus ex nobis, tanquã ex nobis, *quicquam præstare boni*, sed sufficientia nostra ex Deo est, *& quidem, non nisi in hoc agno Dei, siue in Christo Iesu Domino nostro.*

Solis pœnitentibus fit agnus Dei Christus.

Ad extremum, non nisi post baptismi ac pœnitentiæ suæ prædicationem ista commonstrauit Ioannes, (id quod ex omni Euangelistarum collatione colligitur;) nempe illud nobis ita commendare volens: non alia nos conditione, ex parte nostra, quam per dignos pœnitentiæ fructus, in partem salutis illius, quam agnus iste mundo attulit, posse admitti. Id quod ipsemet etiam agnus noster Christus
Matth. 10. D. 3. 8. *post modum perspicuè testatus est:* Qui non accipit, *inquiens*, crucẽ suam & sequitur me nõ est me dignus. *Licet enim ille plenißimè salutem mũdi per se sit operatus solus, cruce sua, nec vllum eã ad rem admittere voluerit cuiusquam creaturæ consortium: partam tamen iam ita salutem, communicatam nemini vult, nisi qui & ipse pro se propriam suæ pœnitentiæ crucem post ipsum ferat. Talis igitur hæc, quam Ioannes nobis fecit, Christi demonstratio.*

Et hæc simul nobis tum de ea doctrinæ eius parte breuiter, tum de tota ipsius reliqua prædicatione dicta. Sequitur vt quam longè ab ea recesserint Euangelismis suis infælices Ministri nostri videamus;

deamus; & quidem ordine eodem quo ista, ex ipsa Ioannis doctrina examinauimus.

DE BAPTISMO IOANNIS, QVAsi idem sit cum Baptismo Christi, indigna Christo Ministrorũ sententia.

13. D*E baptismo primum Ioannis tota alia, ab ipsius Ioannis, quam supra ostendimus, Ministrorũ est sententia. Vnum enim eundemq́; fuisse baptismum vtriusque, ex ipso genere suo contendunt: eiusdem inquam substantiæ, eiusdem efficaciæ, eiusdem ritus, vnum deniq́; atq; idem nouæ legis Sacramentum. Id primarij tam Lutheranorum quam Caluinistarum docent Magistri expresse, & si maxime id forte verbis negarent, ipsa Euangelismi ipsorum primaria firmamenta id ab ipsis necessario exprimunt. Ita inquam Philip: Melan: in 1. Cap. Ioan:, ita Martin: Kemnicius in 2. part. exam. Concil. Trident. C. de Baptis: ita Ioan: Brentius hom. 19. in Luc. ita alij Lutherani. Ita vero etiam Zuingl. lib. de vera & falsa religione c. de Baptis: ita Caluin. 4. instit. cap. 15. §7. & 8. Ita Henricus Bulingerus in 3. Matth. ita Martin: Buccerus ibidem ita alij Caluinistæ.*

13. Idem Ministris Christi baptismus & Ioannis.

Lutherani.

Caluinistæ.

Nec aliter omnino pleriq; istorum possunt, si constare sibi in reliquis fidei suæ articulis primarijs debeāt. Nempe Sacramenta etiam nouæ legis, nuda tantum signa esse communiter docent gratiæ, non causas efficaces; nec Sacramenta ipsa per se iustificare

Necessario id affirmant Ministri.

ficare quenquam, sed fidem etiam in Sacramentis totum facere, quam excitent signa Sacramentorum. Iis vero positis, non potest non & alterum illud sequi; cum idem fuerit in baptismo Ioannis signum ablutionis, quod & in baptismo Christi; eandem quoq; rationem Sacramenti fuisse. Inde enim etiam ex toto genere, ne antiqua quidem legis Sacramenta omnia quicquam à Sacramentis Euangelij minus habuisse passim asserunt, omnia æque infirma & egena elementa fuisse in seipsis considerata, fidem vtrobiq; fecisse omnia, solamq; in signis externis in his differentiam fuisse. At vero in baptismo Ioannis, ne in signo quidem tinctionis discrimen fuisse constat.

Falso id totum Ministri.

Hæc sententia istorum, tota nimirum à propria Ioannis prædicatione alienissima. Nam cum Ioannes vti supra vidimus expressè affirmarit alio baptismo se & baptizare in præsenti & baptizasse in præterito; alio Christum, futuro tempore baptizaturum, expresse negarit se in spiritu S. baptizare vel baptizasse, Christi id baptismo reseruatum: Isti ecce è contra confundunt omnia, negant alium esse atq; alium baptismum vtrumuis, negant aliter in aqua sola Ioannem aliter Christum baptizasse; aliter sine spiritu Ioannem, aliter in spiritu Christum baptizasse, sed vtrobiq; vnum & eũdem fuisse effectum. Quid vero contrarium cuiquam, si hæc inter se contraria non sunt?

Vt interim taceamus tam multiplex illud discrimen reliquum, quod ex ipsis sacris literis nos ante,

ante, ac maximè ex ipsa Ioannis prædicatione, quæque inde consequuntur deduximus, ita prorsus nequiter confundi: nec alio id ex fundamento, quā vt enormes illæ, de vnius ac solius fidei hyperbolæ, istis integræ permanere videantur.

POENITENTIA IOANNIS EX Ministrorum sententia solam vitæ emendationem spectabat in posterum. Falsissimo.

14. S*Ed tollerabilior forte error iste iam, quia licet in Christi ipsius Ministerium sacraq; eius Sacramenta maximè iniurius; minus tamen propterea nociuus, quia nullus amplius baptismi Ioannis est vsus; vnde periculum esse possit, ne quisquam forte in eo conquiescens, verum Christi baptisma interim negligeret. Alij illi quos seruère contra duo reliqua doctrinæ Ioannis capita, longè sunt pestilentissimi; quia hodieq; in praxi communi, atq; in re cum primis necessaria: ita vt si in ijs erretur, in rebus simul maximis, & maximè necessarijs erretur. Nimirum etiam in illis à germana Ioannis sententia toto cælo discessere Ministri. De pœnitentia primum videamus:* 14.

Etenim si quæramus ab istis, ecquid de præteritorum peccatorum expiatione per pœnitentiam, ex mente Ioannis, sentiendū existiment? vllum ne studium hic coram Deo, per serium quouis modo sui ipsius castigandi expiandiué, aut Deo se ipsum iudicandi,

dicandi, conatum, ad eum censeant requisitum? Id vero vnanimi consensu omnes negabunt. Absit enim, inquient, omnis superstitiosa de satisfactionis vel imagine, opinio; absit omnis talis expiandorum criminum labor, vt pote Christo ipsi, atq; vni in illum fidei, totus contrarius. Gratis enim nobis obueniat, per Christum fide apprehensum, omnis peccatorum remissio, necesse est.

Pœnitentia Ministris nuda resipiscentia.

Solam igitur vitæ in melius immutationem, postulasse sua pœnitentiæ prædicatione Ioannem asserent; idq; ipsam etiam pœnitentiæ rationem significare, si ad Ethymologiam suam in primariis linguis, quibus primum scripturæ sacræ scriptæ fuere reducantur. Hebræis enim pœnitentiam significare Thischuba תשובה *hoc est conuersionem à* שוב *Schub. quod conuerti significat, Græcis vero μετάνοιαν hoc est, si vno velis verbo reddere, resipiscentiam. Itaq; de hac ipsa pœnitentiæ prædicatione loquens Beza in Matth μετανοεῖν inquit,* propriè significat, post factum sapere, & de errore admisso ita dolere vt corrigas, quod Latine proprie significat resipiscere. *Et paulo post ergo μετανοεῖν & μετάνοιαν* vbiq; interpretabimur resipiscere & resipiscentiam, idq; ob hanc potissimum causam, quod multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint, falsarum opinionum de satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia. *Ita ille. Ita & in sua noui testamenti versione in Germanicum Zuinglius, ordinarie non nisi vitæ emendationem*

Beza in 3. Matth.

Zuinglius. *Matth. 3. & 4.*

dationem siue meliorationem vt ita loquamur (Germanis, besserung *) pœnitentiam, & in Ioannis primũ, & inde in Christi ipsius prædicatione cõuertit.*

Et certe si hic quoque constare sibi velint Ministri omnes, quotquot hodie Euangelici appellantur, ne possunt quidem aliter de hac pœnitentia Ioannis loqui. Nam si sola fides est (in quo conueniunt vnanimi consensu tales omnes) qua omnis nobis peccatorum legitima expiatio remißioq; concilietur: non potest non esse & inanis. & perniciosa, omnis alia rigidioris pœnitentiæ agendæ doctrina. Inanis quidem, quia superflua, Vt quid enim vanißimo talis pœnitentiæ labore quæratur, quod nec inueniri eo vllo modo poßit, & vnius fidei apprehensione atq; applicatione facillimè paretur? Perniciosa vero, quia eo ipso à Christo eiusq; satisfactione ac redemptione vnica, in propria cuiusq; hominis opera, vim remittendorum peccatorum traducere videbitur, atq; ita extra Christum, cum certa animarum pernicie magnam salutis partem quærere. Quare nihil secundum istos, vel dici potest eo in genere, vel credi nocentius. Deniq; notum est ex communi etiam praxi Euangelicorum omnium, in vna vitæ correctione, atq; in melius emendatione primariam pœnitentiæ exercitationem, imo totam eos reponere. Inde enim & in prouerbium iam plerisq; eorum abijt, optimam pœnitentiam esse, nicht mehr thũn *siue, non amplius peccare.*

Ratio. Experientia

15. *At vero quam ea ab omni Ioannis & sensu & cogitatione remota? imo quam illi omnino contra-*

15. Ministrorũ pœnitentia à Ioannis aliena.

contraria? Primum enim quam Ioannes pœnitentiam docuit, ea tota in præparatione ad Domini aduentum posita fuit. Præuia inquam, iustificationi, hoc est, præcedens Domini ad nos per gratiam suam ingressum. Id ipsa analogia viarum præparandarum requirit. Id expressè de Ioannis officio Spiritus S. prædicit. Præibis enim, *inquit* ante faciem Domini, parare vias eius. *Id illa ipsa Ioannis prædicatio intonat qua pœnitentiam suam proclamat.* Pœnitentiam *inquit*, agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. *Propè est inquit nondum venit, veniet autem in vos, si pœnitentia præcesserit. Id deniq; etiam hodiernum Euangelium illis attestatur:* prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. *Non inquam post remissionem peccatorum agendam pœnitentiam; sed per pœnitentiam ipsam remissionem quærendam.*

1. Pœnitentia Ioannis præcedit iustificationem.

Luc. 1. 76.

Ministrorũ pœnitentia sequitur.

At contra Ministrorum ista pœnitentia tota præpostera est, nempe consequens Domini ad nos aduentũ, non præcedens; profluens ex remissione peccatorum, non secum eam inducens; via iam per gratiam complanata progrediens, noua scilicet vitæ emendatione, non ipsam viam gratiæ parans. Certũ enim est, secundum omnem Ministrorum nostrorum Euangelismum, omnem vitæ legitimam emendationem, quam nouam ipsi obedientiam vocant, quæq; in idem coincidit cum propria ipsorum pœnitentiæ conatu; non præcedere fidem iustificantem, sed ex ea profluere, nec causam esse remissionis peccatorum præuiam, sed effectum consequentem.

Quam

2.
Pœnitentia Ministrorū viæ impedimenta ne attingit quidē

Quam vero absurdum illud, in eo omnem viæ spiritualis (in homine peccatore impeditissimæ vtiq; ac scandalorum plenæ) complanationem ponere, quod viæ ipsius offendicula ne attingat quidem, vt amoueat: solum vero in eo occupetur, vt ne noua huiusmodi offendicula veteribus adiungat? Clamat Ioannes per idoneos pœnitentiæ fructus parandam esse Domini viam, rectas faciendas semitas eius, *ita vt (quemadmodum in hoc Euangelio loquitur Lucas) eo studio* omnis vallis in nobis humilietur, omnis collis impleatur, & fiant praua in directa, & aspera in vias planas, *hoc est; vt omnis generis impedimēta, quæcunq; quouis modo in vijs occurrere poßint, ita excludantur. Impedimenta ea in animarum nostrarum vijs, (vt supra docuimus n. 7.) propriè peccata sunt. Sola enim ea Dei à nobis, arcent & impediunt ingressum. In ijs ergo exterminandis omnis vera pœnitentia occupetur ex mente Ioannis, necesse est.*

Ioannis Pœnitentia viam dirigit.

At ecce infælix Ministrorum pœnitentia, in sola vitæ resipiscentia ac emendatione sistit; hoc est vt ne nouis peccatis vetera cumulentur, neue ita noua offendicula veteribus iungantur, nulla præteritorum peccatorum expiatione seria, in huiusmodi pœnitentiæ conatu requisita. An non autem id ab omni Ioannis sensu, & cogitatione longißimè est recessisse? Tantum scilicet quantum à se mutuo absūt impedimenta viarum omnia penitus eliminare, & eadem ne digito quidem tangere, imò persuasum habere ne quidem contingenda esse.

Deniq;

3\. Pœnitentia Ioannis vt debite prædicaretur, magnũ rigorem vitæ requisiuit.

Deniq; pœnitentia illa Ioannis talis erat, quæ vt debite proclamaretur, illud diuini spiritus instinctu à Ioanne requirebat, vt totus quãtus fieret pœnitentiæ vox, vt inquam toto simul vitæ suæ instituto, singularem quendam pœnitentiæ rigorem intonaret. Id habitatio eius in intima solitudine posita, id dura humus lecticæ loco assumpta, id cibus non cibus, potus non potus (Venit enim *inquit* Dominus, Ioannes nec manducans nec bibens *) id hispida atq; vnica ex pilis camelorum contexta vestis, id sũma deniq; totius vitæ abstinentia, inclamare debebat. At vero si nil nisi cõmunis vitæ in melius emendatio ea tota prædicatione requirebatur, ad quid tantus iste Spiritus S. apparatus? tantus rigor? tam insolitum ab omnibus sæculis vitæ institutum?*

Matt. 11. 18

Nil simile pœnitentia Ministrorũ.

An non id inanè totum ad huiuscemodi consectandum finem, æque atq; inane esset totum, si quis hodieq; Ministrorum, talem forte æmularetur vitæ austeritatem, quo aptius Euangelismorum suorum pœnitentiam prædicaret? Certe nulli eorum ne in mentem quidem venit cogitare, tale quid ad Euangelicam suo more pœnitentiam prædicandam, aptũ essè, nedum necessarium. Itaq; ne tentat quidem etiam tale quid vspiam eorum quisquam, neq; tentabit vnquam. Imo vt idonei fierent pœnitentiæ suæ prædicatores, vti supra ostensũ est, (Dom. 2. n. 7.) quotquot fere fuere Archiministri nostro seculo primarij, omnem monasticæ vitæ rigorem, omnem Ioannis in vitæ austeritate imitationem repudiarunt primum, prætereo hic omnia illa, quibus superius de pro-

de propria Ioannis ipsius sententia disputantes, tam fuse demonstrauimus; (n. 8.) directè eum præteritorum peccatorum expiationem, per debitam sui ipsius castigationem intellexisse. Ex quibus, quidem omnibus luce clarius illud concludimus, infælices Ministros nostros, eo in genere doctrinam Ioannis & deseruisse penitus, & toto quasi diametro inuertisse.

TESTIMONIVM IOANNIS EXtreme corruptum à Ministris, quasi eo, solam is fidem voluerit astruere; contraq; omne pœnitentię catholicæ studium inanè coram Deo asserere.

16 S*Ed grauissimè omnium in tertia illa prædicationis Baptistæ parte, de demonstratione Christi Saluatoris prolapsi sunt, adeo quidem, vt iam non possint non inde, ipsum etiam Ioannem in tota vitæ ac pœnitentiæ suæ asperitate (tacitè id quidem certè) erroris ac superstitionis arguere. Ita enim interpretantur illa Ioannis de Christo.* Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi, *vt inde omnem etiam illum pœnitentiæ conatum, de quo nos tā multa hactenus, eliminandum penitus, tanquam agno huic Dei insigniter iniurium concludant. Quid vero Ioannis sententiæ contrarium, imò contradictoriū si hoc non est?* 16.

Nihil hic nimium istis imponimus, tantum vt ipsa Euangelismorum istorum fundamenta accuratius expendantur. Testatus est Ioannes & non negauit,

gauit, testatus inquam est, se non esse Christum mundi Saluatorem, sed alium illum esse, tanto se sublimiorem, vt ipse dignum se non existimaret, vel calceamenta eius soluere, illum baptizaturum in Spiritu S. & igni, illum certam salutem mundo allaturũ, illum agnum esse Dei, qui ablaturus esset peccata mundi.

Ioannes solā fidem Ministris prædicauit.

Quærimus à Ministris nostris quo sensu isthæc à Ioanne prædicata sint? Et indubitāter respõdent, potissimum Euangelismorũ suorũ caput, quod de solius fidei in Christum iustificatione sunt cōmenti, ijs voluisse approbare. Id & illa intellexisse Ioannẽ testificatione expresse. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi, & tacitè tanta illa sui humiliatione præ Christo significare voluisse. Ideo enim dixisse se non esse dignum, corrigiam calceamẽtorum Christi soluere: vt insinuaret omnem vitæ sãctimoniam, quantumuis mundo admirabilem, ad Saluatoris tamen pedes, ne attingere quidem. Illũ igitur omnia in solidũ operari debere in nobis, quæcunq; salutis sint; nec vitæ sanctitate quicquam hic obtineri, sed vna fide in Christi tanquam agni huius diuini, meritis singularibus conquiescente, omnia

Communis opinio Ministrorum.

præstari. Hæc inquam doctrina hîc est Ministrorũ, hæc prædicatio, hæc gloriatio summa. Ideo illis Lutherus secundus Ioannes Baptista; ideo in imagine
1. illa iustificationis Euangelicæ, cuius initio mentionẽ fecimus, (n. 1.) Ioannes ijs nudum peccatorem di-
2. gitis in Christum intentis dirigere pingitur; ideo nul-
3. la illis gloriatio maior, quam Christum agnum Dei verum, qui tollat peccata mundi, post tot demum

secula præ omnibus Papistis solos se agnouisse; ideo deniq; vt ne alia hic Ministrorum, testimonia ambiciosius consectemur, Lutherus ipse in Dominica præsenti quarta Aduentus, ea de re disserens in postilla sua domestica, mirificè & sibi de doctrina sua gloriatur, & suis de vero Euangelio blanditur, & Catholica omnia exagitat. Dignus omnino qui in hac comparatione nostra Ministrorum cum proprio Ioannis sensu, etiam paulo attentius examinetur. Lutherus.

17. *Multus igitur is est, vt sua hic amplificet, doceatq; vnicum suum studium esse, vt homines ab omni operum iustitia auocet, atq; ad vnum Christũ dirigat, per fidem solam amplectendum, è contraq; Catholicos, quasi toti ij sint in suis operibus proprijs extra Christum consectandis, condemnet. Queritur propterea se cum suis haberi hæreticum, quod eo modo solum Christum prædicet, & testimonium Ioannis vrgeat, ab omni operum hic cogitatione homines auocando.* 17.

Addit vero etiã; non illud se velle, vt opera bona non faciamus, imo omnino facienda esse, eo quod ita à Deo præceptũ sit: sed gratitudinis ergo ad Deũ facienda, ita tamen, vt omnia tandem ad pedes Domini abijciantur. Omnia enim etiam optima opera sanctorum non nisi coram hominibus bona esse, corã Deo vero inania peripsemata (vt Ioannem vult de ijs hic loqui) imo fætida stercora, vt alibi Paulum ea appellare dicit. Itaq; Coram hominibus quidẽ *inquit,* elegans, mundus, ac pulcher quidam pannus, gemma etiam ac virtus est, te nõ esse Luthe. post med. Conc. Dom. 4.

adulterum, non furem, non homicidam, dare Eleemosynas, officio proprio exequendo incũbere &c. Possunt talia & debent in mundo, & coram hominibus prædicari, & vel holoserici vel bissini, vel aurei etiam panni loco censeri. At si in iudicium Dei veniatur, hic fatendum est, optimum holosericum atque aureum pannum nostrum peiorem esse quam turpis cento quiuis &c. imo nil aliud quam
Phil. 3. 10. fœtidum stercus. *Id enim Paulum velle, dum ad Philippenses dicit, propter Christum omnium se detrimentum fecisse,* & arbitratum vt stercora vt ita inueniretur in eo non habens suam iusticiam quæ ex lege est sed illam quæ ex fide est. Christi te Hie machtes Paulus noch gröber inquit denn Joannes der beschneidt es doch / heist seine gütte werck ein schulapen / Paulus aber heist kott vnndt dreck / das ist ia vnfletig genũg von vnserem heiligen leben geredet

Addit, bene omnino obseruandum esse vt bona quidem faciamus opera: sed tamen simul ea non nisi in hac vita & coram hominibus, valere sciamus, & cum hac vita etiam finem habere, in altera vero vita nil iam valere, sed solam vnius fidei iustitiam ibi habere locum. Docet ergo Euangelicos suos cum ad iudiciũ venerint ab omni operũ iustitia exutos, sic cum Christo colloqui. Herr hie komt ein arm lumplein / ein alt zerissen garstig hederlin / oder wie Paulus sagt ein stinckender dreck / bysem sammet vnd ein gulden stick / aber vor dies herr

las

las mich ein alten lumpen sein/vnd schencke mir die gerechtikeyt deines sohnes &c. *Deniq; concludit etiam inde mox, Papam cum omnibus suis Monachis & Sacerdotibus damnationi perpetuæ certo esse obnoxios, propter bonorum operum studium Catholicum.* Daraus folget inquit, das wier frey mussen schlissen das Münch vnd Pfaffen/ Klöster vnd was der gleichen mag genenet werden/alles zum Theüffel in die helle gehören rc. *Ita iste.*

Vbi illud simul notandum, dum Catholicam nostram carpit sententiam, mendacissimè nobis affingere, quasi operum sanctitati cuiquam, extra Christum, iustitiam tribuamus. Nullus enim Catholicorum vnquam tale quid vel pfessus est, vel credidit. Id quod ne explicatione quidem opus habet, cum clarum sit omnibus Catholicè educatis. Nihil enim aliud habet doctrina hic Catholica, quā omnia opera pœnitentiæ ac iustitiæ Christianæ, cum legitimè fiunt: & plurimum apud Deum valere; & nil tamen ex seipsis valere, sed ex vnis Christi meritis valorem omnem eorum coram Deo profluere. Nec minus hic & illud notandum, dum suam contra opinionem explicat, videri quidem quandoq; ita solum loqui, quasi aliud nihil velit, quam vt quisq; de se, nihil nisi humillimum sentiat, neuè quicquam in suis se operibus extollat coram Deo, sed submittat per omnia: (quo quidem nihil esset Catholicum magis) reuera tamen illud tandem docere vt prorsus venire posse in iudicium Dei vlla vel pœnitentiæ nostræ,

vel iustitiæ opera, etiam Sanctissimorum hominum perneget, prout prima iam Dominica nos id disputauimus. Propterea enim & stercori ea etiam in B. Paulo comparat, (perperam eo Pauli deflectens sententiam) & expresse asserit, vti vidimus, extra terminos vitæ huius, nulla se opera bona extendere, & omnes deniq; monasticas operum exercitationes, ex toto suo genere condemnat & ad Diabolum remittit.

MINISTRORVM DE TESTIMOnio Ioannis doctrina; & prædicationem Ioannis ipsius destruit & vitam omnem oppugnat

18. 18. *ET hæc quidem igitur hic istorum sententia est. At vero hisce omnibus quid magis à Ioannis doctrina alienum? Ita quidem certe, pro vt ante insinuauimus, impij isti non solum iam nihil in ipsa prædicatione Ioannis reliquere integrum; sed ne in sanctissima quidem eius vita, sanum quicquam, quodq; non extremæ vel vanitatis damnandum foret vel dementiæ.*

Nõ nisi pœnitenbus Christũ offert Ioannes.

Primum enim ita istam Christi demonstrationem in Ioanne interpretantur, quasi is præterea ad peccatorum remissionem ex parte plebis, nil requisiuisset, quam vt in vnum agnum Dei, qui tollit peccata mundi, nudi & ab omni operum bonorum cogitatione separati, intuerentur singuli ad partam per eum salutem consequendam. Atqui seuerissimè primum illi intonuerat, pœnitentiam ante agendam, & quidem

& quidem condignam pro ratione sua cuiuis, ad eam gratiam obtinendam. Prædicauit, *inquit in* (Luc.3. A.3) *in hoc Euangelio Lucas,* baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. *Et apud Matthæum.* Venit *inquit*, prædicans & dicens pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cœlorum. (Matt.3. A.) *Appropinquauit inquit, certe non niſi per remiſsionem peccatorum, quam agnus Dei Chriſtus afferebat. Sed id ijs qui pœnitentiam agerent appropinquaſſe dicit. Nam qui ſecus eſſent affecti, ijs,* genimina *inquit*, viperarũ quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? (Ibid. B.7.)

Deinde monuit Ioannes expreſſe, ne in nudis hic quiſquam promiſsionibus ſiſteret, niſi & ipſe ex parte ſua, per dignos pœnitentiæ fructus ſe ijs idoneum reddidiſſet. Et, Ne velitis, *inquit*, dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. (Monet Ioannes ne in sola Dei promiſsione ſiſtamus.) (Ibid. B.9.) *Habuit ſemen Abrahæ promiſsiones in ſcriptura, longè & ampliſsimas, & certiſsimas; vt quod non ipſum ſolum benedicendum foret à Deo, ſed & in ipſo omnes aliæ cognationes terræ. Et tamen ne eas quidem valere cuiquam ſignificat ecce Ioannes, niſi qui dignis pœnitentiæ ſtudijs, ſe ad ipſas comparaſſet. Et iſti in nuda agni diuini contemplatione, atq; apprehenſione ſalutem nobis totam ex mente Ioannis polliceri audent?*

Deniq; ne ſic quidem eum omni illa ſua profeſſione agni, quicquam remiſit Ioannes, ex omni illo (Se ipſum cō dōnaſſet ſolā fidē prædicans Ioānes.)

vitæ suæ rigore, quem susceperat; nihil ex austerissimis ieiuniis suis, nihil ex summa vestium asperitate, nihil ex perpetuo studio castitatis, nihil ex omni reliquo, quod sponte sua propria, absq; omni Dei præcepto, susceperat, seuerißimæ vitæ instituto. Perrexit inquam etiam ita vsq; ad finem, in omni pie suscepta semel pietatis exercitatione. Si illa eius mens fuit, nil ea omnino prorsus valere posse, in conspectu Dei nihil esse nisi inania quædam peripsemata, quæ nec calceis Domini tergendis idonea essent, adhiberi; imo nil nisi fætida stercora, ideoq; ne pertingere quidem in altera vita, in conspectum Dei posse, ad hanc solum vitam pertinere omnia, vt oculis humanis niteant, cum diuino Christi conspectui, nitere omnino non possent; nonnè quouis stulto Ioannes stultior, qui cum tanto tamque omnibus sæculis insolito labore, tantas vanitates perseuerasset consectari?

Hoccinè autem de viro tanto, ac non solum sanctißimo, sed & sapientißimo; & Propheta inquam, & plusquam propheta, & angelo Dei, & qui principaliter in id missus venerat à Deo, vt daret scientiam salutis, plebi eius, *nos sentire fas est? Absit vero longißimè tam impia a piis mentibus cogitatio, vt de his etiam ante iam fusius disputauimus. Et Lutheri ergo etiam impiißimi absint Euangelismi, atq; omnis interpretatio doctrinæ Ioannis talis, ex quibus huiusmodi necessario cogitatio consequatur. Longe vero magis absit illa summa impietas, qua vt vidimus ex impia illa interpretatione;*

Dom. 2. Aduen: n. 5.

Luthe: mentitur heremicolas dãnatos prædicatione Ioannis.

pretatione; etiam omnes simul heremicolas, Ioannis sectatores, omnes cœnobitas, omnes seuerioris pœnitentiæ exercitatores, directa ad infernum pertinere conclusit Lutherus: propterea quod ab vno vero agno Dei Christo, qui tollit peccata mundi, quasi ipsa illa exercitatione sua recedere videatur. Sicut enim Ioannes non recessit, tanta illa vitæ suæ austeritate à Christo, sed proximè accessit: ita quotquot simili in pœnitentiæ rigore, imitatores se etiam hodie præstant Ioannis, non abscedunt, sed accedunt maximè. Vtque Ioannes ipse, licet Christum commonstrasset tollentem peccata mundi, nihil tamen propterea remittendum sibi putauit ab omni illa sanctissimæ atque austerissimæ vitæ suæ institutione: ita ne hodie quidem, omnibus eius eo in genere discipulis quicquam est remittendum. Blandiatur sibi interim cum impijs Apostatis suis ac pœnitentiæ desertoribus, impius Lutherus in Ioannis prædicatione, quantum velit.

Neque vero quia Ioannes post omnem illam vitæ suæ sanctimoniam ita se abiecit, vt diceret dignum se non esse, qui solueret corrigiam calceamentorum Christi; propterea simul etiam ipsas similes exercitationes inutiles voluit affirmare. Cessasset enim certè alioqui ipse etiam exinde ab ijs, nec tam inani se afflictione longius macerasset. Sed illud docere voluit; partim omnem sanctitatem humanam, si cum immensa Christi ipsius dignitate conferatur, minimam in se ac prope nullam esse, haud secus ac si quis guttullam pluuiæ vnam, cum immensis Oce- An digna pœnitentiæ opera inania peripsemata Ioanni.

ani aquis componeret; partim ad Christi pedes sua se abijcere omnia, etiam maximo alioqui labore sibi parta, quia non nisi ex Christi gratia meritisq́; etiam ipsa nostra bona opera, vel initium suum in nobis habent, vel profectum; partim deniq́; neminem sui ipsius, operumué suorum etiam optimorum sibi iudicium assumere debere, sed id totum Christo subijcere. Id quod etiam Paulus alibi docuit, de seipso loquens: Non me ipsum *inquit*, iudico, Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem me iudicat Dominus est.

1. Cor. 4. A. 4.

An opera bona Paulo stercora.

Sed neq; eiusdem Pauli, vt isti volunt, ea mens fuit, dum alibi vt stercora se æstimare dicit omnia, Iudaismi sui quondam præsidia, vt omnia veræ pietatis opera ita extremè abijceret. Non enim sacra Christianæ vel pœnitentiæ vel iustitiæ exercitia, eo tam fœdo nomine censuit; sed omnem illam tam sibi magnificam, tamq; lucrosam Iudaismi sui æmulationem, qua aliquando eo prouectus fuerat, vt etiam persequeretur acerrimè Christi fideles; vnde maximam sibi apud suos & existimationem parauerat & vtilitatem. De ijs enim loquitur eo in loco. Sed quæ mihi fuerunt lucra, *inquiens*, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. *Itemq́;* arbitror vt stercora vt Christum lucri faciam. *Longè vero alia eius sententia de pijs vitæ suæ Christianæ operibus. De ijs enim ipse alias.* Bonum *inquit*, certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est

Phil. 3. B.

2. Tim. 4.

sita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. *An vero ista fætida Luthero fætida stercora, pro quibus iustus ipse iudex Deus, iustißimo iudicio suo æternæ gloriæ coronam est decreturus?*

Sed finem de hisce, cum impostoribus istis agendi faciamus, atq; ad te tandem beneuole lector nos conuertamus: vt inter nos iam, ea quæ hactenus tam multa, partim hoc ipso die de Ioannis propria doctrina ac prædicatione, partim superioribus proximis, de statu eiusdem toto disputauimus, paulo preßius expendamus; atq; eam quam par est inde animarum nostrarum instructionem eruamus.

PARÆNESIS AD LECTOREM Euangelicum.

Ministros merito fugiendos, tanquam in Christum ipsum ac Sacramenta eius contumeliosos; in Ioannem iniuriosissimos interpretes, ac viæ deniq; salutis perniciosos deprauatores.

19. V*Idisti igitur de baptismo primum suo prædicationem Ioannis, vidisti eandem de baptismo Christi, vidisti inquam quomodo suum quidem sollicite admodum tanto inferiorem altero illo proclamet; quanto infirmum atq; egenum aquæ elementū, diuino Spiritus S. dono ac gratia inferius est: alterum vero è contra tanto censeat suo dignius; vt se* 19: Recapitulatio dictorū.

 ipsum

ipſum cum omni ſuo baptiſmo dignum non inueniat, qui vel corrigiam calceamentorum Domini baptizantis ſoluat. Cum contra impijs ſuis Euangeliſmis Miniſtri vnam prorſus eandemq́; vtriuſq; excellentiam prædicare nihil vereantur.

Vidiſti inde de vera pœnitentiæ Chriſtianæ, ratione, doctrinam Ioannis: nempe talem eam eſſe, quæ præcedat Chriſti ad nos aduentum, quæq; viam eidem, vt adueniat paret; non quæ ſubſequi eũ primum incipiat. Virtutem vero eiuſdem, ſi idonea ea ſit in fructibus ſeu ſtudijs ſuis, tantam eſſe; vt ipſum regnum cælorum nobis conciliet; adeoq́; quaſi violenter abripiat ſibi. Cum contra impijs ſuis Euangeliſmis talem induxerint pœnitentiam Miniſtri, quæ non niſi ſubſequi poſſit Chriſtum, iam per fidem iuſtificationis in nobis habitantem, cuiuſq; fructus etiam optimi, non magis eſſe poſſint vnquã cælo digni, quam vel abiectiſſima calceorum terſoria, vel ipſa etiam ſtercora fimi.

Vidiſti deniq; de Chriſto ipſo profeſſionem Ioannis, qua ipſum quidem verum eſſe agnum Dei qui peccata mundi tollat, *nobis commonſtrauit: ſed non ante tamen monſtrauit quam dignos pœnitentiæ à nobis fructus popoſciſſet, illud nimirum volens intelligi, non aliud ſe ſua Chriſti oſtenſione velle, quam Paulus alibi voluit, dum de redemptione per Chri-*
Hebr. 5. c 9 *ſtum facta loquens,* Factum *eum eſſe dicit* omnibus obtemperantibus ſibi, cauſam ſalutis æternæ. *Cum contra impijs Euangeliſmis ſuis Miniſtri, ita vnum Dei agnum Chriſtum cœperint prædicare,*

ficare, vt omne illud ferium pœnitentiæ ſtudium, quod Ioannes inuexit, tanquam inane totum ac ſuperſtitioſum ſuſtulerint. Vidiſti inquam iſta omnia hactenus candide lector, & quidem ita commonſtrata ſingula, vt de nullo eorum omnium merito amplius poßis dubitare.

Quid ergo tu iam ad ea? Agnoſciſné in tali illa de baptiſmis his iſtorum ſententia, ſummam rei indignitatem vt eam auerſere? Agnoſcisné in tali de profeßione illa Chriſti doctrina, fœdißimam corruptionem, vt tam exitioſos planos aſpernere? Agnoſciſné demum in tali illa pœnitentiæ prædicatione, pernicioſißimam deceptionem, vt omni eam ſtudio deteſtere? Si necdum ea forte agnoſcis; mecum ea expende paulo attentius, & luce ipſa clarius tibi illuceſcent, quæ dico.

Dico in prima illa baptiſmorum horum coæquatione, ſummam ineſſe indignitatem. Quia ea iſti ita paria inter ſe faciunt, quæ cælo toto differunt. Vmbram enim ita, rei ipſius veritati; aquam ſimplicem in ſeſe S. Spiritui; infirmum elementum, efficacißimo regenerationis in Chriſto Sacramento, ex æquo compararunt. Creſcit rei indignitas quod cum Ioannes ipſe, vt diximus, de ſui baptiſmi collatione cum Baptiſmo Chriſti propriè loquens, ſe indignum eſſe teſtatus ſit, diſertißimis verbis, qui etiam corrigiam calceorum Domini baptizaturi ſolueret, iſti tamen ea quidem in re comparationem tam humilem, nullam admittant: contra vero, vt ex Luthero vidimus, eam ipſam totam ad pœnitentiæ digna opera

Miniſtri in Chriſtum & baptiſma eius cõtumelioſi.

gna opera referant; ea quidem ita penitus extenuantes, quæ Ioannes cum primis commendata voluerit, atq; exaltata; contra vero ea nimium exaggerantes, quæ ille vel maximè voluerit depressa. Crescit vero etiam inde indignitas ista magis, quod etiam cum omni ista baptismi Christi extenuatione, ac cum altero illo, coæquatione: videri tamen etiam in eo ipso velint, Christi Saluatoris ac noui testamenti solius institutoris, vel maximè gloriam, ac soli quidem, amplificasse; haud secus vt qui te nobilissimo forte loco natum, primum quidem in eundem cum infimo aliquo rusticello ordinem redegisset, & inde nihilominus videri vellet, te cum primis honorasse. Ecce igitur summam rei indignitatem, quam auersere. Iam perge mecum.

20. Ministri interpretes in Ioannem iniuriosissimi.

20. *Dico secundo in altera illa de professione Christi ac commonstratione doctrina Ministrorum, fœdissimam inesse corruptionem; quia eo tandem Ioannis verba referunt, vt se ipsum ille suaq; omnia, condemnasse penitus inueniatur; hoc est quæ ipse vita sua ac moribus quotidianis sectatus est maximè, eadem maximè prædicatione sua reprobasse; contraq; quæ verbis suis alios docuit maximè, ea ipsum minimè omnium fuisse consectatum.*

Prosecutus est Ioannes perpetuò heremiticam illam vitæ, quam semel instituerat, austeritatem; neq; vnquam remisit ex ea, nisi quantum mera prædicandi necessitas, puta quo ad loca deserti nonnunquam mutanda, requirebat. Neq; enim alioqui arundo fuit, qui vlla se leuitatis vento circumagi in diuersa

in diuerſa pateretur. Prædicare inde cœpit Chri- Matt.11.7.
ſtum Ecce, *inquit*, agnus Dei, ecce qui tollit Ioan.1.D.
peccata mundi, Cuius ego non ſum dignus
ſoluere corrigiam calceamentorum. *Venit*
impius Lutherus, &, ecce, inquit, in ſolis Chriſti Vide ſupra
meritis omnem ſalutem ponit Ioannes: indeq; con- n. 17.
cludere nos omnino vult, omnem monaſticam here-
miticamué pœnitentiæ exercitationem, ad Diabo-
lum & infernum pertinere. Scilicet quia huiuſ-
modi exercitijs Deo placere contendit, atq; ab eo
mercedem, non ex ſolis meritis Chriſti, homines ex-
pectant. Quod ſi ita, ſine dubio ergo omnis etiam
Ioannis vita, non alio pertinebit, quia & in ſimilli-
mis, imo præ omnibus alijs heremitis, in maximis
fuit exercitationibus eremi ipſe, & eodem fine, hoc
eſt mercedis æternæ intuitu, vti vidimus alias, ſua Dom.1.n.6.
omnia fecit. Se ipſum ergo ita, ſuaq; ipſe iam ſecun-
dum ipſos damnauit omnia; nec tamen ea mutauit
vnquam, ſed ſic quoq; damnata iam ſtudia ſua, per-
petuo continuauit, ſummaq; ſeueritate. Et quæ
tandem fœdior iſta poterat vel excogitari corruptela
verborum Ioannis?

21. *Dico ad extremum in altero illo iſtorum de* 21.
pœnitentiæ prædicatione membro, pernicioſiſsimam Miniſtri vitæ
ineſſe deceptionem: quia in re maximi momenti, & ſalutis perni-
in qua ſumma ipſa ſalutis noſtræ pendet, primum cioſiſsimi
quidem ibi ſecurum te eſſe iubent, quaſi re iam to- deprauato-
ta optime conſtituta, vbi necdum manus operi ipſi, res.
quod requirebatur, ſerio applicata eſt. Deinde præ- Simile.
poſtero plane ſtudio, vt montem ſubeas ſalutis cur-
rum qui-

rum quidem confidentiſsimè ante equos te agere docent, ipſos vero pœnitentiæ ſalutaris conatus, quaſi equos quoſdam ſalutis, retro currum alligare, atq; ita ad regnum cælorum ordine toto inuerſo tendere. Deniq; etiam iſta ipſa tam præpoſtera ſtudia pœnitentiæ ſuæ, quæ ſola ſibi iam fecere reliqua, ac quibus vnis iam oculis diuinæ Maieſtatis probare te debueras; vniuerſa tandem ipſi confitentur, non niſi ſentinis ac cloacis eſſe poſſe digna molimina, vt pote fætido oleto ac ſtercoribus ſimillima. Quibus quidem omnibus in re tanta, ecquis poteſt vel excogitari exitioſior ludus?

Quod dico tale eſt. Certum eſt nullam nobis aliunde patere ſalutis viam, præter eam quam ipſe nobis aperuit Chriſtus: quia ipſe eſt agnus Dei vnicus, qui tollere poſsit peccata mundi, prout eum Ioannes nobis demonſtrauit. Nec minus certum eſt & illud, vt eam nos ſalutem conſequamur, dignos ante pœnitentiæ fructus nobis ferendos eſſe.
Matt. 3. A. *Quia* pœnitentiam agite *inquit idem Ioannes,*
Luc. 3. A3. Appropinquauit enim regnum cælorum, *Et Chriſtus ipſe aliquando clariſsime:* Niſi pœnitentiam, *inquit,* habueritis omnes ſimiliter peribitis. *In his tota illa ſcientia ſalutis poſita eſt, ad quam dandam plebi ſuæ præcurſorem ſibi præmiſerat Chriſtus Ioannem, parare ſcilicet ſibi vias ſuas.*
Luc. 1. 77. *Si ergo infalices iſti Miniſtri, hac te quoq; in re in fraudem inducant, nonne pernicioſiſsime induxerint? Ita quidem pernicioſe, vt non poſsint magis: quia cum certa ſalutis amiſsione coniuncta eſt talis deceptio.*

deceptio, inducunt autem omnibus ijs tribus modis, quos diximus, idq; eo ipso, quo totam pœnitentiæ propriæ rationem, in vna vitæ resipiscentia, siue emendatione in melius, sitam docent.

Facile id quidem te iam res ipsa docebit, tantum vt eam mecum examines diligentius. Primo inquam illo te modo seducunt, quia id ipsum emendare, quod hic requirunt, nihil aliud est, quam noua viæ spiritualis impedimenta (quæ vti supra docuimus peccata sunt) veteribus non addere. Hic ergo vt in eadem illa de qua agimus viarum præparandarum analogia maneamus; Pone à Principe tuo aduentante illud te in mandatis habere, idq; sub capitis pœna, vt vel viam ipsi venturo præpares vel instruas exornesq; pro dignitate habitationem. Dum tu modum omnis huiuscemodi apparatus nescis, venit impostor qui eum te docturum se promittat, cumq; ipsius tute committis consilijs, certo is tibi persuadet, nihil hic requisitum à te amplius, quam vt ne noua obstacula vlla vijs inijcias, cum id antea fortassè fueris solitus facere; neue in ipso regio domicilio, ruinas facias maiores, quam illuc vsq; fuerint, & acquiescis. Stultißimè illud quidem, acquiescis tamen, dum alter id tibi disertißimis suis colloquijs, ita inculcat atq; ingeminat, vt fidem tibi faciat persuasione sua. Venit interim princeps & nihil minus inuenit, in omni præparatione tua, quã reuera ipse exegerat: vt cui tu ne primam quidem manum applicaris. Offendicula enim viarum eijcienda erant, vt viæ pararentur, colles inquam humiliandi,

Ministri securos faciũt suos, quasi re confecta, diu necdũ cœpere.

Simile.

miliandi, valles exaltandæ, praua dirigenda, aspera complananda erant; tu vero nihil aliud ex consilio impostoris tui Magistri ea in re præstitisti, quā quod colles non eleuaris magis, valles non magis effoderis, quæ praua erant non magis deprauaueris, & quæ aspera non exasperaris magis. Simillimaq; his etiam habitaculi regij instruendi analogia est. Ergo capite vt constitutum erat à Principe tibi luendum est. Quid ergo tu tum? nonnè exitiosissimum detestere deceptorem. Et ecce Ministri hic tui per omnia tales. Ita iam in promptu est, quomodo te primo illo modo dicto, isti periculosissime decipiant. Nec minus facile est idem, etiam de altero illo intelligere.

Etenim omnis vera vitæ peccatricis emēdatio, Ministris à fide iustificante incipiat necesse est, (quæ sola primum absq; omni aliarum virtutum, siue bonorum operum adminiculo Deum ipsis conciliat) vt inde fructus pœnitentiæ siue resipiscentiæ suæ inchoent dignos. Ideoq; non illis iustificatio præcedit ex pœnitentia digna, sed digna pœnitentia ex iustificatione, Ioannes vero totam suam pœnitentiam præparatoriam in nobis esse voluit iustitiæ aduentantis Dei.

Ministri currum ante equos agere suos docent.

Hic ergo iam communem curruum agendorū analogiam tibi ob oculos pone, & plenissimè intelliges incredibilem imposturam isthanc Ministrorum istorum. Sicut currus ab equis agitur, duciturq; non à curru equi: ita secundum legitimam doctrinam, quam ante demonstrauimus, Ioannis per digna pœni-

gua pœnitentiæ studia ad regnum cælorum nos approperemus necesse est; non post regnum cælorum, iam iustitiæ iure acquisitum, ad pœnitentiam agendam descendamus. Sicut ergo ante currum præcedant equi necesse est, non consequantur: ita & pœnitentiæ labores nos, vt ad plenam iustitiæ gratiam confidentiamq; perueniamus. Isti vero postremam eo in genere pœnitentiam ponunt. Nihil igitur aliud agunt, quam quod ij qui te post currum equos iungere iuberent, atq; ita altißimum montem quempiam transcendere, At vero ita tu non solum inanißima spe deciperis, si fore credas, vt transcendas; sed & ad ima necessario conuallium detraheris, imò abripieris in profundum, Altum est cælorum regnum, quo tendimus, eoq; per condignam pœnitentiam inuehamur necesse est; Profundum est Chaos inferni, & in quo nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, eoq; propterea omnis confusio deturbetur oportet. Dum isti igitur confundunt omnia, atq; ipsa etiam pœnitentiæ exercitia ita nequiter inuertunt: quid aliud expectes si ijs fueris obsecutus, quam vt in profundũ corruas perditionis?

Iam vero dum post omnes istas tantas de pœnitentiæ doctrina corruptelas, te illud etiam tandem docere conatur Lutherus, nihil aliud esse omnia tua vel iustitiæ vel pœnitentiæ Christianæ exercitia, coram oculis diuinæ Maiestatis posse, quam stercora fœda, idq; tanquam certum Euangelismi sui caput, ex Pauli verbis astruere nititur, dignum quidem tãdem patellæ suæ imposuisse videtur operculum, di-

Ineptissima Ministrorũ de pœnitentia Ioannis doctrina.

Phil. 3. B.

gnasq; pro labris suorum Ministrorum inueniſſe lactucas. Nempe enim ſi de ijs pœnitentiæ fructibus id accipias dictum, quos Miniſtri docent, nihil dici potuiſſet aptius. Stercora te docent mera, coram oculis diuinæ maieſtatis congerere, non opera pœnitentiæ condigna agere; nec quæ mercedem ſui ſint habitura aliquando æternam in cælis, ſed quæ ſtercorarijs inferni cloacis ac ſentinæ in omnem æternitatem deputanda. At cum de vera etiam illa. quam Ioannes docuit pœnitentia, id dictum voluerit, quã peſtilens error iſte?

1. Tim. 4. B. 7.

Quid enim? ergo ne illud tandem voluit, & non aliud omni illo apparatu ſuo pœnitentiæ ac prædicationis Ioannes, quam vt te ſub tam illuſtri pœnitentiæ nomine, ac condignorum fructuum eius, feculenta colligere ſtercora doceret, quos magni cuiuſdam muneris loco, diuinæ offerres Maieſtati? Certe pœnitentiæ digna opera à te requirit Ioãnes. Quo fine putas illa? Num vt oculis te ita hominum duntaxat conformes, ac comprobes, an vt in oculis complaceas Dei? Dei profecto non hominum. Deo enim vt pœnitentiam agamus requirit, non hominibus. Et alioqui vetuit Chriſtus ipſe, eo fine iuſtitiæ opera facere coram hominibus vt ab ijs videamur. Alioquin enim, *inquit*, mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cælis eſt. *Et ecce accedit ad te ſordidiſſimus iſte Miniſtrorum Patriarcha, & Archiminiſter, & perſuadet: nihil ea omnia eſſe aliud quam ſtercora, nec exire etiam terminos vitæ huius, nec vllam poſſe*

Matt. 6. 1.

habere

habere nisi coram hominibus laudem: Et talia tu credes prædicasse Ioannem? propter talia missum, vt vox fieret quantus, quantus erat totus, clamantis in deserto, dirigite viam Domini, siue pœnitentiam agite? *hoc est inquam, colligite fimum, commouete oleta, congerite stercora, quæ Deo offeratis,* quia appropinquauit regnum cælorum? *O vere te miserum, ô terq; quaterq; miserum, qui à talibus Magistris solis viam salutis æternæ directã, te discere posse credidisti.*

Sed finem facio, agnoscis vtiq; iam, agnoscis amice lector, quam indignè isti tractent diuina mysteria, quam exitiose ipsam tibi deprauent viam salutis, quam fœdè deniq; conspurcent omnia. Ergo fuge vt par est tantas deprauationes, auersare impietatem, detestare perniciem: ibi vero salutem quære, vbi scientia salutis ac pœnitentiæ vera solum inueniri potest, hoc est in vna S. Ecclesia antiqua, & ita demum non inanis tibi esse poterit expectatio tua salutis.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Merito cessent Ministri à tanta & in Sacramenta Christi blasphemia, & in vnicam salutis præparationem, pœnitentiam iniuria seductioneq; simpliciorum.

22. N*Vnc ad vos quoq;, ô Sacramentorum quidem Euangelicorum ac pœnitentiæ in primis Christianæ,* 22.

ipſum cum omni ſuo baptiſmo dignum non inueniat, qui vel corrigiam calceamentorum Domini baptizantis ſoluat. Cum contrà impijs ſuis Euangeliſmis Miniſtri vnam prorſus eandemq́ utriuſq; excellentiam prædicare nihil vereantur.

Vidiſti inde de vera pœnitentiæ Chriſtianæ, ratione, doctrinam Ioannis: nempe talem eam eſſe, quæ præcedat Chriſti ad nos aduentum, quæq; viam eidem, vt adueniat paret; non quæ ſubſequi eũ primum incipiat. Virtutem vero eiuſdem, ſi idonea ea ſit in fructibus ſeu ſtudijs ſuis, tantam eſſe; vt ipſum regnum cælorum nobis conciliet; adeoq; quaſi violenter abripiat ſibi. Cum contra impijs ſuis Euangeliſmis talem induxerint pœnitentiam Miniſtri, quæ non niſi ſubſequi poſſit Chriſtum, iam per fidem iuſtificationis in nobis habitantem, cuiuſq; fructus etiam optimi, non magis eſſe poſſint vnquã cælo digni, quam vel abiectiſſima calceorum terſoria, vel ipſa etiam ſtercora fimi.

Vidiſti deniq; de Chriſto ipſo profeſſionem Ioannis, qua ipſum quidem verum eſſe agnum Dei qui peccata mundi tollat, *nobis commonſtrauit: ſed non ante tamen monſtrauit quam dignos pœnitentiæ à nobis fructus popoſciſſet, illud nimirum volens intelligi, non aliud ſe ſua Chriſti oſtenſione velle, quam Paulus alibi voluit, dum de redemptione per Chri-*
Hebr. 5. C 9 *ſtum facta loquens,* Factum *eum eſſe dicit* omnibus obtemperantibus ſibi, cauſam ſalutis æternæ. *Cum contra impijs Euangeliſmis ſuis Miniſtri, ita vnum Dei agnum Chriſtum cæperint prædicare,*

dicare, vt omne illud serium pœnitentiæ studium, quod Ioannes inuexit, tanquam inane totum ac superstitiosum sustulerint. Vidisti inquam ista omnia hactenus candide lector, & quidem ita commonstrata singula, vt de nullo eorum omnium merito amplius possis dubitare.

Quid ergo tu iam ad ea? Agnoscisné in tali illa de baptismis his istorum sententia, summam rei indignitatem vt eam auersere? Agnoscisné in tali de professione illa Christi doctrina, fœdissimam corruptionem, vt tam exitiosos planos aspernere? Agnoscisné demum in tali illa pœnitentiæ prædicatione, perniciosissimam deceptionem, vt omni eam studio detestere? Si necdum ea forte agnoscis; mecum ea expende paulo attentius, & luce ipsa clarius tibi illucescent, quæ dico.

Ministri in Christum & baptisma eius cõtumeliosi.

Dico in prima illa baptismorum horum coæquatione, summam inesse indignitatem. Quia ea isti ita paria inter se faciunt, quæ cælo toto differunt. Vmbram enim ita, rei ipsius veritati; aquam simplicem in sese S. Spiritui; infirmum elementum, efficacissimo regenerationis in Christo Sacramento, ex æquo compararunt. Crescit rei indignitas quod cum Ioannes ipse, vt diximus, de sui baptismi collatione cum Baptismo Christi propriè loquens, se indignum esse testatus sit, disertissimis verbis, qui etiam corrigiam calceorum Domini baptizaturi solueret, isti tamen ea quidem in re comparationem tam humilem, nullam admittant: contra vero, vt ex Luthero vidimus, eam ipsam totam ad pœnitentiæ digna opera

gna opera referant; ea quidem ita penitus extenuantes, quæ Ioannes cum primis commendata voluerit, atq; exaltata; contra vero ea nimium exaggerantes, quæ ille vel maximè voluerit depressa. Crescit vero etiam inde indignitas ista magis, quod etiam cum omni ista baptismi Christi extenuatione, ac cum altero illo, coæquatione: videri tamen etiam in eo ipso velint, Christi Saluatoris ac noui testamenti solius institutoris, vel maximè gloriam, ac soli quidem, amplificasse; haud secus vt qui te nobilissimo forte loco natum, primum quidem in eundem cum infimo aliquo rusticello ordinem redegisset, & inde nihilominus videri vellet, te cum primis honorasse. Ecce igitur summam rei indignitatem, quam auersere. Iam perge mecum.

20. Ministri interpretes in Ioannem iniuriosissimi.

20. Dico secundo in altera illa de professione Christi ac commonstratione doctrinæ Ministrorum, fœdissimam inesse corruptionem: quia eo tandem Ioannis verba referunt, vt se ipsum ille suaq; omnia, condemnasse penitus inueniatur; hoc est quæ ipse vita sua ac moribus quotidianis sectatus est maximè, eadem maximè prædicatione sua reprobasse; contraq; quæ verbis suis alios docuit maximè, ea ipsum minimè omnium fuisse consectatum.

Prosecutus est Ioannes perpetuò heremiticam illam vitæ, quam semel instituerat, austeritatem; neq; vnquam remisit ex ea, nisi quantum mera prædicandi necessitas, puta quo ad loca deserti nonnunquam mutanda, requirebat. Neq; enim alioqui arundo fuit, qui vlla se leuitatis vento circumagi

in diuersa

in diuersa pateretur. Prædicare inde cæpit Christum Ecce, *inquit*, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. *Venit impius Lutherus, & , ecce, inquit, in solis Christi meritis omnem salutem ponit Ioannes: indeq; concludere nos omnino vult, omnem monasticam heremiticamuè pœnitentiæ exercitationem, ad Diabolum & infernum pertinere. Scilicet quia huiusmodi exercitijs Deo placere contendit, atq; ab eo mercedem, non ex solis meritis Christi, homines expectant. Quod si ita, sine dubio ergo omnis etiam Ioannis vita, non alio pertinebit, quia & in simillimis, imo præ omnibus alijs heremitis, in maximis fuit exercitationibus eremi ipse, & eodem fine, hoc est mercedis æternæ intuitu, vti vidimus alias, sua omnia fecit. Se ipsum ergo ita, suaq; ipse iam secundum ipsos damnauit omnia; nec tamen ea mutauit vnquam, sed sic quoq; damnata iam studia sua, perpetuo continuauit, summaq; seueritate. Et quæ tandem fœdior ista poterat vel excogitari corruptela verborum Ioannis?*

Matt. 11. 7. Ioan. 1. D.

Vide supra n. 17.

Dom. 2. n. 6.

21. *Dico ad extremum in altero illo istorum de pœnitentia prædicatione membro, perniciosissimam inesse deceptionem: quia in re maximi momenti, & in qua summa ipsa salutis nostræ pendet, primum quidem ibi securum te esse iubent, quasi re iam tota optime constituta, vbi necdum manus operi ipsi, quod requirebatur, serio applicata est. Deinde præpostero plane studio, vt montem subeas salutis currum qui-*

21. Ministri vitæ salutis perniciosissimi deprauatores.

Simile.

rum quidem confidentißimè ante equos te agere docent, ipsos vero pœnitentiæ salutaris conatus, quasi equos quosdam salutis, retro currum alligare, atq; ita ad regnum cælorum ordine toto inuerso tendere. Deniq; etiam ista ipsa tam præpostera studia pœnitentiæ suæ, quæ sola sibi iam fecere reliqua, ac quibus vnis iam oculis diuinæ Maiestatis probare te debueras; vniuersa tandem ipsi confitentur, non nisi sentinis ac cloacis esse posse digna molimina, vt pote fætido oleto ac stercoribus simillima. Quibus quidem omnibus in re tanta, ecquis potest vel excogitari exitiosior ludus?

Quod dico tale est. Certum est nullam nobis aliunde patere salutis viam, præter eam quam ipse nobis aperuit Christus: quia ipse est agnus Dei vnicus, qui tollere poßit peccata mundi, prout eum Ioannes nobis demonstrauit. Nec minus certum est & illud, vt eam nos salutem consequamur, dignos ante pœnitentiæ fructus nobis ferendos esse.
Matt. 3. A. *Quia* pœnitentiam agite *inquit idem Ioannes,*
Luc. 3. A3. Appropinquauit enim regnum cælorum, *Et Christus ipse aliquando clarißime:* Nisi pœnitentiam, *inquit,* habueritis omnes similiter peribitis. *In his tota illa scientia salutis posita est, ad quam dandam plebi suæ præcursorem sibi præmiserat Christus Ioannem, parare scilicet sibi vias suas.*
Luc. 1. 77. *Si ergo infælices isti Ministri, hac te quoq; in re in fraudem inducant, nonne pernicioßißime induxerint? Ita quidem perniciose, vt non poßint magis: quia cum certa salutis amißione coniuncta est talis*

deceptio.

deceptio, inducunt autem omnibus ijs tribus modis, quos diximus, idq; eo ipso, quo totam pœnitentiæ propriæ rationem, in vna vitæ resipiscentia, siue emendatione in melius, sitam docent.

Facile id quidem te iam res ipsa docebit, tantum vt eam mecum examines diligentius. Primo inquam illo te modo seducunt, quia id ipsum emendare, quod hic requirunt, nihil aliud est, quam noua viæ spiritualis impedimenta (quæ vti supra docuimus peccata sunt) veteribus non addere. Hic ergo vt in eadem illa de qua agimus viarum præparandarum analogia maneamus; Pone à Principe tuo aduentante illud te in mandatis habere, idq; sub capitis pœna, vt vel viam ipsi venturo præpares vel instruas exornesq; pro dignitate habitationem. Dum tu modum omnis huiuscemodi apparatus nescis, venit impostor qui eum te docturum se promittat, cumq; ipsius tu te committis consilijs, certo is tibi persuadet, nihil hic requisitum à te amplius, quam vt ne noua obstacula vlla vijs inijcias, cum id antea fortasse fueris solitus facere; neue in ipso regio domicilio, ruinas facias maiores, quam illuc vsq; fuerint, & acquiescis. Stultissime illud quidem, acquiescis tamen, dum alter id tibi disertissimis suis colloquijs, ita inculcat atq; ingeminat, vt fidem tibi faciat persuasione sua. Venit interim princeps & nihil minus inuenit, in omni præparatione tua, quã reuera ipse exegerat: vt cui tu ne primam quidem manum applicaris. Offendicula enim viarum eijcienda erant, vt viæ pararentur, colles inquam humiliandi,

Ministri securos faciũt suos, quasi re confecta, dum necdũ cœpere.

Simile.

miliandi, valles exaltandæ, praua dirigenda, aspera complananda erant; tu vero nihil aliud ex consilio impostoris tui Magistri ea in re præstitisti, quā quod colles non eleuaris magis, valles non magis effoderis, quæ praua erant non magis deprauaueris, & quæ aspera non exasperaris magis. Simillimaq́ꝫ his etiam habitaculi regij instruendi analogia est. Ergo capite vt constitutum erat à Principe tibi luendum est. Quid ergo tu tum? nonnè exitiosissimum detestere deceptorem. Et ecce Ministri hic tui per omnia tales. Ita iam in promptu est, quomodo te primo illo modo dicto, isti periculosissime decipiant. Nec minus facile est idem, etiam de altero illo intelligere.

Etenim omnis vera vitæ peccatricis emēdatio, Ministris à fide iustificante incipiat necesse est, (quæ sola primum absq; omni aliarum virtutum, siue bonorum operum adminiculo Deum ipsis conciliat) vt inde fructus pœnitentiæ siue resipiscentiæ suæ inchoent dignos. Ideoq; non illis iustificatio præcedit ex pœnitentia digna, sed digna pœnitentia ex iustificatione, Ioannes vero totam suam pœnitentiam præparatoriam in nobis esse voluit iustitiæ aduentantis Dei.

Ministri currum ante equos agere suos docent.

Hic ergo iam communem curruum agendorū analogiam tibi ob oculos pone, & plenissimè intelliges incredibilem imposturam isthanc Ministrorum istorum. Sicut currus ab equis agitur, duciturq́ꝫ non à curru equi: ita secundum legitimam doctrinam, quam ante demonstrauimus, Ioannis per digna pœni-

gna pœnitentiæ studia ad regnum cælorum nos appproperemus necesse est; non post regnum cælorum, iam iustitiæ iure acquisitum, ad pœnitentiam agendam descendamus. Sicut ergo ante currum præcedant equi necesse est, non consequantur: ita & pœnitentiæ labores nos, vt ad plenam iustitiæ gratiam confidentiamq; perueniamus. Isti vero postremam eo in genere pœnitentiam ponunt. Nihil igitur aliud agunt, quam quod ij qui te post currum equos iungere iuberent, atq; ita altißimum montem quempiam transcendere. At vero ita tu non solum inanißima spe decipieris, si fore credas, vt transcendas; sed & ad ima necessario conuallium detraheris, imò abripieris in profundum. Altum est cælorum regnum, quo tendimus, eoq; per condignam pœnitentiam inuehamur necesse est; Profundum est Chaos inferni, & in quo nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, eoq; propterea omnis confusio deturbetur oportet. Dum isti igitur confundunt omnia, atq; ipsa etiam pœnitentiæ exercitia ita nequiter inuertunt: quid aliud expectes si ijs fueris obsecutus, quam vt in profundũ corruas perditionis?

Iam vero dum post omnes istas tantas de pœnitentiæ doctrina corruptelas, te illud etiam tandem docere conatur Lutherus, nihil aliud esse omnia tua vel iustitiæ vel pœnitentiæ Christianæ exercitia, coram oculis diuinæ Maiestatis posse, quam stercora fœda, idq; tanquam certum Euangelismi sui caput, ex Pauli verbis astruere nititur, dignum quidem tandem patellæ suæ imposuisse videtur operculum, di-

Ineptissima Ministrorũ de pœnitentia Ioannis doctrina.

Phil 3. B.

Kk gnasq;

habere nisi coram hominibus laudem: Et talia tu credes prædicasse Ioannem? propter talia missum, vt vox fieret quantus, quantus erat totus, clamantis in deserto, dirigite viam Domini, siue pœnitentiam agite? *hoc est inquam, colligite fimum, commouete oleta, congerite stercora, quæ Deo offeratis,* quia appropinquauit regnum cælorum? *O vere te miserum, ô terq; quaterq; miserum, qui à talibus Magistris solis viam salutis æternæ directã, te discere posse credidisti.*

Sed finem facio, agnoscis vtiq; iam, agnoscis amice lector, quam indignè isti tractent diuina mysteria, quam exitiosè ipsam tibi deprauent viam salutis, quam fœdè deniq; conspurcent omnia. Ergo fuge vt par est tantas deprauationes, auersare impietatem, detestare perniciem: ibi vero salutem quære, vbi scientia salutis ac pœnitentiæ veræ solum inueniri potest, hoc est in vna S. Ecclesia antiqua, & ita demum non inanis tibi esse poterit expectatio tua salutis.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Merito cessent Ministri à tanta & in Sacramenta Christi blasphemia, & in vnicam salutis præparationem, pœnitentiam iniuria seductioneq; simpliciorum.

22. N*Vnc ad vos quoq;, ô Sacramentorum quidem Euangelicorum ac pœnitentiæ in primis Chri-* 22.

stianæ, iactatores praeclamatoresq; perpetui: sed eorundem simul extremi reuera deprauatores Ministri verbi. Vos quoq; appello, vestra vosmet ipsos studia penitus introspicere, & quo tandem ea re ipsa euadant, quamq; horribilem secum trahant & Euangelij totius dißipationem corruptionemq;, & vestrorum ipsorum operum condemnationem, vna mecum contemplari volo, vt vel sic tandem in tempore discatis saniora consilia meditari.

Ostendimus quæ vestra sit de baptismi Christi virtute, ac cum illo Ioannis comparatione sententia; docuimus quæ vestra sit de pœnitentia Christiana, quam requisiuit Ioannes, prædicatio; declarauimus quæ sit vestra de Christi ipsius, quam fecit Ioannes, demonstratione doctrina. Vera ne omnia satisq; ad mentem atq; Euangelismos vestros? ne vos quidem ipsi eorum quicquam, etiam si velitis (si tamen vestra ipsi tenetis) pernegare potestis. Iam ergo vos obsecro, simul & impietatem rerum summam & periculum quod inde vobis imminet extremum videte.

Christi Baptismũ Ministri extremè extenuarunt.

Etenim quid nequius ex ipso genere suo? quid vobis infælicius in talibus vestris ausis? Baptismum Christi Sacramentorũ Ecclesiæ primum, atq; ipsum vitæ spiritualis aperiens ingressum, in eundem cum baptismo Ioannis ordinem reiecistis. Quid inde impietatis? Nudum ergo signum baptismus noster ablutionis spiritualis, æquè atq; nudum fuit Baptismus Ioannis, æquè ac antiquæ lotiones purificationesue omnes per aquam, æquè ac sacrificia Sacramentaq;

m:ntaq; omnia Moysis, quibus efficacitas salutis nulla erat coniuncta, nullus vsus nisi quatenus fidei religionisq; erga Deum humanæ vel exercitia erant, vel testimonia, vel excitamenta. Quid? nulla ergo virtus baptismi Christi maior, quam cuiusuis hebdomadarij balnei vestri, si forte prout exercitati estis in fidei vestra excrenda operatione, vna cum lotione corporis, mente tum & fide vestra in Christum feramini, atq; æquè animas vestras ab ipso lauari, tum per fidem concipiatis, ac corpus ipsum vos vestrum lauatis. Etenim non Sacramentum vos vllum, sed fides sola Sacramento excitata iustificat. Ea tali in casu satis superq; fuerit vobis excitata. Hoccine autem est Christi virtutem ac sanguinem prædicare? hoccine Christi merita efficaciamq; extollere? (quod vbiq; facere videri vultis,) hoc noui testamenti authorem ac consumatorem Iesum honorare? cui ne ipsum quidem regenerationis lauacrum, quo primus nobis ad salutem aditus reseratur, proprium esse iam vultis, sed per Ioannem id institutum dogmatizatis?

Sed minus forte hæc vos afficiunt, quia necdum animaduertitis quantum illud sit, vos, cum ita ipsum Dei filium in Sacramentis suis tantum re ipsa depresseritis; stentorea tamen voce interim vbiq; intonare, vos primos existere post tempora Apostolorum, qui ipsi honorem suum debitum restituistis; illud quantum est, dum pœnitentiæ Christianæ doctrinam totam, eo quo ostendimus modo inuertistis, simul etiam spem omnem solidam adeundæ salutis,

Pœnitentiā dum corrumpēre, omnē spem salutis ademēre Ministri.

dæ salutis, vestris omnibus, qui post baptismum labuntur in peccatum, vos præscidisse?

Pœnitentia, secunda tabula post naufragium

Infiniti sunt lapsus mortalium, infinita peccatorum naufragia in latissimo vitæ huius profundo. Tabulam ex summa misericordia sua tali in casu suggessit nobis Deus, qua, quicunque eam serio apprehenderet, contineretque, saluari posset: Ea ipsa est pœnitentia vera, non immerito propterea à D. Hieronymo secunda, post naufragium animarum, tabula vocitata. Eam ecce vos omnibus sectatoribus vestris impiè subtraxistis è manibus, (qualis quidem in se illa erat) contraque vestra, nescio quæ, somnia mera iis substituistis, haud secus ac si in vasto quis pelago post naufragium iactatis, tabulam quidem veram subduceret, at contra infirmi straminis inanem fasciculum supponeret, vnde necessario postmodum perirent omnes. Quam igitur immane scelus istud vestrum? quam horrenda miserrimorum mortalium deceptio.

Pœnitentia, prævia dispositio salutis.

Præparari vult Ioannes corda nostra per condignæ pœnitentiæ opera Christo aduentanti vt ita is quasi viis quibusdam, sibi complanatis, absque impedimento peccatorum ea subintret suamque nobis conferat copiosè salutem. Igitur quod in naturalibus artificialibusque rebus est dispositio quæuis præuia, quæ requiri solet ad formam materiæ nouam subintroducendam; id voluit esse Ioannes, in spiritualibus, pœnitentiam, quam prædicabat, ad Christi gratiam nobis conciliandam. Vos nullam eam aliam, etiam Ioannis nomine prædicatis, nisi quæ

fidem

fidem vestram saluificam iam præcedentem, ipsa consequatur in noua resipiscentia seu vitæ vestræ reformatione, haud secus ac si fruges illas in naturalibus metere iubeatis, pro quibus nec aratum sit, nec seminatum, sed post demessas segetes demum veniat seminandum; vel in artificiatis excidere doceatis ex syluis supellectilem quamuis exquisitissimam, in truncis lignorum neq; circumcisis ante, neque dolatis, neque vlla arte elaboratis, postmodum demũ rebus iam formatis perfectisq́; securim dolabrumuę adhibituri.

Itaq; simul ita & perniciosissimi facti estis vestris, proditores salutis; & plane dementes. Perniciosi quidem quia absque qua dispositione Deus neminem voluit esse consortem aduentus filij sui: (id quod satis superq; vel ex ipsa ista Ioannis, Prophetarum maximi, sanctissimiq; præambula præparatione, sine qua manifestari mundo noluit Christum suum, intelligitur) absque ea vos nihilominus salutem vestris omnem frustra pollicemini. Dementes vero, quia sic quoque pergitis intonare pœnitentiæ vestræ, prædicationem perpetuo verbis, quasi viam Christo præparaturi, nec aduertitis ipsi eam talem esse, ex ipso genere Euangelismorum vestrorum, quæ non possit esse vlla, nisi consequens Christum, iam vobis præsentem fauentemq;. O ludos tales vestros & fœdissimos pariter & totos exitiosos; quibus ita tum vobis ipsis, nomine Baptistæ illuditis, tum infinitæ plebi sectatorum vestrorum. Ministri & perniciosi & dementes.

23. Et ecce pergitis nihilominus vos, & qua- 23.

 si rebus

Ministri Christum offerunt absq; pœnitentia.

si rebus optimè gestis noui quidam germaniq;, si dijs placet, Baptistæ alij, Christum ingeminatis continuo digitis in eum, quasi intendentes, & vestris eum demonstrantes, eosque consolantes, ipsum esse agnum Dei qui abstulerit iam quæu... ...ta eorum; iubentesq; iam penitus esse secu... ...præteritis, salua sibi esse omnia, eò quòd inuenerìtis Saluatorem, qui absque omni condigna pœnitentia iam, tantum non viuos adhuc corpore, medijs illos inseruerit cælis. Neq; hoc solum, sed & contra omnes eos, qui in Catholica Ecclesia paulo seueriori studio contendunt, secundum & doctrinam Ioannis, & exemplum; pœnitentiæ condignos fructus sectari; anachoretas inquam nostros, similesq; ordinum religiosorum alumnos: eos non ridetis tantum, sed & in imam damnationis abyssum, vestro iudicio, vti vidimus, vel eo solo nomine, quod ita sibi pœnitendū censuerint, immergitis.

Cæci & duces cæcorum, resipiscite. Sin minus, si pergitis inquam & vos ipsos perdere, & per dulces *istos* sermones ac benedictiones *vestras*, seducere corda innocentium, *scitote fieri aliter non posse, quin & grauißimum atq; intollerabile subeatis aliquando iudicium gehennæ, & in hoc quoq; mundo extremæ cuiusdam ignominiæ, infamiam tandem luatis. Veniet enim certe tempus illud, & breui quidem veniet, quo detectis istis tam fædis mendacijs vestris, mundo innotescatis to... pestilentißimi fuisse animarum deprauatores. Quando quidem etiam ij ipsi qui nunc tantum non minabus*

Rom. 16. C. 18.

manibus vos gestant, decepti blandis istis sed venenatis pollicitationibus vestris; conspuent nomen vestrum, vosq; omnibus dedent ac deuouebunt diris.

Qua quidem in re, non tam mihi volo credatis, quam infallibili Dei verbo, quod pridem de vobis vestriq; similibus Prophetarum ingeminantibus populo pax pax cum non esset pax pronunciauit dicens, Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mētientes populo meo, credenti mendacijs. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes, & dirumpam eos de brachijs vestris, & dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam ceruicalia vestra, & liberabo populum meū de manu vestra, neq; erunt vltra in manibus vestris ad prædandum, & scietis quia ego Dominus.

Propria Ministrorū Euangelicorū descriptio.

Ezech. 13.

Hæc de vobis vestriq; similibus Deus, qui vti videtis, & puluillos istos, ac ceruicalia continuarū consolationum & benedictionum vestrarum (quæ semper vobis in ore sunt, quosque omni ætati au-

ditorum vestrorum subijcitis) agnoscit probè reprobatq́; & vestra vos in ijs spectare commoda, pugillum inquam hordei, & fragmen panis, non vero salutem quærere animarum, minime ignorat; & quod impijs istis blandicijs vestris, tum viuificetis animas impœnitentium cætuum vestrorum, quæ non viuunt, tum interficiatis animas perpetuò pœnitentium nostrorum religiosorum, quæ non moriuntur; merito vobis obijcit exprobratq́; & ad extremum, manifesto prædicit, minime vobis perpetuas fore fraudes istas vestras, se enim tandem disrupturum technas omnes, ac blandicias istas, erepturumq́; vobis cætus suos, melioribus iam opinionibus imbuendos. Quando quidem vobis præter merum Væ, hoc est maledictionem & temporariam in hoc mundo, & perpetuam in gehenna, nihil est superfuturum. O excordes vos qui hæc non apud uosmetipsos attenditis ponderatisq́;: ô nimium infortunatos, qui sic quoque pergitis. Sed finem vobiscum, ad Catholicum lectorem progrediamur.

PARÆNESIS AD CATHOLIcum Lectorem.

Quoniam de nato Saluatore nemo ritè gaudere potest, qui dignos ante non tulerit pœnitentiæ fructus; pœnitendum igitur ne æque ac Bethlehemitis damno potius sit Christi Natiuitas, quam saluti.

Vides

24. Vides fraudes istorum Catholice lector: refuge. Vides contra solidam, ac cum Ioannis prædicatione per omnia congruentem Ecclesiæ doctrinam: amplectere, sed re ipsa & operis executione, non sola vel fidei assensione, vel oris contestatione ist hæc. Vides inquam quid pœnitentia vere Christiana requirat, vides præcedere eam necessario debere, vt Christum aduentantem rite excipias, vides hoc ipso tempore ista iterum iterumq; tibi ingeminari ab Ecclesia, requiri inquam toto conatu vt ea exequare, obsecūda. Nil salubrius tibi, nil necessarium æque. 24.

Quod vt vna mecum plenius comprehendas, illud primum attende, quod in fine huius Euangelij ex Isaia tibi Lucas occinit: Et videbit, inquiens, omnis caro salutare Dei. Considera vero, id ipsū esse, quod alias Baptista digitis Christum commonstrans asseruit. Ecce, inquiens agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Neq; aliud demum ab eo, & illud fore, quod ex angeli nobis ore annunciabitur, post paucos hos dies gaudium magnū quia natus est nobis saluator, qui est Christus Dominus. Idem enim illud certe salutare Dei est, de quo ex Isaia Lucas, qui & agnus ille Dei à Ioanne demonstratus, quiq; etiam Saluator ille recens ortus ab angelo denunciatur. Nec aliud illud videre Isaiæ, quam omnibus expositam oblatamq; fore, eam, quam Saluator ille allaturus erat salutem, quibuscunq; liberet viuacibus fidei oculis intueri, atq; inde re & opere consectari.

Salutare Dei omnibus propositum.

Luc. 3. 6.

Ioan. 1. 29.

Expende

Magna sal', à tali Saluatore parta.

Expende igitur quanta sit salus illa, quæ tanto opus habuit Saluatore, & ita opus habuit, vt à nulla alia creaturarum, à nullo inquam mortalium, à nulla mentium supernarum, nobis potuerit conciliari.

Vide Dom: 1.n. 53.

Nihil habet omnis natura Christo nobilius, vt qui simul verus sit ac proprius tum Dei filius tum virginis; nihil habet cælum sublimius, nihil terra dignius, nihil vel cœlorum vel terræ ambitus preciosius. Et ecce ipse totus, quantus nobis factus est salutare (vt eum vocat Isaias) Dei; & eo id modo factus est, quo agnus Dei tollens peccata mundi vt Baptista loquitur, scilicet quia vt alibi propheta testatur,

Isa. 53. 7.

sicut ouis ad occisionem *eum ob finem* deduci *aliquando eum oportebat*, & quasi agnum coram tondente se totum obmutescere *Vnde meritò*

1. Petr. 1. C. 18.

Petrus. Neque enim corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. *Quæ tu putas regna mundi huius vel amplissima illa? quæ Ottomannorum imperia? quas antiquas vel Romanorum vel Græcorum vel Persarum vel Assyriorum monarchias, iis thesauris conferendas, quos tali precio tantus iste Saluator noster dignatus fuit? quiq; minoris quam tali precio venales apud Deum ipsum non prostitere?*

Nil vtilius salute Christi.

Quas tu mihi igitur moras obtẽdas iustas, quas nectes excusationes ignauiæ tuæ, si ne sic quidem serio te applices pœnitentiæ illi agendæ, quam ad eam salutem prærequirit Ioannes? Nempe non vacat inquies; quia alio te fortunarum tuarum cura auo-

cat: non

cat: non libet; quia genio delicijsq; indulgendum tibi liberius: non opportunũ est; quia existimationi studendum, quia nouis honoribus acquirendis inuigilandum. Næniæ meræ, somnia, si cum salute illa Christi conferantur omnia, ventus, vmbra,. Quid tu igitur ab nugis huiuscemodi detineri te permittis?

At fortasse necessitas te aliqua vel detinet hic, vel in contrarium rapit. Quæ vero ea vlla esse potest alia tanta, quæ isti comparetur? Non enim solum salute ista nihil salubrius nihil inquam salutare magis, verum etiam nil necessarium æquè. Certissima enim perditio incumbit in omnem eum, qui expers manet salutis istius. Memineris quid ea de re ipse tibi Ioannes noster in pœnitentiæ suæ prædicatione commendarit: nempe per hunc Saluatorem non solum appropinquare regnum cælorum pœnitenti; sed & si quis forte dignos nõ referat pœnitentiæ fructus vt arbor inutilis & infœcunda. fore vt excindatur, & in ignem mittatur, ignem inquam illum Gehennæ inextinguibilem ac sempiternum. Nil necessarium magis salute Christi.

25. *At hæc fortasse paulò longius tibi posita videntur: atq; vtinam reuera absint quam longissimè. Illa ergo propius mecum contemplare quæ tempori huic maximè sunt opportuna ac propria. Saluatoris certe istius nostri natalem instare non ignoras. Neq; illud te latet, in eo natiuitatis illius tibi memoriam agendam esse, sed non quamuis illam, verum Christiano homine ac Catholico dignam, Non inquam solum vt, quemadmodum in comœdijs fieri solet, historiam tibi eam in memoriam renoces. atq; ob oculos sta-* 25. Natiuitas Christi quomodo recolenda.

los ſtatuas: ſed vt nunc quoque ſalutem eam inde colligas, pro qua nobis conquirenda, ille pridem in mundum venit. Eam qui occaſione feſtorum horum in ſeipſo vel perficit augetq́, vel renouat certe & cõquirit: (quod obtineri pœnitentia diximus) is demum rite celebraſſe natalem huiuſmodi cenſendus eſt; contra vero qui negligit, is nihil egit, quantumuis tempore eo toto plenus fuerit totus recordatione natiuitatis illius, quantumuis nihil æquè inquam vel cogitatione interim agitarit, vel ore concinuerit, quã recens Saluatorem natum. Nihil inquam egit, imo vero tantæ ſalutis neglectæ etiã denuo reum ſe fecit,

Bethlehemitæ infælices Christi Natiuitate.

Bethlehemitarum in id exemplũ attende, Quis magis vnquã in Natiuitate Domini præſentem habuit ſibi Saluatorem hunc Bethlehemitis? quis viciniorem? Eis pridem prænunciatus fuerat à propheta qui dixit, Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in princicibus Iuda, ex te enim exiet dux &c. *Ad eos à matre benedicta prægnante, die vno nimirum ante partum, in vtero adhuc latens, illatus, quin oppido toto vt par eſt, credere circumlatus; dum ſtudioſæ puerperæ iam iam futuræ quærebatur hoſpicium, & non inueniebatur. Eis primum fuit editus, in eorum ſtabulo natus, in eorum præſepi reclinatus apud eos circumciſus, ſub eorum tecto à Magis adoratus donatusq́.*

Matt. 2. 6. Mich. 5. 2.

Bethlehemitæ negligentes.

Et tamen, quam inde retulere vtilitatem ſaluteḿue? non aliam certe, quam vt hodieque eos, & inſalicisſimos merito prædicemus, & inhumanisſimos, vt qui tantum hoſpitem neq́ ſatis cognouerint

ipſi,

ipsi, ac ne hospitio quidem apto fuerint dignati: vnde contigerit, cum locus matri in diuersorio non esset, vt ad stabulum bestiarum, paritura regem cœlorum indignissimè compelleretur. Itaque non ita multo post, etiam insignem illam luêre inhumanitatis suæ pœnam, vt omnibus ipsi filiolis suis infantibus, iusto Dei iudicio orbarentur, dum immani illo, mox consecuto Herodis parricidio, omnes per vniuersos Bethlehemitici agri fines, innocentes necati fuêre. Id enim licet maximo infantum ipsorum bono factum fuerit; non tamen absque ingenti simul parentum ipsorum mœrore factum fuit, nec id absque iusta Dei vltione, eam in illos cladem idcirco, vt credibile est, & meritò quidem, permittente quod infantem Dei filium, tam parum cum matre ipsa, cognationis licet ac familiæ Dauidicæ sibi iure coniunctos, honorassent.

Nosti tu hæc vtique, nosti, nec semel (vt ego quidem existimo) & barbaros ob tantum eam inclementiam, pronunciasti Bethlehemi ciues, & nimiũ infortunatos. Et tamen ij si cum tua ignauia comparentur, dum negligis pœnitentiam, quam diximus longè etiam non immerito videantur minus nocentes Etenim in ignotum ij admisere, quicquid admisere inhumanitatis. Neque enim vel scierant, vel scire omnino potuerant, iam iamq; vel adesse Saluatorem, qui venturus erat; vel in huius matris adessè vterò vel ea ipsa nocte nasciturum adesse. Quicquid delictum fuit, in eo delictum fuit, quod iuuenculã puerperam, humiliter hospitium petentem nemo susciperet. Quod tamen & ipsum non tam malitia factũ

Negligentia nostra cum Bethlehemitis comparata.

insinua-

insinuare videtur Euangelista; quam summa locorū
Lu. 2. 47. *temporumq; incommoditate iniuriaq;*: Quia, *inquit* non erat eis locus in diuersorio. *Nempe ob ingentes oppidi angustias, quas maxima hospitum frequentia, tota Dauidici sanguinis gente, eaque copiosissima, illo vndiq; confluente, referserat, non nisi difficillimè alius eis potuisset inueniri locus. Quod si sic quoque ij culpabiles tamen, de saluatore neglecto; quanto magis tu, qui iā inde ab infantia tua & nosse te professus es saluatorem eum, & fide suscepisse, & hoc ipso sacro aduentus tempore toto, negare non potes, quotidie prope, piam Ecclesiæ vocem ad emendationem vitæ ipsius te nomine vocantem, auribus hausisse?*

Natus Saluator damnat impœnitentes.

Pergesne ergo sic quoque desidiosè ac segniter agere? pergesne temet ipsum in Bethlehemitis socordiæ damnare, imo vero minus etiam ijs excusabilem reddere; si tantam, ob pœnitentiæ defectum, neglexeris salutem? Pergesne forte etiam sic, te inanissima illa singularis misericordiæ nati nobis saluatoris cogitatione solari: quasi fieri non possit, vt mitissimus iste agnus Dei, qui abstulit aduentu suo peccata mundi, te immitius abijciat disperdatq; quantumuis in ista tua tam supina ignauia perseuerantem? At dum eum sponte sua aduentantem seque tibi offerentem; vt vna cum peccatis mundi vniuersi, tua quoque à te tollat auferatq; si tu renuas, ac sic quoque perseuerare in ijs ob pœnitentiæ neglectum malis; an non tu, eo ipso illo indignum te præstitisti? an non eo ipso tute ipse salutem ipsius repulisti? an

non

non eo ipso nouam potius, eamq; iustissimam ipsius offensam incurristi? Audi igitur tandem ex ipso isto Ioanne, quem colophonem suæ de pœnitentia prædicationi, aduersus tui similes, dum dignum pœnitentiæ fructum facere, etiam tali occasione recuset, imponat. Et ne velitis, *inquit*, dicere patrem habemus Abraham, *(tot nimirum promissis diuinis locupletem, & illo inprimis, quod in semine ipsius essent benedicendæ omnes gentes terræ)* Dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, *(qui nimirũ si filij velint Abrahæ haberi, etiam opera Abrahæ faciant, vt alibi monet Christus) Et mox de ipso Saluatore loquens.* Cuius ventilabrum, *inquit*, est in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matt. 3. 9.* *Gen. 22. 18.* *Ioan. 8. 39.*

Hæc talia Ioannes, & quidem de ipso illo vt vides, agno Dei qui peccata mundi venerat ablaturus, & de ipso illo salutari Dei, quod ab omni carne Isaias prædixerat conspiciendum & de eo ipso Saluatore, de cuius Natiuitate Angelus annunciabat gaudium magnum quod omni populo erat obuenturum. Satisné verò idonea ea, ad immanem istam tuam segnitiem perstringenda, vt tandem ad præparandas aduentanti Saluatori vias tuas per pœnitentiam accingare? Peris tu vero ita miser in socordia tua, peris, & cum Bethlehemitis intelliges tu quidem festis istis reuera Saluatorem omni mundo natum:

 do natum:

do natum: nec ex eo tamen vllam capies stabilem, æquè ac ne illi quidem, consolationem; quin ob barbaram istam tuam ingratitudinem inertiamq́, eam potius reseres vltionem, vt quemadmodum illi citius propterea charissimis fuêre liberis suis orbati: ita tu quoque, quas maximè adamasti in hoc mundo illecebras, & peccatorum tuorum fomenta, ijs etiam eo celerius iusto iudicio Christi exuare.

ANNOTATIO LOCORVM VAriorum qui circa ea quæ diximus, tractari possunt.

Primus Locus.

Baptismus Ioannis longè à Baptismo Christi inferior & Ministrorum circa eum ineptiæ.

Pertinet locus hic, ad illa Euangelij: Prædicans Baptismum Pœnitentiæ Luc. 3. A. Vide in superioribus n. 2. &c.
Itemq; n. 13. &c.

26. 26. M*Ira est Ministrorum audacia, qui baptismum Ioannis, quem ipsemet eius author Ioannes, tantum à Baptismo Christi differre pronunciat, quantum simplex ac frigida aquæ ablutio, ab ignita Spiritus S. gratia distat: tamen confundere eum ac parem inter se, vtrumq́; minimè verentur prædicare.*

Certè,

Certè, ideo is se quidem in aqua baptizare dixit, vnda videlicet & quæ vt animam non attingat ita nec abluat: Christum vero in Spiritu S. & igni, quia dum in Christo per baptismum eius renascimur ex aqua & Spiritu S.: eo ipso tanquam recens natis infunditur nobis Spiritus adoptionis, in quo fidenter Deo acclamemus, Abba pater, *vnaq; &* Charitas *(ignitum scilicet Dei donum)* diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.

Matt. 3. C.
Ioan. 3. A.
Rom. 8. 15.
Rom. 5. A.

Sed duo hic circa ea, quæ ante diximus, obseruanda sunt etiam diligentius. Primum reuera longè aliud esse Ioannem prædicasse eundem baptismum cum Christo, aliud dedisse. Nam prædicasse quidem illum, certum est etiam antiquos Prophetas, dum de eo vaticinarentur, vt dum Ezechiel prædixit aquam mundam *effundendam super nos quæ* ab omnibus iniquinamentis nostris emundaremur; *vt dū Zacharias promisit* fontem patentem domui Dauid in ablutionem peccatoris & menstruatæ; *vt dum Isaias fluenta vnaq; cum ijs Spiritum Dei, super stirpem Israel diffundenda prænunciauit: nec tamen quisquam propterea dixerit, Prophetas illos etiam dedisse Christi baptisma. Atq; hæc etiam ratio videri potest, cur & in hoc Euangelio fiat mentio baptismi pœnitentiæ, in remißionem peccatorum quem prædicauit Ioannes: & apud Marcum Euangelistam. At vero quando de ipsa baptizatione Ioannis mentio fit expressa nunquam adiungitur promißio remißionis peccato-*

Aliud est eundem baptismū prædicasse aliud dedisse.
Ezech. 16.
Zach. 13.
Isai. 44.
Mar. 1. 4.

peccatorum; sed vel tantum dicitur baptizasse,
Matt.3. 11. *vel tantum baptizasse in aqua in pœnitentiam, omissa omni mentione remissionis peccatorum.*

Ioannes institutor baptismi sui, ãtequã Christum nosset

Secundò, baptizauit Ioannes in Iordane quicunq; ad eum venissent, etiam antequam Christum corpore vel omnino cognouisset, vel vidisset. Id tum ex decursu historiæ Euangelicæ facile colligitur, & ex illis etiam Ioannis manifesto: Ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptisans. *Et mox.* Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit &c. *Sequitur ergo inde reuera Baptismum Ioannis, non per Christum institutum immediatè, sed per ipsum Ioannem à Deo. At Sacramenta nouæ legis, non agnoscunt alium authorem immediatum, quam ipsum Christum, prout ipsum nouum testamentum totum. Sicut enim veteris mediator Moyses fuit, vna cum omnibus essentialibus Sacramentis sacrificiisq; suis, quibus post modum addere quicquam nemini licuit in essentia: ita & noui totius fuit institutor ex integro Christus. Ideo ne de Apostolis quidem altius quicquam eo in genere existimari voluit Paulus, quam vt Ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei vocarentur: non vero authores eorundem. At si idem fuit baptismus iste vterq; iam non Christus; sed qui præcessit Christum Ioannes, eius mediator institutorue fuisset.*

Ioan.1. D. E.

Deut.4.2.

1.Cor.4.1.

Ministri ipsi negãt posse institui Sacramentum nisi à Christo.

Pertinet porro eodem, & illa obseruatio, miram Ministrorum peruersitatem isto in genere etiam planius

planius declarans. Nam dum nos pro extremæ vnctionis Sacramento, illud Iacobi testimonium, adserimus: Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo &c. *Communiter id eludunt eo nomine (Lutherani maximè) quod Apostolo nō licuerit instituere Sacramentum, eò quòd id solius Christi fuerit proprium. Ita enim etiam Lutherus de captiu. Babyl. c. de extrem. vnct. respondet: Cū tamen reuera Iacobus nihil de institutione vnctionis loquatur, tanquam à se profecta; sed tantum ad vsum eius tanquam iam certi & noti Sacramenti, hortetur. At vero hic in primo omnium Sacramēto, & eo quidem certissimo inter omnes; nihil verentur prorsus, institutionem ad alium quam ad Christum referre. Quam delicatæ igitur sunt homines isti conscientiæ, in Christi officio atq; honore primario, de noui testamenti plena institutione defendendo? Nempe nihil pensi habent, idem modo asserere, modo negare; dummodo sua sibi interim commenta, quauis ratione tueantur.* Iacob 5 14

Secundus Locus.

Hominis est præparare viam Domino. Et Ministrorum circa id insania.

Pertinet ad illa Euangelij: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Lu.3.B.

27. D*Vm de arbitrij humani viribus in rebus* 27.

Ministri omnem præparādi vim homini adimunt.

salutis disputant Ministri, ita extremè eas deprimunt, vt nihil nobis penitus relinquant propriæ actionis: merissima vero instrumenta gratiæ diuinæ, omnia in solidum operantis in electis, faciant homines. Caluinus certè ne tantum quidem concedit hominis voluntati, vt postquam gratia diuina præueniente aspirata & excitata iam ea ad pœnitentiam fuerit; quicquam inde agat, aut cooperetur: sed tum quoq; pergere, atq; omnia operari in nobis gratiam Dei contendit. Itaq; de tali loquens statu voluntatis iam excitatæ quærensq; vtrum aliquæ eius, vel tum in agendo partes sint ad salutem, respondet: Sed hoc *inquit*, perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pedissequa voluntate obsequatur &c. *Ne pedissequam quidem igitur concedit nostræ voluntati præparationem, ad vlteriorem salutem. Lutherus vero longè etiam stultior, eo tandem hoc in genere insaniæ descendit, vt non tam actiones, quam meras passiones esse asserat in homine, quicquid est interiorum animæ operationum, isto in genere toto, puta credere, sperare, diligere, &c. Quæ si ita habent, certum est minimum ante iustificationē ipsam, quæ præcise loquendo merum est Dei opus, non hominis* (Deus enim est qui iustificat, *inquit Paulus, ad Romanos loquens*) *nihil hominem posse ad præparationem eius vllam suscipiendam.*

Caluin. 2. instit. c. 3. §. 7.

Luth. in operationib. in Psalmos.

Rom. 8. 33.

At verò ex Ioannis prædicatione manifestò contrarium habemus; qui à nobis iam, & non à Deo requirit, vt præparemus in nobis Domino vias, re-

us; rectasq; faciamus semitas eius. Id quod idem, & ab Isaia pridem prædictum fuerat, & postmodum, ab omnibus simul Euangelistis repetitum, atque Isa. 40. 3. *Euangelicæ historiæ insertum fuit. Ita vt vna hac* Matt. 3. 3. *eademq; in re, simul sex grauissimi Dei testes concurrant, Isaias primum, diuino ad id Spiritu exci-* Mar. 1. 3. *tatus, & quatuor postmodum Euangelistæ, sed ma-* Lu. 3. A. 4. *ximè omnium Baptista ipse sextus, qui id, vt alta* Ioan. 1. 29. *voce proclamaret, diuinitus etiam se missum asse-uerat.* Ego vox *inquiens*, clamantis in deserto, dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Ioan. 1. 23. propheta.

Idem verò ex omnibus etiam propè vel prophetarum, vel Apostolorum, concionibus concluditur; quarum plenæ sunt scripturæ sacræ, quibus vt ipsi pœnitentiam agamus, ad salutem obtinendam nos exhortantur. Nam pœnitentiam quidem præparatoriam esse in nobis aduentantis salutis, satis superq; ex mente D. Ioannis in superioribus (n. 6. & 7.) demonstrauimus. Porro ad eam agendam, vt Prophetæ quondam omnes, ita particulariter etiam tum Christus ipse, tum Apostoli eius, ante alia omnia mundum exhortabantur. Hoc certè initium fuisse prædicationis Christi ipsius, & Matt. 4. 17 *Matthæus & Marcus describunt; hanc à Iudæis con-* Mar. 1. 15. *uersis primam postulasse Petrum, Lucas in Actis* Act. 2. 38. *testatur, Eandem à gentibus vbiq; Paulum Dei nomine requisiuisse idem Lucas author est. Apud* Act. 17. 30. *eum enim ita Atheniensibus concionatur:* Annunciat nunc Deus hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant.

Christus, Apostoli, & Prophetæ præparatione à homine requirũt.

Nostrum

Nostrum igitur est pœnitentiam agere, nostrũ ita Domino vias dirigere, vt penitus per inhærentem suam gratiam nos paulatim occupet inhabitetq́;. Id quod propterea etiam alibi, expresse scriptura affirmat: Hominis est, *inquiens* animam præparare, & Domini gubernare linguam. *Ita ibi. Et inaniter propterea expectamus vt omnia in nobis Deus ipse operetur ad salutem, absq; vllo proprio nostræ cooperationis & pedissequo conatu.*

Prouerb.16 A 1.

Ministri totum Ioannis officiũ exinaniere prorsus.

Obseruandum porro hic & illud est, per magnam hanc esse deprauationem doctrinæ Ioannis in Ministris, & quæ vel sola videatur, totum ipsius institutum conuellere atq; exinanire prorsus. Id quod facile quiuis intelligit, qui consideret paulò studiosius, primò quidem totum Ioannis institutum ad eum finem directum fuisse, vt Christo hominum animas præpararet. Deinde vero, non alia æquè ratione quæsiuisse finem eum Ioannem, quam pœnitentiæ suæ prædicatione, qua quisque vias suas Domino complanaret, quæ quidem vtraq; nos in superioribus abunde declarauimus. Deniq; Ministros dum omnem penitus cooperationem homini adimũt in diuinis, Deoq́; tribuunt in solidum quicquid requiratur in nobis ad salutem consequendam: eo ipso inanem facere omnem exhortationem, quæ homini inclametur, vt ipse se moueat cooperetur ne. Nihilo enim iam plus potest homo ad ista, quam vel instrumentum quoduis artificis cuiusuis, ad quoduis artis opus elaborandum, vel cadauer hominis

N. 6. & 7.

Similia instrumẽtorũ opificis & mortui excitati.

penitus

penitus emortuum ad quamuis vitæ operationem exercendam. Ideoq; nihilo erit vtilior omnis exhortatio ad hominem directa in eo genere quam si artifex instrumentis opificij sui quibusuis concionem paret inclametq; vt ipsa se ad opus admoueant; vel corpori quis mortuo musica chorum moduletur, vt exiliat, & choreas agat.

Talis nimirum secundum Ministros, etiam omnis fuit Ioannis concio, omnis ille clamor, à quo ille appellationem etiam suam in officio se suo trahere fassus est, hoc est inanissima omnia, & merè gratis ac frustra suscepta. Non enim hominibus is ita inclamare debuisset vt pœnitentiam agerent seq; Christo præpararent: Sed Deo ipsi, vt is homines conuerteret, & salutem in ijs operaretur, sicut qui opus quoduis ab artifice postulant, non ipsius propterea instrumenta, puta malleos, secures, dolabra, & similia aggrediuntur compellantq;, sed Magistrum ipsum; aut qui olim à Christo mortuorum suorum exsuscitationem poscebant: non ad cadauera ipsa mortua accurrebant, ea ad surgendum commonefacientes; sed ad Christum ipsum vt manum suam is eis viuificantem apponeret, fuissetq; inanissimus labor, si mortuos ipsos suos accessissent illi; quasi sua eos ad vitam reuocaturi acclamatione (vnde hodieq; prouerbium, dum inanem laborem significare volumus, mortuis narrare fabulam) Sicut æque inanissimum foret, malleum fabri exhortari securimué, vt opus nobis quoduis conficiat. Est porro latissimus iste campus contra Ministros, sed eum nos

 in supe-

in superioribus fusius non tractauimus, ne nimium hic nobis excresceret oratio.

Tertius Locus.

Pœnitentia præcedat necesse est Christi gratiam inhabitantem: Et Ministrorum in eo perniciosissimus error.

Pertinet ad illa Euangelij: prædicans Baptismum pœnitẽtiæ. Et parate viam Domini. Luc. 3. A. Vide supra, n. 6. &c. & 14. &c.

28. Pœnitentia est præparatio salutis assequendæ.

28. P*Oenitentiam eam quam Ioannes prædicabat præcedere gratiam Christi inhabitantem, siue Christum ad nos venientem; si fortè aliunde minus pateat, ex similitudine certè viæ præparandæ quà Christus adueniat, fit clarissimum. Ad quid enim præparatio viæ Christo, postea quam iam eam transierit ipse? Itaq; in hoc Euangelio etiam expressè præmittitur, omnem vallem implendam esse prius, & omnem collem humiliandum, & omne prauum dirigendum, & omne asperum complanandum, & sic demum fore, vt videat omnis caro salutare Dei: videbit inquit Propheta de futuro loquens, post viam eo modo ritè constitutam, &c. Sed & ideo Christus ipse Apostolos mittens ad prædicandum, ordine* prædicari *voluit* in omnes gentes; *primum quidem* pœnitentiam in nomine suo *exinde* remissi-

Luc. 24. G. 47.

remissionem peccatorum. *Et Petrus in prima concione sua, post acceptum Spiritum S.* Pœnitentiam, *inquit*, agite & baptizetur vnusquisq; vestrum, in nomine IESV Christi, in remissionem peccatorum. *Vides eo fine & pœnitentiam requiri, & baptismum, vt ita remissionem peccatorum consequantur.* Act. 2. 38.

Quanta ergo salutis euersio est, quam Ministri inuehunt dum contrarium omnino docent, nec præcedere pœnitētiam volunt, ante iustitiam adeptam, sed sequi. Caluinus quidem expresse id non solum docet, sed & contendit. Pœnitentiam, *inquit*, non modo fidem continuo subsequi, sed & ex ea nasci extra controuersiam esse debet. *Ita ille fidem illam intelligens, per quam solam & semper atq; infallibiliter iustitia hominibus concilietur. Et mox.* Quibus autem videtur fidem potius pręcedere pœnitentiam, quam ab ipsa manare vel proferri, tanquam fructus ab arbore, nunquam vis eius fuit cognita. *Ita ibi conaturq; ibidem etiam refutare quæ nos hactenus ex doctrina Ioannis in contrarium adduximus. Pergit igitur sibiq; obijcit.* Nimirum, *inquiens*, leui argumēto ad id sentiendum mouentur: Christus, inquiunt, & Ioannes in suis concionibus populum ad resipiscentiā primum hortantur, deinde regnum cœlorum appropinquasse subijciunt. *Respondet paulò post.* Dū in hunc modum concionantur Christus Dominus & Ioannes Pœnitentiam agite appropinquauit

Ministri cōsequē: ē post salutem pœnitentiā docent.

Caluin. 3. instit. c. 3. §. 1.

pinquauit enim regnum cœlorum an nō resipiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt? *Ita ille eo ista referens quasi non aliud ita Ioannes voluerit dicere, quam primū homines certa fide statuere debere se Christi, in regno cœlorum, hæredes fore per fidem; qua nimirum iustificentur: & inde suam pœnitentiam inchoare.*

Regnum cœlorum excitat pœnitētiam. Pœnitentia id acquirit.

At mirè hic ludit impostor. Nam pœnitentiæ quidem agendæ causam Ioannes ex regni cœlorum appropinquatione sumendam docet, sed finalem illam & excitantem, non vero efficientem & ex sese producentem, quod ei probandum erat. Finis vero primus quidem esse in intentione solet, & animi excitatione; at in executione vltimus. Ita regnum cœlorum primum quidem à pœnitentibus spectari vult Ioannes, eiusdemq; eos spe excitari: attamen vt ipsum assequamur, pœnitentiam præcedere in remissionem peccatorum necesse est.

Neque tamen nos ex solo isto ordine prædicationis Ioannis intulimus, pœnitentiam præcedere debere, ante gratiam iustificantem: sed longè etiam magis ex eo, quod in ipsa ista pœnitentia sua, Ioannes positam esse voluerit omnē viæ præparationem, ex parte nostra requisitam, vt ritè subintrare corda nostra adueniens Christus per gratiam suam & salutem possit. Porro quanti momenti sit articulus iste, ac consequenter quanta isthæc Ministrorum deprauatio, satis in superioribus commonstratum est n. 21. 22. 23.

Quar-

Quartus Locus.

Digni pœnitentiæ fructus pro ratione peccatorum ferendi. Ministris omnis est pœnitentia æqualis.

Pertinet ad illa euangelij: Prædicans Baptismum Pœnitentiæ. Luc. 3. A.

29. NOn *solum pœnitentiam requirit Ioannes in nobis sed & dignos pœnitentiæ fructus. Pulchrè eą de re Gregorius de prædicatione Ioannis agens.* Notandum, *inquit*, est quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namq; est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructũ facere. Vt enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur, sicq; pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat At si quis in fornicationis culpam, vel forte, quod est grauius, in adulterium, lapsus est; tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neq; enim par fructus boni operis esse debet eius, qui minus, & eius qui amplius delinquit; aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. 29. Fructus pœnitentiæ digni pro ratione peccatorum. Hom: 20. in Euan.

lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusq; conscientia conuenitur, vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. *Hæc grauissimus Ecclesiæ Doctor & Pontifex Gregorius, simul docens, & in quo sit proprium pœnitentiæ Christianæ studium condignum, nempè in voluntaria etiam licitarum alioqui recreationum continentia, & abscissione; siue quod idē est, in spontanea suimet ipsius, pro admissis castigatione abnegationeq́;. Idq́; ex eo vel plus vel minus, quo quis vel in pluribus Deum, vel paucioribus offendisset.*

Quo maiora impedimenta viarum eo maiore opere amolienda.

Colligitur vero idem ex ipsa illa hodierni Euāgelij similitudine à communi viarum præparatione ducta. Nempè peccata nostra viæ quædam nostræ sunt, sed pessimæ illæ imo potiùs viarum nostrarum corruptelæ & impedimenta, quæ propterea per pœnitentiam nostram condignam sunt amouenda. Sicut ergo, quo maior est vallium foraminumué cauitas, eo maiori labore adæquanda; quo maior viarum vel prauitas vel asperitas, eo maiori opere complananda: ita & quo maior peccatorum nostrorum moles, (siue ea collium ad instar, nos in altum eleuet, vt superbia ambitioq́;; siue uallium in morem, mentem ad ima deprimat, vt auaritia acediaq́;; siue admodum tortæ cuiusdam & oberrantis semitæ diuersimodè corrumpat, vt inuidiæ & fraudes; siue iniqua deniq́; asperitate inæqualitateué, quadam va-

illam variet fœdetq́, vt ira, gula, luxuria,) eo maiori studio pœnitentiæ amolienda.

Deniq́, eodem etiam pertinet illa peccatorum confeßio, quam fecisse Ioanni vniuersos qui pœnitentiam baptismumq́, eius suscepêre, testantur & Matthæus & Marcus: Neq́, enim alius eius tum erat vsus, vide quæ diximus supra n. 11.

Finis confessionis peccatorum Ioanni factæ.

Matt. 3. 5.
Mar. 1. 5.

Est porro hic quoq́, locus, in quo nominatim à Ioannis doctrina plurimum desecêre Ministri, communiter omnes; licet nos eum in superioribus maioris breuitatis gratia, satis tenuiter attigerimus. Neq́, enim vllam ij pœnitentiam maiorem exigunt, ab illo qui 1000. rapuerit boues alienos, mille perpetrauerit homicidia, & mala præterea alia infinita: quam ab eo, qui vel vnam fortasse gallinam vicino suo clepsisset, vel verbulum etiam solum vnum ociosum forte fuisset prolocutus. Ac ne possunt quidem exigere maiorem, si sibi ipsis constare in Euangelismis suis velint. Nam ad remissionem primum peccatorum, nihil ijs aliud desideratur, quam vt firma fide, Christi sibi merita tanquam donata iam & propria apprehendat applicetq́, eorum quiuis. Eam vero certum est omnibus, non nisi vnam eandemq́, propositam. Neq́, enim alia fides ab vno, alia ab alio requiritur; sed vna eadem ab omnibus, Catholica ab vniuersis. Porro ad pœnitentiam, quã ipsi docent in sola resipiscentia seu vitæ nouitate consequente fidem illam esse positam, nil aliud quã mandatorum Dei obedientiam nouã seu incoboatam illam, vt loquuntur, postulant. Quæ & ipsa non

Ministris omnis pœnitentia æqualis.

ipsa non potest non ab omnibus exigi vna eademq́, cũ eadem mandata Dei sint proposita æquè singulis ac vniuersis.

Quintus Locus.

Solam consolationem Ioannis sibi sumunt Ministri & suis; cum sola eius comminatio ad ipsos pertineat.

Pertinet ad illa Euangelij: Videbit omnis caro salutare Dei, comparata maximè cum illis Ioannis: Ecce agnus Dei &c. Ioan: 1. D. Vide supra n. 1. itemq́; n. 12. & 16. &c.

30. Consolatio Ioannis sapida Ministris.

30. Post tantam inuectam corruptionem pœnitentiæ totius Christianæ, quam docuit Ioannes: irruunt nihilominus audacter Ministri, & vltimam concionis eius partem (qua, vt omnis caro videret salutare Dei, digitis etiam in Christum intentis, ad eum direxit omnes dicens: Ecce ãgnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi) sibi tanquam proprijssimam assumunt, certam inde suis etiam ita salutem pollicentes. Quanta vero id miserrimorum hominum deceptione? quanta Christi ipsius irreuerentia, dum ita illotis quasi manibus pedibusq́, irrumpere in intima Christi adita mortales docentur? quanta verborum Christi prophanatione, qui neminem se suisué meritis dignum pridem censere se pronun-

pronunciauit, qui non & ipse propriæ suæ pœnitentiæ crucem post ipsum ante portasset? Matth. 10. D. 18.

Sed, est & alia illa fraus istorum hic obseruanda. Nam in ea quàm ante diximus (n. 1.) imagine, de Christo & Ioanne, vt & passim in doctrina sua tota, Mosen quidem Ministri tanquam crudelem quendam conscientiarum ac merum tortorem haberi volunt, & qui lege sua, nil sciat nisi premere, terrere, maledictioni subijcere, condemnare mortales. Ideo fugientem & ab ipso & à lege, quam manu tenet, peccatorem ibi depingunt; contraq; ex opposito infernum apertum in quem ita prolabatur Miser. Ideo Lutherus passim eum etiam carnificem, tyrannū, fulminatorem, crudum æque ac Diabolum, & cuius labia plena sint felle, & ira & igne infernali appellare non formidat. Vide quæ in 4. cap. ad Galat. habet Lutherus, tom. primo Germanico, & in 45. Psalmo tom. 3. itemq; in sermonibus conuiualibus tit. de lege & Euangelio passim.

Ministri Mosen fingunt terribilem.

Contra vero Ioannem, totum mitem & mansuetum & consolatorem & Euangelicum & boni ac consolatorij nuncij (quale solum ipsi in Euangelio norunt) merissimum tabellionem & depingunt & prædicant. Et tamen si probè conferatur Ioannes cum Mose, citius etiam grauior peccatoribus omnibus, qui dignos pœnitentiæ fructus non ferrent, fuisse is deprehendetur, quam vnquam ille fuerit. Vix enim certè apud Mosen vnquam tam acris inuenitur peccatorum increpatio, quam illa fuit Ioannis: genimina, progenies viperarum &c. *Nunquam*

Ministri Ioannem totū clementem sibi imaginantur.

Ioannes etiam Mose seuerior.

grauior illa : Et ne velitis dicere patrem habemus Abraham, potens enim est Deus de lapidibus ei filios suscitare. *Nunquam inextinguibilis ignis tam expressa ac vehemens comminatio, (expreßior certè nunquam) quã ea quæ in Ioannis prædicatione inuenitur. Nam Moses quidem sicut testamento illo veteri, cuius mediator fuit, non cœlestia habuit, quæ explicitè promitteret obsequentibus bona; sed solam terram lacte & melle fluentem; ita contra nec æternas, quas comminaretur immorigeris, pœnas. Expressà horum prædicatio nouo testamento reseruabatur, fuitq; Ioãnes primus, qui ea clarißime præ antiquis omnibus prophetis prædicauit.*

Comminatio Ioannis propriè ad Ministros spectat.

Atq; ita hodieq;, non sola illa Ioannis tam dulcis consolatio de regni cœlorum apppinquatione; & peccatorum mundi per agnum Dei Christum ablatione, ad delicatulos istos Ministros & tenerrimos ipsorum euangelicos cœtus spectat : sed & illa nihilominus tam austera comminatio, & vipereæ cognationis, & ignis sempiterni, quamdiu alia pœnitentiæ consilia, quam hactenus, non amplectuntur. Imò verò, quia ex ipsis Euangelismorum ipsorum primis principijs, omnes illos pœnitentiæ Ioannis fructus dignos, quos vidimus, prorsus à cœtibus suis eliminarunt : ita vt ne animo quidem satis eos concipere iam poßint, nec æquis auribus audire, sine quibus tamen Ioannes nemini partem vllam consolationum suarum voluit obtingere : clarum est, omnes istos etiam ita, ad solas eius increpationes maledictionesq; & ptinere modo, & in æternũ, ni resipiscãt spectaturos.

Sextus

Sextus locus.

Nulla peccata mundi tollit agnus Dei Christus Ministris, nisi fortè sicut sterquilinium aufert ex oculis qui tegit illud.

Pertinet hic locus ad Euangelium præsens, eodem nomine quo proximè præcedens

31. *SEd illud indignissimum in Ministris, quòd si bene attendamus, ne illam quidem ipsam vltimã doctrinæ Ioãnis partẽ, in qua sola sibi maximè placuere, absq; insigni & noua corruptela reliquerint; illam inquam de Christo agno Dei, qui tollat peccata mundi &c. Talis enim est istorum, etiam de peccatorum ablatione Euangelismus, qui tandem nihil hic solidæ suæ gloriæ Christo faciat reliquum. Nempè nullam aliam ij remissionem peccatorum agnoscunt in tota vita hac, quam quod Christi iustitia nobis imputata per fidem, ita ea obtegantur in electis, vt ne ad damnationem ijs reputari queant. Sola itaq; vltio peccatis debita remittitur verè ac tollitur: manet verò interim re ipsa omnis turpitudo ac fœditas peccatorum in anima humana, omnis exulceratio, omnis deprauatio, sed obtecta quasi pallio quodã meritorum Christi, ne in oculis Dei compareat.* 31. Remissio peccatorum Ministris solam pœnã tollit.

Atqui in peccatorum ratione, minimũ qd est pœna peccatũ consequens, imo ne malũ quidẽ ex genere suo, sed iustitiæ potius vel exercitatio vel opus. Patet inde, quòd scripturæ testentur, multos etiam

maximè innocentes, varias subiisse tentationes ac tribulationes pœnarum, absq; omni culpa sua, in solam probationem virtutis ipsorum. Id quod & de
Iob. 1. B
Tob. 12. C
Iobi visitatione legimus, & Tobiæ. Solam igitur pœnam peccatis debitam, si verè à nobis sustulit agnus iste, minimum omnium quod est coram Deo, in peccatis sustulit; totam interim essentialem peccati fœditatem nec attingens quidem, sed solùm contegens ne qualis sit videatur.

Similitudo vlceris, cloacæ, sterquilinij.

Si turpissimam quamuis exulcerationem corporis tui ablaturum se medicus quispiam promittat, & tandem aliud nihil faciat, quam quod eam aureo aliquo panno obtegat, obligetq;, ne publicè agnoscatur; eumne tu abstulisse malum tuum verè confirmares? Nunquam tu certè nisi mendacissimè. Si fœdissimam cloacam domus tuæ exantlaturum se quis recipiat, si sordidissimum sterquilinium ex ædibus tuis asportaturum, tandem aliud nihil præstet, quam quod cloacam quidem obturet, solùm ne sentiatur; sterquilinium vero solum niuibus operiat, ne conspiciatur; eumne tu sustulisse sordes tuas verè asseueres? Nunquam certè nisi falsissimo. At qui aliam isti nullam agnoscunt per agnum Dei hunc, peccatorum nostrorum factam ablationem. Hoccine ergo illud erat quod Ioannes dixit. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?

Septimus locus.

Compa-

Comparatio Ministrorum cum Ioanne penitus nulla: Ecclesiæ Catholicæ Romanæ plenè consentiens.

Pertinet hic locus ad illa Euangelij: Factum est verbum Domini &c. maximeque ad communem, totius officij Ioannis considerationem &c.

32. *PRoprius hic deniq; locus est, totalem quandã instituere comparationem, eamq; duplicatam Ioannis, partim quidem cum doctrina antiqua Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, partim cum nouis Euangelismis Ministrorum istorum: vt ita clarißimum fiat mundo, & quam nihil penitus simile ei habeant, in omni statu suo Ministri, & quam plenè in omnibus ei consentiat Ecclesia Romana.* 32.

Dico igitur duplicis esse generis ea quæ circa Ioannem considerari possunt. Quædam quidem, quæ ꝓpriã ipsius personam concernunt, quatenus suam ipse salutem propriã is curauit coram Deo: quædam vero quæ publicum ipsius officium ac doctrinam spectant, quatenus scilicet, etiam mundo toti fuerat datus Magister, ad dandam scientiam salutis plebi Dei, in remissionem peccatorum eorũ. *Lu. 1, 77.* *vt loquitur scriptura. In vtrouis horum genere nihil prorsus simile habent Ioanni Ministri, in omni Euangelismo suo; sed dißimillima omnia: contra vero Catholica Ecclesia dißimile nihil, similia vniuersa.*

Ioannis fides ac vita.

Quæ ad propriam Ioannis salutem pertinebant ea erant quæ in vita ipse sua diuinis obsequijs dedicata tota, fideq; propria sua erga Deum suscepit exercuitq;. Et de ijs nos egimus Dom. 2. Sunt autem in hisce: Credidit Ioannes corde, & vita sua, quod credidit, contestatus est: gratissimum Deo præstari obsequium ac mercedem comparari æternam in cœlis, rigidiore heremi cultu, asperiori pœnitentiæ vestitu, cibo parcissimo tenuissimoq;, siue ieiunijs multis, & magnis, ac seueriori deniq; coniugij abstinentia, seu sui ipsius propter regnum cœlorum castratione, nec esse expectandum in hisce similibusue, proprium Dei præceptum, satis esse quod contestatum sit, talia placuisse in Sanctis Deo. Contra Ministri omnia talia merissima esse Antichristi somnia, imo Diaboli figmenta, docent; ideoq; fugienda maximè, quæcunq; totidẽ verbis mandata non reperiuntur. Execrandam igitur heremum, abijciendum omnem habitum pœnitẽtiæ austerioris, vtendum quouis cibi genere quantumuis delicati, absq; discrimine vllo: sectandos coniugij amplexus, ineuitabili præcepto: nec posse saluari quenquam qui statum vitæ talem assumpserit, in quo simili sibi libertate interdicat: ideoq; quicunq; sumpserit (quales Monachi nostri, & ipse olim Lutherus cum primis suis comministris) necessario eũ eiurare debere. At vero Ecclesia Catholica Romana per omnia Ioanni consentit vti Dom. 2. est visum

Ministrorũ dissimilitudo omnimoda.

Ecclesiæ similitudo cũ Ioãne plena

Ioannis propositum.

Quæ ad publicum Ioannis officium spectabant, ad tria referri possunt; ad institutum ipsius, quod in eo sibi propositum habebat; ad Dei commissionem

vocatio-

vocationemq́, qua ad id initiatus fuerat; ad doctrinam ipsam, quam populo inde proponebat. In omnibus summa à Ministris distantia, contra summa cõuenientia in Ecclesia nostra.

Institutum habebat Ioannes, solam pœnitentiæ innouationem inuehere; de reliquo nullam secessionẽ ab obedientia Ecclesiæ illius quam inuenerat, vel facere vel admittere; longè vero minus religionis ipsius antiquæ mutationem inducere vllam. Ministri & penitus suos cœtus omnes ab Ecclesia abduxere, & religionem eiusdem totam, quam tanquam merè Antichristianam damnant, penitus inuertêre, & contaminauêre. Contra Ecclesia Catholica firmißimè stat in omni legitimæ accepta traditione fidei suæ, solo pœnitentiæ seruore subinde, per omnem occasionem, instaurato.

Ministri.

Ecclesia.

Ioannes ad ipsam illam pœnitentiæ, vna cum baptismo suo innouationem, omni genere mißionis à Deo institutus venit: & ordinaria inquam, per Aaronici sanguinis manifestam succeßionem, & extra ordinaria, per diuinam, tot Natiuitatis ipsius miraculis abundè contestatam confirmationem. Ministri ad nefarios ausus suos, in primis suis Patriarchis absq́ omni prorsus & ordinaria, & extra ordinaria vocatione, sola verò temeraria, audacia propria, armati semetipsos ingeßere; nec potuere inde vllam, succeßionis legitimæ propagationem, in posteros suos, in hunc etiam vsq́ diem deriuare. Contra Ecclesia Catholica, in omni functione sua, & perpetuo gaudet ordinaria suæ succeßionis le-

Ioannis vocatione.

Ministri.

Ecclesia.

onis legitima vocatione; & omnibus propè sæculis seorsim, singulari Dei munere, suos habuit nouos pœnitentiæ prædicatores, per extra ordinariam Dei eiusdem missionem, excitationemq́ sibi submissos. Egimus nos de his Dom. 3. fusè satis.

Ioannis doctrina. *Deniq́ quod ad doctrinam Ioannis attinet, & prædicationem; docuit Ioannes baptismate se solo pœnitentiæ baptizare, non spiritus; (id enim Christo relictum esse) docuit hominis etiam esse cuiusuis præparare viam cordis sui Domino, per gratiam aduentanti, non solius Dei; docuit præambulam, imo præparatoriam gratiæ diuinæ & iustificationis, esse necessariò debere pœnitentiam nostram; docuit pro ratione ac differentia peccatorum, etiam differentes requiri pœnitentiæ in singulis fructus; docuit, sic demum consolationis nos diuinæ futuros participes, de Saluatore Christo nobis dato, si pœnitentia digna præcesserit; docuit deniq́ ea præmissa fore, vt reuera tollat à nobis peccata nostra Christus, verus nimirum ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ministri. *Ministri, vt paulò ante vidimus, hoc ipso discursu toto, nihil prorsus eorum omnium suis Euangelismis ratum pronunciauere. Quin potius euertêre, omnia; adeò vt ne ipsum quidem iam pœnitentiæ nomen, satis æquis auribus admittant, resipiscentiam dicere malentes.* Ecclesia. *Contra Ecclesia Catholica firmissimè ijs omnibus inhæret, quæ docuit Ioannes, neq́ vllis Ministrorum, vel dolis, vel insultibus, patitur sibi in ijs vel minimam importari immutationem.*

An non

An non ergo insignis planè audacia ista Ministrorum in tam etiam extrema ac contraria penitus disformitate sua à Ioanne; simulare tamen vel suum esse totum Ioannem, vel se totos Ioannis? An nō impostura eorum intolleranda, qui ab omni Ioannis similitudine discessere omnium longissimè; eos tamen sic quoq; iactitare ore pleno, eandem se prorsus scientiam salutis inferre mundo, ad quam importandam, missum à Deo fuisse scimus Ioannem? An non merito illud confirmemus de ipsis, eos in toto corpore suo, quanti quanti illi sint, ne minimam quidem venulam habere vllam, cum sanguine Ioannis consentientem? in toto animo suo ne minimam quidem guttulam sensus ostendere, cum Spiritu sensuq́; Ioannis congruentem? Et fugiendos igitur etiam cane & angue peius, dum sic quoq; buccis crepantibus, idem regnum cælorum suis pollicentur, quod appropinquasse Ioannes ritè pœnitentibus ad mentem suam prædicauit? O væ à scandalis mūdo. *Verumtamen &* væ homini illi, *præ cæteris* per quem scandalum tale venit. Matt.15.A

Octauus Locus.

Propria origo omnium superiorum corruptellarum in Ministris, est solius fidei iustificantis commentum.

33. NON *abs re ad extremum hic fuerit obseruare, quomodo apud Ministros istos, error errori* 33.

nectatur, & vna corruptella alteram pariat. Etenim si ritè rem consideremus; omnem istam de Ioanne tam variam deprauationem, vnum illud solius fidei iustificantis commentum peperit.

Vna fides iustificans totum Ioannistarum corrupit.

Propterea enim neq; Eremus Ioannis ijs placere potuit, neq; cilicium, ex pilis camelorum contextum, neq; locustæ solæ cum melle syluestri in cibum adhibitæ, neq; studium perpetuum continendi: quia ea omnia opera sunt, ad gratiam Dei copiosiorem, mercedemq; inde æternam accumulādam suscepta. Ideoq; etiam isti maluere istbæc inuertere omnia, & ex eremo facere celeberrima Iudææ montana, ex cilicio vestem vndulatam, ex locustis cancros marinos vel murenas etiam siue lampetras, quas vocant, delicatiores, hoc est omnia mutare in contrarium, quam simplici scripturarum adhærere veritati.

Ad hæc non aliam ob causam tantam induxere isti in Ecclesia Apostasiam, tantam religionis antiquæ totius dissipationem; quam quia in operum ac pœnitentiæ doctrina exercitijsq; ea est tota; solā fidem, eo quo ab istis predicatur modo minimi faciens Non aliam ob causam docuêre nulla opus esse singulari vel missione, vel ordinatione Ministrorū Ecclesiæ, satis esse admitti à cœtibus suis, eo modo quo admittuntur ipsi, quia cum solius fidei iustificationem prædicare ij debeant, ad id reuera aliam nullam requiri videbant potestatem diuiniorem, quàm vt ea quæ ad persuadendam explicandamuè huiusmodi fidem facerent, quiuis talium didicisset. Id quod quisq; eorū etiam in scholis, imò à quouis Magistro haurire facilè absq;

lè, absq; vlla alia vocatione cœlestiore potest.

Propterea ijs vnus idemq; baptismus Ioannis & Christi; quia si sola fides saluat, nec sacramentū quidem vllum ex se, siue quod vocamus ex opere operato, salutem vllam adferre potest; sed ex solo opere operantis, quod ipsi aliud nullum præter fidem solā esse agnoscunt; verum igitur est secundum ipsos, non sacramentum sed fidem sacramenti saluare, nec sacramentum quicquam præstare aliud, quam quod fidei sit excitatorium quoddam signum, quale quid cum etiā Ioannis baptismo negari non possit; ne quidem igitur omnis illa dignitas, quæ etiā Christi ipsius baptismo adscribitur, negari secundum ipsos debebat.

Deniq; quia sola fides iustificat, frustra pœnitētia præuia præparatoriaue requiritur iustitiæ; frustra postmodum fructus pœnitentiæ digni, seu satisfactionis desiderantur; meritò directè in vna consolatione Ioannis Christiq; demonstratione, toti conquiescunt omnes; nihili terrores increpationesué ipsius facientes. Sed ne peccatorum quidem aliam remissionem, quam quæ per iustitiam Christi fide apprehensam, atq; ita nobis extrinsecè imputatam, fiat, ita admittere eos par est: quia tota fidei iustificantis vis non in alio ipsis posita est, quam vt Christum Spiritu apprehendat, sibiq; vt proprium iam asciscat assumatq;. Ita nimirum fœcundum falsitatum, semper est omne mendacium, nec consistere vnum satis vnquam potest, nisi decem alijs comentis suffulciatur.

Loci

Loci alij, qui tractari circa Euangelium hoc controuersè haud incommodè poſsint.

Præter locos iam notatos, (qui omnes ad ea pertinent, quæ fuſius iam diſputata ſunt à nobis in diſcurſu ipſo noſtro) plures etiam alij occurrunt, ex ipſa textus occaſione nati.

Primus locus.

Poſſibile eſt per gratiam Euangelij: & omne peccatum mortale vitare & obſeruare Dei mandata; longè ab ea Miniſtri.

34 34. OMnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: Et erunt praua in directa & aſpera in vias planas.

Lu.3.B.6.

Notat Stapletonius in ſuo Cathol. n.2. in illa Erũt praua in directa &c. *Locum de mandatorum Chriſti facilitate, & propria gratia noui teſtamenti, quam hæretici per ſuam Imputatiuam Iuſtitiam impiè ſuſtulerunt. Sed tractat eum fuſius in ſuo morali n. 7.*

Nos vero hic illud primũ obſeruemus ex analogia

logia viarum præparandarum desumptam hanc totam prophetiam, omnisq́; generis impedimenta, quæ aduentum ad nos Salutaris Dei Christi interturbare poßint tollenda significari, nec alia esse impedimenta isthæc quam peccata. Quibus de rebus vide quæ supra disputauimus n. 7.

Secundò, dum talia impedimenta hoc loco, ex propheta Isaia, omnia cuiuscunq́; generis sint, tollẽda prædicantur, per verba futuri temporis; implebitur, humiliabitur, erunt in directa &c. *siue ea per Hebraismum dicta accipiamus, quo futura pro Imperatiuis paßim ponuntur, (vt sit idem quod dicitur, quasi dictum esset, impleantur, humilientur, sint siue fiant directa &c. siue communi more pro futuris; eodem tamen tandem coincidunt, quo ad nostrum institutum. Nempe, certo euentura ista omnia ad aduentum Saluatoris siue Salutaris Dei nostri, vt id ritè à nobis videatur.*

Impedimenta salutis, hoc est peccata omnia eliminanda.

Et quidem si secundò modo accepta ista dicamus, clarißimum est, quod dicimus. Omnia enim ista futura sunt Indicatiui modi, & quidem à propheta clarißimo Isaia prædicta ita fore. Verè ergo Christo comparente iam facta sunt, & fient semper in Ecclesia. Sin primo, consecutiue eadem inferuntur. Nam promittit propheta omnem carnem visuram salutare Dei, id est agnituram atq; recepturam Christum Dominum, sed non nisi sub conditione: si paret vias Domino, & quidẽ eo modo quo diximus, viarum impedimenta tollendo. Quoniam igitur certum est, à verè pijs omnibus verè visum hoc salutare Dei,

Dei, eo modo quo prædixit propheta, ac videri quotidie: certum erit & illud, verè omnia ista impedimenta peccatorum per eos sublata.

Quodsi etiam præterita, iamq; actu commissa peccata, seu impedimenta, (quæ obstruunt Christo aditum ad animas nostras) verè piorum studio ac diligentia tolli possunt, & quidem id ita cōmuniter; vt omni carni, homini, id sit obuium: quantò magis imminentia & futura, ac nondum nobis imperantia sed tentantia duntaxat? Longè enim semper facilius (principijs si obstetur,) arcetur hostis, ne domum ingrediatur nostram; quam ingressus iam ac dominans inde excludatur.

Gratia & auxilium Dei in nouo testamento.

Porrò cum totum hoc, quòd dicimus, impossibile sit naturæ nostræ imbecillitati, in se consideratæ; eo ipso quo hic propheta ea pronunciat, vna cum Salutaris Dei agnitione, mūdo obuentura: eo ipso quidem simul & cælitus dandam gratiam consequenter insinuat per Christum, quo talia omnia præstemus. Magna enim ita pars salutis, per Christum, tanquam salutare Dei allata, in ea gratia ac prima consistit. Atq; ideo etiam tanquam nouū & aduentu, Saluatoris proprium, id omni carni (tam illucusq; infirmæ ad omne bonum, & toto orbe per varia peccata quasi penitus collapsa) tum demum obuenturū prædicit. Isa. 40. G. *Id quod in fine eiusdem capitis etiam, clarius idem propheta docet.* Dat lasso *(inquit, de Deo)* virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. *Et sequitur.* Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate ca-

te cadent. Qui autē ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

Ea igitur ratione locus is de auxilijs noui teſtamenti commodißimè hic tractabitur. Vis autem in eo potißimum hic facienda, quòd & carnem hic exprimat propheta, & omnem carnem, cui iſta ſint obuentura. Nam in carnis quidem nomine, illud innuit etiam ipſam imbecillitatem noſtram, idoneam per Chriſti aduentum tanto operi futuram. Carnis enim nomine ferè infirmitas humana in ſcripturis ſignificari ſolet. Vnde eodem loco propheta mox ſubiungit: Omnis caro fœnum &c. *Omnis vero carnis nomine, omnes etiam gentes conuertendas, per eandem aduentus Chriſti gratiam ſignificat, & eadem fortitudine imbuendas.* Gratia noui teſtamenti. *Iſai. 40.*

Eadem deniq; occaſione & alij hic tractari loci poſſunt, vt ille in genere: Poßibilia eſſe Dei mandata, & omnium peccatorum mortalium fugam. Nam ſi id propheta re ipſa futurum prænunciat in omni carne, quæ viſura ſit ſalutare Dei: certe poßibile id etiam profiteamur neceſſe eſt, vel nulla omninò caro videbit id ipſum ſalutare. Poſsibilia Dei mandata.

Similiter & ille: Miniſtros noſtros Euangelicos cum omnium credentium ſuorum cœtu, nunquam hactenus ritè vidiſſe ſalutare Dei, nunquam partem in eius ſalute fuiſſe ſortitos. Ratio eſt, quia ſecundum ipſorummet fidem & confeßionem, ne poßibile quidem eſt, vt in quocunq; mortalium talis viarū Miniſtrorū cœtus nunquam vidente Salutare Dei.

præpa-

præparatio reperiatur, ne dum vt verè ipsi eam se consecutos agnoscant: at eam præviam tanquam omninò necessariam propheta hic requirit, si videri debeat & agnosci illud salutare.

Secundus locus.

Conspicua toti mundo semper fuit vera salutis in Christo prædicatio, nota omni carni.

Videbit omnis caro salutare Dei.

35 35. C*ertũ est nomine salutaris Dei, hoc loco ipsũ Christum Saluatorem intelligi, eodem sensu quo quõ-*
Lu. 2. 30. *dam Simeon de eo cantauit* : Quia viderunt oculi
Videre salutare Dei. mei, Salutare tuum. *Ita dubium non est videndi verbo, hic ipsam Saluatoris manifestationem significari, qua iam inde ex eo tempore, quo Ioannis vox mundo intonuit, paulatim omni carni, hoc est omnibus hominibus prædicari publicè cœpit salus Christi, & simul passim acceptari, atq; ita oculis quasi fidei videri. Hoc est enim omnis caro, id est omnis homo; prout passim carnem in scripturis Sacris accipi videmus, & ex illo loco Ioannis clarissimè* : Verbum
Ioan. 1. 14. caro factum est. *Itaq; eodem recidunt ista hic*
Psal. 97. 3. *propheta, quo illa Dauidis*: Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. *Itemq; quo illa*
Isa. 52. 10. *eiusdem Isaiæ* : Parauit Dominus brachiũ sanctum suum, in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Ea vero

Ea vero occasione illa commodissimè hic induci potest disputatio, de clara ac perpetua, & toto passim orbe in Ecclesia Catholica & vniuersali veritatis Euangelicæ, ac veri salutaris Dei, prædicatione, atq; notitia: contra obscurissimam, & penitus inuisibilem, ac nunquam ante tempora Lutheri, tot seculis cognitam mundo hæreticorum nostrorum, vel Augustanam confessionem, vel similem aliam; quamuis, vna cum omni fide & doctrina ipsorum. Nam ex istis quidem propheta, merito concludimus: si omnis caro videre debuit potuisse Salutare Dei, in conspicuo ergo debuisse esse doctrinam eius. Nã quæ inuisibilia sunt, non solum non videntur, sed nec videri possunt. Porro ista visio, cum hic pro cognitione fidei certa ac omnibus patenti accipiatur: certè ad minimum perspicuam & manifestam prædicationem, Salutis, toto exinde orbe requirebat. Semper igitur nota debuit esse in Ecclesia.

Clara semper in Ecclesia fuit salutis prædicatio.

At vero ab Euangelicis istis Ministris, si quæramus, iam inde à proximis seculis Post Apostolos incipiendo, vsq; ad ipsum Lutherum, quæ illa caro fuerit, quæ agnouerit Salutare Dei, ipsorum modo, legitimè? non solum omnem carnem passim vsque ad fines terræ sparsam, ostendere non possunt; Sed ne vnicam quidem vnius hominis. Quomodo ergo ipsorum, quam ipsi intulêre vel visio, vel cognitio, vel prædicatio istius salutaris vera? quomodo prout inuisibilis & ignota penitus fuit, omni carni tot sæculis & sepulta sub scamnis & pulueribus obsita: non dignissima etiam nunc quæ vsq; in æternũ

Ministrorũ inuisibilis & tenebrosa olim doctrina.

densis obruatur tenebris & perpetua obliuione? Contra vero, quomodo non verissima Ecclesiæ Catholicæ fides, in salutare Dei, & visio salutis, quæ sola & seculis cunctis, & omni carni hactenus, præ omni alia prædicatione, præ omni hæresi Christum promittente, nota atq; exposita fuit?

Tertius & Quartus Loci.

Factum est verbum Domini, super Ioannem Zachariæ filium in deserto.

36. 36. QVale sit hoc Verbum Domini, *de quo hic Euangelista, vidimus Dom: 3. n. 31. & 32. Coincidit igitur in idem hoc quod hic dicitur de Ioanne, cum eo quod ipsemet alibi de se testatur:* Ego vox clamantis in deserto, *Nempe nil Ioannē nisi legitima ex Dei cōmisione, iussu, ac nomine vel egisse vel prædicasse in toto prophetico munere suo. Eadem igitur & hic de legitimo officio prophetarum æstimando tractari possunt, quæ ibi. Qua de re propriè vide Dom: 3. n. 36. De deserto Ioannis & Alter locus circa illa:* In deserto.

Quale id fuerit desertum copiosè disseruimus Dominica 3. n. 13. vsq; 27. Eadem igitur & hic, tractari possunt, quæ ibi annotauimus vel de religioso vitæ Monasticæ instituto. n. 25. vel de propria heremicolarum ratione. n. 27. vel etiam in genere de omni spontanea & absq; præcepto suscepta Christiana deuotione n. 26. &c.

DOMI-

DOMINICA
Infra Octauam Natiuitatis.

Euangel. Luc: 2. Prophetia Simeonis de Christo infante.

IN illo tempore, Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quæ dicebãtur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorũ in Isráèl: & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua: & hæc vidua erat vsq; ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazaret. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo.

Demonstratur Christum in ruinam factum fuisse reprobo Israëli, non ineuitabili Dei destinatione, sed propria nequitia ipsius. Esseq; impios Caluinistarũ Ministros, q Dei immutabili decreto talia adscribunt.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

1. INquirendum quomodo idem Christus hic dicatur positus in ruinam multis in Israël, qui paulò ante Saluator natus omni Israëli fuit denunciatus: vt ita simul & propriam ruinæ talis originem intelligamus, & benignam Dei prouidentiam ab impijs Caluini blasphæmijs vindicemus.

2. Ruina de qua hic sermo, tota spiritualis est, vt &
3. resurrectio. Vt enim stare Deo, in gratia salutis consistere est: ita ruere ex gratia ea excidere est; resurgere verò gratiæ eidem restitui.

4. Testatur verè Spiritus S. passim in scripturis, occasione Christi tanquam ad lapidem offensionis quen-
5. dam, plurimos collapsuros ex Israël. Sed & ipse rerũ euentus idem comprobauit. Plurimi enim ex Israële illo nati, qui circa Domini aduentum stabant, vel stare certe poterant fide implicita in Christum, qua mul-
6. ta de Christo licitè tum ignorabant: (vt in ipsis Apostolorum initijs videre est) corruêre, non ab obedientia solum Christi, sed & à fide penitus, factiq; perfidi sunt toti ac rebelles Christo iam reuelato; dum mysteria eius, ad quæ iam explicitè amplectenda teneri inci-
7. piebant, admittere nolent. Plurimi æquè ex Israële spirituali Ecclesiæ, eadem Christi occasione, ruunt indies. Nam inde & hæreticorum tam multiplex lapsus totus se in Christi verbum referre solitus; & quotquot peccant Catholici, eò ipso longè grauius ruunt, quo

Christiani sunt, quia ex altiore corruunt gratiæ gradu.

Et tamen tota ruinæ huius ratio, ex sola hominū 8.
vel ignauia vel malitia originem trahit. Ad modum enim lapidis, vel angularis in ædificio, vel terminalis in agris, offensioni talibus est Christus, nempè solis incautè prætereuntibus. Neque enim Dei consilium fuit, vt quisquam inde corrueret, quin omnibus is in salutem positum Christum voluerat, eodem hoc Simeone id testante, vna cum angelo nuncio Natiuitatis, sed 9.
& Christo ipso, alijsque scripturis sacris.

Neque vbi hic de ruina loquitur Simeon, æquè ac 10.
resurrectione, vel à Deo positū in id significare voluit Christum, (cum idem sit hic positum esse, quod iacere) vel eandem esse originem lapsus resurrectionisque; sed explicare vtriusque euentum esse eundem. Ita 12.
vt nil contrarium habeant ista Simeonis, cū illis, quæ Angelus in Natiuitate de plena salutis materia, omnibus proposita nunciarat.

Longè aliud Caluiniana habet Ministrorum sen- 13. 14. 28.
tentia, summa quidem illa cum impietate coniuncta. Ex mero enim Dei placito, eam ruinam ab æterno ita destinatam Israëli volunt, vt suam quoque damnationem reprobis omnibus, ac singulis: nec missum Christū propterea omnibus hominibus in salutem, sed electis solis, cæteris definito consilio exclusis. Cumque 15. 30.
quæcunque decernit Deus eadem etiam efficaciter vrgeat ipse necesse sit, inde & omnem illam Israëli per Christum ruinam operatum esse Deum, vt & damnationis culpas omnes in reprobis omnibus, & minimè missum Israëli toti Christum Saluatorem.

Atqui & cū promissis ista Dei omnib⁹, de Saluatore 16. 31.
futuro directè pugnant, & Angeli etiam de Natiuitate Christi nuncio, & omni denique studio Christi ipsius, Israëlis iam salutem re ipsa quærentis. Nec affirmari 18. 19. 20. 32
omninò possunt, nisi (quòd blasphæmum est) Dei operationes & mendacij & fallacis deceptionis, & summæ iniquitatis, & extremæ crudelitatis damnemus. Fugi-

endi igitur blaſphemi Euangeliſmi iſtorum, contraque vni inhærendum, meritò hic doctrinæ Catholicæ, quæ
17.21.22.23. & ſimpliciſſima eſt, & omnis pietatis in Deum plena. Miniſtri verò & ipſi, tantam blaſphemiarum ſuarum connexionem, meritiſſimò vt aſpidum oua execrētur.

24. Sed & cum tanta res ſit, ſiue ſalus iſta Chriſti, ſiue ruina per ipſum, vt maior nulla queat, alterutraque earum neceſſario ſubeunda omnibus: meritò omni ſtudio euigilandũ cuiuis, vt ſors eum ea fælicior contingat.
25. 26. Ad quam quidem ſiue ſtemus conſeruandam, ſiue conciderimus iam recuperandam; vna diligentia poteſt plurimum. Cum contra ignauia ſiue ſtantem ruere etiam ex ſeipſo faciat; ſiue iacentem fædiſſimè labefactet, atque ad extremum etiam plenè conterendum proſtituat.

Sequitur diſcurſus ipſe.

THEMA.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſráël. Lu. 2.

Quomodo Chriſtus multis in ruinam poſitus fuerit, examinandum.

1. Idem Chriſtus, qui omnibus natus Saluator ruina multis fore dicitur.

1. *Explicandum hoc loco quomodo Chriſtus in ruinam multis poſitus eſſe dicatur in Iſrael; quamque id, non tam ex definito conſilio Dei, quam mera hominum malitia prouenerit. Vnde conſequenter ſimul pia Dei prouidentia, quantam quidem præſens feret occaſio, à blaſphema Caluiniſtarum prædeſtinatione, qua æquè exitium reprobis, ante omnem*

nem peccatorum prauisionem, quam electis fa-
cem, ex mero beneplacito Dei, ab æterno asserunt
cretum, vindicata apparebit. Habet vero eadem
ntemplatio hæc, etiam aptissimam festis hisce Na-
litiis disputationem, vt eo plenius intelligamus,
uo sensu paulò ante Angelus annunciarit gaudi-
im magnum *futurum* omni populo, *ex eo*
uòd natus esset ipsi Saluator, qui erat Chri-
tus Dominus. *Certè enim alioqui vnus idemq;*
Christus est, de quo nato; & illa angelus tum, &
modo in Euangelio hoc loquitur Simeon ex Spiritu
S. vnus idemq; Israël, qui in hoc Euangelio nomine
suo exprimitur, & qui in Angeli nuncio, omnis ille
populus particulariter appellatur. Quam vero mi-
ra? quam diuersa horum de vna eademq; re vide-
tur narratio? Quomodo enim ibi quidem omni po-
pulo isti gaudium, & salus, ex nato Christo, tanto
applausu denunciatur: hic verò, vix paucis interie-
ctis diebus, multis, imò maximæ eorundem parti,
periculum, ruina, ac perditio extrema, eodem ex
capite ostentatur? Dignissima res quæ accuratius
examinetur. Primum autem hic proprium ipsum
loci huius in Euangelio sensum inuestigabimus ex-
ponemusq; ac cum Angeli illo lætissimo nuncio
conferemus. Deinde impiam Bezæ ac comministro-
rum eius eadem de re sententiam, partim in medi-
um adducemus, partim quam absurda sit, & im-
pia ostendemus.

Et ruina de qua Euangelium loquitur & resurrectio propriè spiritualis est, vtraq; longè maximi momenti.

2\. 2. QVod igitur ad primum attinet, dico totam loci huius interpretationem in eo esse, vt intelligamus, primùm quidem quæ qualisué sit, ruina illa, de qua hic meminit Euangelium, quæné qualisué resurrectio ruinæ illi opposita. Deinde verò quomodo multis tali ruinæ futurus Christus, atq; in id etiam positus esse; quis eum in id posuerit, siue quis prima causa tantæ plurimorum perditionis, sit dicendus. Exinde enim facilè iam etiam illud patebit tertium, quomodo ista cum lætissimo illo Angeli nuncio sint componenda conciliandaué.

Ac primo quidem de lapsu hic ac ruina animarum agi, clarius est, quam vt explicatione egeat. Nam & alioqui ne intelligi quidem potest, quomodo corporibus plurimorum vnquam offensioni esse potuerit Dominus vt caderent; nisi forte quatenus animarum lapsus, ipsis etiamcorporibus extremum tandem interitum adducere solet. Spiritualis est omnis ruina hæc, de qua hic loquitur Simeon, illa inquam qua Deo ac saluti æternæ cadunt homines, atq; ita consequenter in æternæ ruunt damnationis præcipitium: spiritualis contra etiam omnis ista resurrectio, qua itidem Deo resurgunt homines, ipsiq; iam & stare, & viuere & operari incipiunt; vitæ æternæ propterea futuri hæredes, qui in tenebris ante & vmbra mortis iacentes, nil nisi ira ac gehenna in se habebant obnoxium. Non

Non insolitum est scripturis sacris huiuscemodi vel standi vel cadendi, vel iacendi, vel resurgendi tropis vti; dum spiritualem animarum statum varium nobis describunt. Quisquis in gratia Dei perseuerat, is stare dicitur paßim in sacris literis. Ita Paulus ad Thessalon: Nunc viuimus *inquit*, Si vos statis in Domino. *Et alibi*; accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus. *Et iterum*. Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini. *Denique Christus ipse appositè ad rem, de qua nos agimus*, Omnis, *inquit*, qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim erat supra petram. *Non cecidit inquit talis, stetit igitur, permansitué in statu suo gratiæ, in quo benè erat fundatus supra Christum petram suam.* Stare Deo, in gratia salutis perseuerare est. 1. Thes. 3. 8. Rom. 5. 2. 1. Cor. 16. C. 13. Matt. 7. 24

Similiter quisquis ex gratia Dei excidit ac damnationi fit obnoxius, is ruere in scripturis, cadere, labi perbibetur. Ceciderunt *inquit Dauid*, qui operantur iniquitatem. *Et idem alibi*: Cadet à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. *Et Sapiens*: via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. *Deniq; aptißimè ad rem nostram Christus*: Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto qui ædi- Cadere Deo, ex gratia salutis excidere est. Psal. 35. 13. Psal. 90. 7. Prouer. 4. C. 19. Matt. 7. 27

ficauit domum suam supra arenam: Et descendit pluuia, & venerũt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & cecidit & fuit ruina eius magna.

Resurgere Deo, gratiæ salutis restitui est. Matt.18.12 Mar.9.23. *Simillima deniq; ratio etiam iacendi est in spiritualibus ac resurgendi. Id quod iam etiam ratio ipsa docet. Si enim ex gratia excidere, labi est, lapsum ergo ita esse atq; in eo statu permanere; iam corruisse, iacere, in imis hærere*, sedere in tenebris, (*vt alibi scriptura loquitur*) & in vmbra mortis, *erit: itidemq; consequenter ex eodem statu emergere, atq; in pristinum gratiæ statum reponi; resurgere erit.*

Hæc igitur ruina, de qua hic Simeon, hæc item resurrectio, in quam vtramuis positum esse, multis Saluatorem affirmat. Horribilis planè ruina, vti contra fælicissima resurrectio. Nam neq; ruina ante sistit, (nisi fortè quis tempestiuè ex ea resurrexit) quàm ligatis manibus pedibusq;, in tenebras *tandem detrudat semel collapsum* exteriores, vbi nec vermis *miserorum* moritur *vnquam* necignis extinguitur *ideoq; perpetuus est* fletus & stridor dentium. *Et contra resurrectio illa, ex media perditione hominem erutum Deo restituit, ac saluti, æternis tandem gaudijs certo, si ita perseuerauerit, inferendum. De qua propterea non inscitè illud Ioannis accipiamus.* Beatus qui habet partem in resurrectione prima. In his secun-

Apoc.20.6 da mors non habet potestatem.

Posi-

Positum multis in ruinam Dominum, quomodo inuestigandum.

3. ET *quidem quomodo Saluator noster multis positus fuerit in resurrectionem eam, haud difficile videtur intelligi, cum* venerit saluum facere ac requirere quod perierat: *Sed tam horribili ipsum ruinæ cuiquam venisse, quomodo capere possumus?* Salutare *enim* Dei *Christus est, vt ipse Simeon immediatè ante ista Euangelij de ipso pronunciauit*, paratum à Deo ante faciem omnium populorum, *quomodo ergo quod in salutem paratum fuit omnibus Salutare Dei, multis in æternæ damnationis exitium positum intelligemus?*

Dico primò verißimè id velle hic Spiritum S. multis Christum damnationi cesisse, qui alioqui vel damnandi non fuissent, vel ita grauiter non damnādi, nisi Christus ipsorum tempore venisset, in quem impingentes grauius fuerint collapsi. Dico secundò, idq; ipsum re ipsa ita euenisse, nec multos solum, sed longè plurimos, & in ipso olim Israële carnali, de quo ad literam loquitur Simeon, & post modum in omni Israële spirituali (qui est Ecclesia) occasione Christi grauißimè offendisse, atq; ita in æternam damnationem corruisse corruereq; adeo quotidie. Dico tertiò, nec tamē propterea tale quid vel patrē ipsum æternum, qui dedit mundo filium hunc suum in salutem, vel filium ipsum Saluatorem intentum habuisse. Totum id hominum ipsorum vel incuria vel nequitia

quitia factum perpetuò, fieriq́; etiam hodie, non vlla destinata definitione diuina. Singula videamus.

Verè multis ruina fuit aduentu suo Christus, ex salute in qua vel stabant tum aliqui, vel non ita grauiter lapsi fuerant.

4. 4. *VEre inquam primum illud significare vult Spiritus S. Christum multis ruinæ vel in ipsam simpliciter damnationem, vel in damnationẽ certè grauiorem fuisse. Id primum ipsa Simeonis verba enunciant, tum multa præterea confirmant scripturarum loca. In ruinam positum multis dicit Christum Simeon & quidem in ruinam, vt vidimus spiritualem. Non potest intelligi vlla ruina fieri, nisi vno aliquo duorum modorum sequentium; primum quidem si qui antea stabat firmus, in statu suo & erectus, in præceps ruat, quales sunt ij qui ex integro corruunt. Deinde si qui ante iam fuerit lapsus, nec dum tamen peruenerit ad ima, profundius grauiusq́; concidat. Et in Christo igitur, quicunq́; offendentes ruinam fecisse dicatur, hisce modis fecisse intelligãtur necesse est.*

Simeon.

Quicunq́; nimirum circa ipsa Christi tempora stabant Deo, partim fide stabiliti, & in Deum ipsum & in venturum Messiam eius; partim obedientia legis firmati, & incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela; *si post modum manifestato iam Christo ipso vel recipere sufficienter ipsum noluere, vel persequi etiam cum impijs cœpere: ij occasione Christi ex statu integro in*

Lu. 1. a. 5.

gro in quo erant, collapsi fuère in damnationē. Qui vero iam tum vario peccatorum pondere pressi iacebant, & nihilominus postmodum Christum præsentē, vel respuère obstinati vel directè oppugnauère: ij ex lapsu mediocri, in longè etiam profundius barathrū perditionis corruère.

Atq; hoc est quod ita fore passim prædixère scripturæ sacræ, hoc quod apud Isaiam dicitur. Isaias.
Dominum exercituum *inquit*, ipsum sanctificate, ipse pauor vester & ipse terror vester & erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël; in laqueum & in ruinam habitantibus in Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. *Nam hæc quidem de Christo intelligi, & ex loco ipso Isaiæ colligitur dum paulò ante meminit Emanuelis, quod proprium Christi nomen est vt Matth. testatur, & ex D. Paulo, qui ad Romanos scribens, hunc ipsum locum cum altero simillimo Isaiæ coniungit, ac Christo applicat. Quod idem etiam B. Petrus alibi fecit. Hoc quod apud eundem Isaiam Dominus:* Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem preciosum in fundamento fundatum, qui crediderit non festinet. *Siue vt 70. habent* qui crediderit non confundetur. *Quem quidē & ipsum locum Paulus cum priore illo paulò ante citato coniungens.* Offenderunt, *inquit*, in lapidē offensionis sicut scriptum est, ecce ego pono Rom. 9.

Isai. 8. C. Isa. 8. B. 8. N. 10. Matt. 1. 23. Isa. 28. 16. Rom. 9. 32. 1. Petr. 2. B

in Sion lapidem offensionis & petram scanda
li,& omnis qui credit in eum non confunde-
tur. *Ita ille: Ita Christus ipse ad hæc partim Isaiæ*
Ps. 117. 22. *loca alludens, partim ad illa Dauidis*: lapidē quē
reprobauerunt, ædificantes hic factus est in
caput anguli, *ipsisq; loquens primoribus Israëlis*:
Lu. 20. 18. Omnis, *inquit*, qui ceciderit super illum lapi-
Matth. 21. dem conquassabitur(*siue vt Matth: habet* con-
D. 44. fringetur) super quem autem ceciderit com-
minuet eum (*vel vt Matth. loquitur*, conteret
1. Petr. 2. eum) *Deniq; omnia hæc simul expendens ac confe-*
A. B. *rens Petrus*. Propter quod, *inquit* continet
scriptura, Ecce pono in Sion lapidem sum-
mum angularem, electum, preciosum, & qui
crediderit in eum non confundetur. Vobis
igitur honor credentibus, non credentibus
autem lapis quem reprobauerūt ædificantes
hic factus est in caput anguli, & lapis offensi-
onis, & petra scandali. *Hæc scripturæ sacræ. Ex quibus quidem illud necessariò colligitur, omnes eos qui ad lapidem istum vel offensuri, vel casuri, vel confrigendi, conterendi, cominuendiué ab eo dicuntur, ad eum ipsum meritò omnis huiuscemodi lapsus sui occasionem relaturos, nec aliunde æquè collapsuros fuisse, nisi is ipsis offendiculo iacuisset. Atqui is ipse lapis Christus noster est, de quo hic Simeon.*

Plurimi ex Israële antiquo corruêre in damnationem, qui salui esse potuissent, si eorum tempore Christus non venisset

Neq;

NEq; verò, secundò fefellit exitus ipse rerum 5.
ædictionem, ac ne hodie quidem fallit experientia
uotidiana. Corruit iam inde totus propè ille Israël
rnalis, in tetram illam perfidiæ voraginem, in qua
odieq; putrescit. Corruunt indies Christiani mali
ulti in vnum Saluatorem impingentes. Neq; tam
robatione res ea indiget, quam dilucida explicatio-
e. Primum igitur hic quomodo stare solitus fuerit
Deo, salutemq; inde adire Israël ille, antequā Chri-
tus venisset expendamus; inde facilius lapsum eius
x vna offensione ad Christum intelligemus.

Stare Deo diximus idem esse, quod in gratia ipsius diuina viuere ac perseuerare. Vita ista gratiæ non aliunde prouenit mundo, quam fide in Christum viua, siue quod idem est, fide per charitatem operante: Neque enim vnquam datum fuit aliud nomen mundo, in quo salui fieri possēt homines, quam vnius Christi. At in Christo Iesu neque præputium aliquid valet, neque circūcisio, sed fides quæ per Charitatem operatur, vt scriptura docet. Neq; Israëli ergo olim etiam, ante Christum aliunde, quam ex tali fide, æquè ac nobis hodieq; post Christum, vita illa aut status gratiæ esse potuit. Sed tamen magna fuit antiquorum temporum, ab hisce post Christum & in fidei ipsius ratione, & in charitatis operatione differētia.

Israel ante Christum fide Christi venturi saluatus.

Act. 4. 12.

Gal. 5. 6.

Fide stabant viuebantq; Deo homines, etiam olim in Christum; at vt venturum, & nec dum satis declaratum, sed varijs adhuc vmbris ac figuris legis obscu-

obscuris tantum adumbratum. Fide viuitur & hodie in eundem, sed tanquam iam pridem mundo datum, ac plenè clarißimèq; manifestatum prædicatūq;. Ita Charitatis operatione viuebant homines etiam olim, sed quæ maxima ex parte circà legis obseruationes ac figuras Meßiæ venturi occupāda erat. Eadem viuitur & hodie. sed iam sublatis figuris illis, non nisi circa peculiaria Christi ipsius præcepta, ac doctrinam occupata.

Fides Israeli satis obscura atq; implicita.

Igitur vt stare dicerentur Deo olim Iudæi, vtq; verè inde salui fierent, virtute meritorum Christi futuri: satis erat quod ad fidem quidem attinet, vt certo crederent venturum tandem Meßiam, qui ipsos esset saluaturus, semen nimirum illud mulieris, de quo prædictum ab initio, quod serpentis infernalis caput esset contriturum; semen illud Abrahæ in quo benedicendæ essent omnes generationes terræ; filiū deniq; Dauid qui redempturus erat Israël; de reliquo operam darent obseruationi legis ex toto corde, prout optimi illi coniuges fecēre de quibus testatur Lucas, quod erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. *Nil tum opus erat credere explicitè nasciturum Meßiam illum ex Maria, passurum sub Pontio Pilato, crucifigendum, moriturum, sepeliendum, tertia die resurrecturum à mortuis; baptizaturum in nomine Patris & Filij & Spiritus S.; daturum plenam potestatem ministris suis, vt quorumcunq; remitterent peccata in terris; eorum etiam remissa crederentur in cœlis; itidemq; quorum*

Luc. 1. A.

Multa absq; periculo ignorare licebat Israeli.

quorum retinerent peccata in terris; instituturum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo verè se ipsum præsentem, etiam corpore, Ecclesiæ suæ perpetuò relinqueret, quæq; siue sub vna, siue sub vtraq; specie necessariò esset sumenda, pijs omnibus, ad salutem, sublaturum verò etiam omnem illum antiquæ legis apparatum in templo, in sacrificijs, in Sacerdotio, in circumcisione deniq; ipsa, atq; alia quæuis his similia designaturum. Nil inquam istorum tum omnium creditu necessarium erat, nil necessarium inquam, hoc est, ac si absq; ea fidei explicita confessione non potuisset saluari homo. Quia nimirum necdum clarè ac perspicuè reuelata ea erant Ecclesiæ illi, vt ita crederentur, sed magno demum Prophetæ illi, quem prædixerat illis Moyses, Christo inquam ipso, manifestāda relicta. Vnde illud in ijs omnibus, satis erat tum hominibus credere, venturum Messiam qui omnia scitu necessaria in his plenè doceret; animoq; interim ita affectos esse, vt plenam Messiæ cum venisset, fidem obedientiamq; omnes præstarent. Hæc illa eo in genere Samaritanæ illius est professio, dum in nodum incidens fidei à Christo sibi propositum, quem resoluere ipsa non poterat. Mox enim illo refugit. Scio inquit, quia Messias venit, (qui dicitur Christus) Cum ergo venerit, ille annunciabit nobis omnia.

Deut. 18. C 15.

Fides implicita Israeli qualis.

Ioan. 4. 25

6 *Hæc igitur fides in Christum antiquorum, saluare eos tum sufficiens, si cum Charitate coniuncta fuisset. Id quod in ipsis etiam Apostolis clarissimè est*

6. Fides Apostolorū initio multa ignorans.

mè est videre. Fuere ij viri fideles ac probi omnes, iam inde à prima Christi agnitione, ideoq; iam tum etiam stantes in gratia Dei, & regni cælestis iure suo hæredes. Et tamen nil adhuc de passione Domini, nil de resurrectione sciuere; longe post à Chri-
Matth. 16. sto ijs in articulis eruditi, nec id antequam post ostensam ijs primum in monte Tabor transfiguratio-
Matt. 16. C Ioan. 20. F nis suæ gloriam. Nil æquè tum de Eucharistiæ Sacramento, nil de absolutionis gratia norant, quia nondum in ijs à Christo instituti, sed serius plene instituendi erant. Nil de legis ceremonijs in gentium vocatione abolendis. Id quod sero demum, nec ni-
Act. 10. C. D. si aliquot post ascensionem annis, vni Petro reuelatum fuit; cæteris Apostolis tum quoque initio hæsitantibus & disceptantibus contra Petrum. De-
Act. 11. A. niq; ne illud quidem satis intellexêre ante ipsum S. Spiritus aduentum Apostoli, esset ne in hoc mundo restituturus regnũ Israel temporarium Christus, hoc est ab omni liberaturus iugo alienorum Regum, & in antiquam libertatem id vindicaturus. Itaq; & illi euntes in Emaus: Nos autem, inquiunt,
Lu. 24. 21. sperabamus quia ipse esset redempturus Israel. Et in ipsa adhuc Domini ascẽsione illud quærunt
Act. 1. A6. Apostoli Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel. Nec tamen propterea à recta fide vnquam excidisse sunt dicendi.

Licite Israel expectabat regnũ Messiæ illustre. Licebat igitur illucusq; ea omnia ignorare; licebat de ijs sentire quod cuiq; ratio dictabat sua; nec hæretici ij ex Israel, qui tum sibi imaginabantur Regnum Messiæ, etiam in rebus mundi huius fore

fore omnium florentissimum, Iudæis per orbem terrarum omnem, rerum potientibus, tanquam messiæ sui asseclis atq; amicis primis.

Hæc inquam talis antiquis fides sufficiens ad salutem, simillimaq; obedientiæ Charitatis ratio tum erat. Nihil opus ijs erat ante Christum baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus S.; nil sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, nil confessionis vti, nil vnum Petrum summum omnium ouium Christi agnorumq; eius pastorem agnoscere, ipsiusq; regimini sese subijcere; nil alijs noui testamenti obseruationibus obtemperare: satis tum erat in omni pietatis sensu possibili, antiquæ legis, vt pote adhuc plenè stantis vigentisq; ceremonijs præceptisq; intendere. His quicunque ex corde vacabant, eo quo diximus modo, viuebant tum ac stabant gratia Dei, hæredes futuri per Christi merita venturæ gloriæ cælestis. Talis olim Saulus antea quam Christus suam incepisset pœnitentiæ ac regni cœlorum prædicationem. Nam id de se ipso testatur, seruiuisse se Deo, iam inde à pgenitoribus suis, in conscientia pura, Tales infiniti in omnibus finibus Israëlis. Satis id tam ingens ille concursus testatur ad pœnitentiam à Ioanne prædicatam, ex omni vt scriptura testatur Iudæa, & omni regione circa Iordanem, & Hierosolymitis vniuersis, confluens, vt pœnitentiæ baptismum ab ipso reciperent.

Obedientia charitatis, qualis Israëli satis. *Ioan. 21. C*

Exẽpla stantis Deo Israëlis circa Christi initia. *2. Tim. 1 A 3. Matt. 3. 5. Mar. 1. A5.*

Non apparuisset igitur istorum tempore in carne Christus: permansissent ij in statu suo; salui denique in Christo venturo fuissent facti. Quia vero

venit Christus in forma, qua eum describunt sacræ literæ, & prædicauit omnia ea, quæ fides etiam nunc Christiana docet, atque Catholica, ex eo ipso magna ex parte omnes illi collapsi sunt; in ipsum Christum, eiusque doctrinæ manifestationem hanc impingentes, atque ita in perpetuam corruêre damnationem.

Christo manifestato plura creditu necessaria quam ante.

Nimirum eo ipso, quo apparuit ipsorum tempore Christus, eo ipso iam obligari cæpêre omnes, sub periculo exitij æterni, & ad fidem Christi longe magis iam explicitam profitendam: & ad obedientiam nouam plene in omnibus doctrinæ eius præstandam. Ex eo enim iam tempore omnino necessarium esse ipsis cæpit ad salutem, vt præter generalem illam in Meßiam venturum fidem, ad ipsam etiam Christi personam, particularem recipiendam sese demitterent; præter generalem illam animi promptitudinem credendi Meßiæ venturo in omnibus; ad singulas etiam doctrinæ eius partes, siue de paßione, morte, ac resurrectione eius; siue de Sacramentorum nouorum institutione; siue de Ecclesia ac Sanctorum communione; siue quocunque de alio articulo prædicationis eius admittendas descenderent; ac singulas seorsim certa fide suscipiendas; nec fide solum suscipiendas, sed & vita ipsa, atque obedientia cordis totius adimplendas.

Quomodo propriè corruerit in Christo Israel.

At verò hæc ipsa illis ruinæ caussa. Nam neque tam tenuis fortunæ hominem, qualis videbatur esse Christus, in Meßiam, (quem sibi pleriq; omnes potentißimum quendam fore mundi Monarcham, illucusq; terreno pro more, fuerant imaginati) volebant

lebant admittere, & consequenter neque doctrinam eius omnino agnoscere, adeòque eo ipso iam facti fuere infideles Deo, & immorigeri Christo eius, & ita simul extorres ab omni salute quam ferre iis venerat Christus. Cumque nihilominus pergeret vrgere sua Christus, paulatim etiam ipsi obniti cæpêre totis viribus, oppugnare doctrinam, blasphemare miracula, ac hostili denique animo communiter omnia Christi persequi: eo ipso iam ita ex bonis facti pessimi, ex fidelibus infideles toti, ex filijs denique Dei ac hæredibus Cæli, filij Diaboli, atque infandi Dei hostes, & inferni titiones. Ecce igitur positum illis verissimè in ruinam Christum, vt Simeon loquitur. Ecce quomodo & qui stabant Deo, illo tempore, plurimi, scandalum ex Christi aduentu capientes, prolapsi sint; & qui iam tum iacebant, varijs peccatorum suorum pressi ponderibus, longè etiam profundius fuerint præcipites acti, nempe quia, vt Paulus loquitur, Offenderunt in lapidem offensionis, de quo scriptum erat. Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali. *Rom. 9. G. 32.*

Plurimi ex Israèle nouo, (qui est Ecclesia) etiam hodie in Christo ruunt in condemnationem æternam.

7. ET *hæc quidem antiqui illius Israëlis per Christum ruina; nec dissimilis ab his multorum lapsus, etiam in nouo Israèle, qui est Ecclesia, vsque hodie.* 7.

Hæreticis omnibus Christus ruina varie.

hodie. Ruunt ex integro occasione Christi etiam hodie, quotquot antea in fide vera atque Catholica stantes, ex ipso Christi verbo diuino occasionem sibi
1. *errorum asciscunt (quales ij maximè hæretici, qui ex Catholica primi excidunt Ecclesia) ipsi ruinæ suæ, merum Christi verbum ac nomen obtendentes.*
2. *Corruunt ex malo in peius, eadem occasione, quotquot eodem verbi Christi titulo, ex vno errore in alterum, sensim dilabuntur; semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenie͂tes, quales ij qui hodie Luterani, cras Caluinistæ, paulò post Anabaptistæ fiunt, indeq; Trinitarij, ac tandem*
3. *plenißimi Machometani. Nec pauci ita corruunt, eadem ex caussa, in deterius, qui Euangelium Christi iactitantes, eo ipso partim in vna fide omnem salutis spem ponendam prædicant; partim pleraq; operum bonorum in primis Deo placentium genera, penitus aspernantur, qualia sunt propè omnia illa, quæ in hodierno Euangelio in Beata illa Prophetissa Anna Phanuelis, tantopere commenda͂tur, puta studium perpetuum castitatis, ieiunia continua, orationes feruentes ac diuturnæ, vigiliæ multæ nocturnæ, & quidem omnia, ea absque vllo certo Dei mandato, sponte suscepta. Nam & ex tanta vnius fidei iactatione, non potest non in plurimis mirè frigescere studium vel resistendi peccatis, vel eadem per solidam pœnitentiam expiandi, (vnde quidem consequenter non potest non consequi ruina continuo maior) & ex tanto illo optimorum operum contemptu, omne pietatis solidæ studium, paulatim*

collabatur

collabatur necesse est. Deniq́, quantam ruinam inuexere secum vna in Ecclesiam vniuersam hæreses nostri sæculi? Nec alio tamen nomine quam Christi ipsius ac verbi eius. Ad vnum ergo Christum offendentes corruentesq́, hæretici, vna secum tantam stragem induxêre. In quantam igitur ruinam talibus positus Christus? 4.

Ad extremum quotquot quocunq́, etiam genere peccati labuntur Christiani, atq́, Catholici, ijs in eo quoque singulari est ruina Christus, quòd longe iam grauior sit omnis peccati reatus talibus, quàm si Christi nomen nunquam agnouissent. Non enim sine causa de ijs loquens Petrus Melius erat ijs *inquit*, non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato. *Et Christus ipse*: Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. *Nempe hoc ipsum est, quod supra ex ore Christi eiusdem citauimus, ruinam eius qui audiat verba sua, & non faciat ea, fieri magnam. Vt enim in omni corporum lapsu, quo sublimiore quisquis gradu delabitur, eo grauior est & casus. ita & in spiritualibus vsu venit. At Catholice Christianus homo, præ omni alio hominum genere, extra Ecclesiam positorum, in altissimum gradum diuinæ adoptionis per Christum est sublatus; ad eundemq́, tuendum omni necessaria gratiæ auxilio communitus. Et eius ergo etiam præ omni alio hominum genere grauissimus, si cætera sint paria, lapsus in condemnationem. Sed hæc quidem hactenus.*

5. Omni peccatori Christiano maiori ruinæ est Christus.

2. Petr. 2. D 21.

Matth. 12. D 45.

Matt. 7. D

nus, quomodo multis in Iſraël Dominus grauiſſimæ fiat ruinæ ac damnationis occaſio; Nunc in quo tandẽ propria tantæ huius ruinæ ſit origo, videamus

Propria ruinæ per Chriſtum origo, humana eſt vel ignauia vel malitia, non arcanum ab æterno Dei conſilium.

8. 8. D*Ico ex ipſa id iam germana, quam docuimus ruinæ huius ratione, facile eſt videre. Ruere dicuntur homines per Chriſtum, quia ex ipſa ſalute, mediiſué quæ attulit Chriſtus ſalutis, occaſionem ſibi ſumunt ruinæ, dum ea vel reſpuunt omnino, vt olim Iſraelitarum quam plurimi; vel negligunt certè, vt hodie mali Chriſtiani omnes; vel oppugnant etiam, vt olim primores Iudæorum, vel inuertunt deniq; vt mortalium omnium peſtilentiſſimi hæreſiarchæ, ac Miniſtri hæretici omnes. Talia vero, vt tali in caſu fiant, nullo certè diuinioris alicuius conſilij opus eſt diſpoſitione, ſola humani ingenij vel imbecillitas, vel malitia abunde ſufficit. Verum ideo fit hic quoq; quod prophe ta dicit.* Perditio tua Iſráël: ex me tantummodo auxilium tuum: (*Oſea 13. 9.*)

(Simile vel termini, vel lapidis angularis.) *Factus nimirum talibus in ruinam Dominus, eo modo quo aliæ illæ à nobis allatæ ſcripturæ id explicant, quo ſcilicet vel lapis quiſpiam ad mediam viam, ſeu termini loco, ſeu quocunque alio fine bono poſitus; in quem tamen impingant, multis ruinæ eſt viatoribus: vel petra aliqua angularis magna ad*

gna ad domus totius alicuius firmandam compagem collocata; ad quam tamen æquè facile offendant prætereuntes. Nihil certè minus vel Architectus, angularem illam suam statuens petram, cogitat, quam quod offendiculo eam esse velit transeuntibus: Nihil minus paterfamilias terminalem illum suum lapidem collocans, existimat; & tamen facilè contingere solet, vt plurimi per eos corruant, scilicet propria incuria sua, in ipsos impingentes, cũ æquè & ipsi, prout alij multi, si prouidi fuissent, sat commodè & sine offensa præterire potuissent.

Ita nihil minus intendit cœlestis ille pater etiam, filium suum vnigenitum mundo donans, quam vt quis quam ex eo grauius damnaretur: saluti eum esse voluit omnibus. Hæc propria atq; genuina intẽtio, hoc consilium patris, hoc certissimum decretum. Vnum illud requisiuit ad salutem eam, vt plena fide reciperetur filius, plena obedientia coleretur. Itaque quotquot receperunt eum, *inquit Ioannes* dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Et Paulus item de Christo loquens.* Factus est, *inquit*, omnibus sibi obtemperantibus causa salutis æternæ. *Quod verò ruinæ is fuerit multis, id non nisi ex ipsorummet vel perfidia qui corruêre prouenit; vel inobedientia, quibus propterea decreta fuit ab æterno à Deo damnatio, etiam præ cæteris maior: sed nõ nisi in iustam huiuscemodi vel perfidiæ, vel inobedientiæ castigationem.*

Consilium Dei in filio mittendo omniũ salus.

Ioan: 1.B12 *Hebr:* 5. 9.

Atq; huic tali ruinæ istius interpretationi omnes præterea scripturæ sacræ consonant. Primum

Ita se ipse Simeon explicat. *quidem ipse se hic Simeon, paulò ante ipsa isthac, de ruina, verba explicat. Nam Dei quidem quale fuerit in Christo mittendo consilium, paucis quidem expressissimè tamen, præmisit.* Viderunt, *inquit, Patrem Deum alloquens,* oculi mei salutare tuum. Quod parasti āte faciem omniũ populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. *Ecce quo fine parauit filium suum mundo Pater, & quidem ante faciem omnium populorum; nempe vt salutare esset omnibus, & gentibus quidem, qui illucusq; in tenebris & in vmbra mortis sedebant, in peculiare etiam lumen: Israëli vero, qui fidei lumine iam & ante sic satis illustratus fuerat, in gloriam particularem. Nulli igitur in ruinam, quæ & tenebras secum necessario tractura erat, non lumen, & hîc quidem interiores, & postmodum etiam extremas perditionis; & ignominiam præterea sempiternam non gloriam, Si omnibus populis eum in finem paratus est à Patre Christus: nullus profecto hominum superest, cui in horrēdum illud exitium, ab eodem potuerit parari poniuè.*

9. Idem Angelus in id à Deo missus testatur. 9. *Eidem consentit etiam lætissimum illud ac primum Angeli de natiuitate nuncium:* Annuncio *inquit* vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo quia natus est vobis saluator. *Omni* Lu.2.B 10. *dicit populo gaudium illud fore de nato Saluatore. Quis vero iste populus omnis? Certè propriè & ad literam omnis Israël, de quorum multis hic loquitur Simeon, dum in ruinam ipsis positum Christum dicit. Quod si quis forte omnem totius hic orbis populum*

lum accipiendum contenderet, is certe ita longè etiam magis, omnem Israëlis gentem complecteretur. At re ipsa quidem plurimi ipsorum, non solum non fuêre magnopere gauisi de nato sibi Christo: sed & insigniter perturbati, cum primum de ipso nato serium nunciũ accepissent. Id q̃d ex Magorum aduentu testimonioq́; & quæ inde consecuta fuêre, abunde colligitur. Quod ergo gaudium hoc omni populo, nisi quia in materiam datus omni populo plenissimam gaudiorum? hoc est, omnibus in salutem natus Saluator? Nulli igitur in perniciem ex sese, ne dum tã magnæ populi illius parti, qualis in ipso corruit, natus erat Christus. Alioqui enim, si etiam ex parte ipsa arcanorum Dei consiliorum, defectus hic, in salute istorum fuisset: iam certe nulla ex parte illis ulla erat causa gaudij annunciandi. Nam & ex parte Dei Christiué ipsius, ineuitabili iam decreto, exclusi fuissent, ab omni gaudij huius materia & ex parte sua, propria se malitia etiam penitus exclusissent. Matth. 2. A. B.

Clarissimum id fieri facillimo exemplo potest. Pone omnibus, quotquot sint Constantinopoli, captiuis offerri redemptionis suæ pretium, tantum ut acceptent conditionem, & è terra ipsa captiuitatis exire consentiant. Tali certè casu, meritò gaudiũ omnibus magnum annunciaretur, quia venisset ijs Saluator. Quod si multi captiuorum vel matrimonij amore, quod forte iniissent; vel quibuscunq́; terræ illius illecebris detenti, exire recusarent; ipsorum id & culpa sola, & malo utiq́; esset futurum, non nunc ij illius defectu. At vero si pro solis paucis aliquibus

Simile uti si captiuis liberatio nuncietur.

quibus talis redemptio foret constituta, ex ipso redemptoris decreto; hic iam certè nulla prorsus gaudij omnibus, seu volentibus exire, siue nolentibus, occasio annunciari potest, quia reuera defectus vndiq; est liberationis. Cum igitur angelus ille à Deo ipso missus fuerit, vt omni vniuersim populo illi futurum gaudium de nato Christo annunciaret, nulli certè à Deo ipso ruina per Christum decreta fuisse affirmari potest. Atq; hoc est, quod omnes prætereà aliæ scripturæ asserunt, hoc quod Paulus de Deo patre primum. Qui *inquit*, omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. *Et mox de Christo*: Vnus mediator Dei & hominum est, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionē pro omnibus. *Hoc quod Ioannes*; lucem *Christum* veram *esse prædicat*, quę illuminet omnem hominem, venientem in hunc mundum. *Hoc quod particulariter & de patre suo Christus, & de se ipso asseuerat*: Sic, *inquit* Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et mox* Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundū sed vt saluetur mundus per ipsum. *Deniq; clariora hæc sunt hactenus; quam vt longiore probatione indigeant, tantum vt ad ea quæ contra obijci possunt respondeamus.*

Idem Paulus. *1. Tim. 2. A. 4.* *Ioan. 1. A. 9*

Idem ipse Christus *Ioan. 3. B.*

Respondetur ad ea quæ contra obijci possunt,

Videtur

10. *Videtur enim ex ipso partim loco hoc Euangelij, de quo agimus, partim ex ijs quæ supra attulimus scripturis, similibusq; alijs, omnino concludi posse, ex ipso infallibili decreto Dei Christum multis positum esse in ruinam. Primò enim* Ecce hîc *inquit*, Simeon positus est in ruinam multis. *Sine dubio ergo ab aliquo ad id positus est, à quo verò illud nisi à Deo? Deus ergo est qui posuit Christum offendiculo multis, vtq; ipsis tali ruinæ esset: at nihil nisi ex arcano consilio suo agit Deus.* Omnia *inquit* Paulus operatur cõsilio voluntatis suę. *Itaq; videtur id demũ confirmare etiam apertè Paulus idem, vt supra vidimus, dum in persona Dei loquens*; Ecce *inquit* ego pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. 10. 1. Ephes. 1. 11. Rom. 9. 33.

Deinde, eodem hic modo loquitur Simeon dum alijs positum Christum in ruinam dicit, alijs in resurrectionem, At certum est destinato Dei consilio in resurrectionem positum omnibus Christum, quicunque per eum resurgant: Ergo eodem modo, etiam in ruinam positus est omnibus quicunque per ipsum ruunt. 2.

Adde quòd vt ante vidimus (n. 4.) alibi se lapidi comparat, qui sit ruinæ non solum ijs qui ipsi super eum corruant, sed & quibusdam in quos ipse ruens, penitùs ipsos comminuat, confringatué. Iis verò non potest non ex diuino certoq; consilio suo ruinam illam ipse inferre. 3.

Deniq; videtur Christus id alibi expresse assere- 4.

re eo se fine venisse in mundum, vt nonnulli peri-
Ioan.9.39 *rent.* In iudicium, *inquit* ego in hunc mundũ veni, vt qui non vident videant (*id quod idem videtur esse cum eo, multis positũ venisse in resurrectionem*) et qui vident cæci fiant, *quod idem, quòd positum esse in ruinam.*

11. A quo Christus positus in ruinam.

11. *Respondeo ad primum, quod nos legimus in Latino Ecce hic positus est, Græcis esse* ἰδοὺ οὗτος κεῖται. *Quod si ad verbum velis reddere, idem est ac si dicamus;* Ecce hic iacet in ruinam, multis. *Nihil igitur aliud hinc concludi potest, quam si quid simile dictum foret, de quouis lapide vel terminali in via, vel angulari in domo, in quos multi offendunt ita vt verissimum sit, in ruinam multis iacere. Verè quis diceret de lapide tali, positum eum esse in ruinã, non quod quisquam eorum, qui posuere tale quid intendissent, sed quia cum alio fine bono esset positus, sic tamen simul iaceret ruinæ multis, ac si in id positus fuisset. Quo quidem in sensu, etiam de Deo, Paulus verè dicit posuisse lapidem offensionis ac petram scandali: nec tamen propterea dicit à Deo positum in offensionem & scandalum. Nempè longè est aliud lapidem offensionis ponere, aliud ponere ad offendendum, siue in offensionem. Nam & de Architecto quouis, bene diceretur in angulari lapide, qualem diximus, posuisse transeuntibus lapidem offensionis. Nec tamen consequeretur eum illum habuisse sibi finem propositum, vt eum poneret in offensionem.*

Deniq; non arcanum Dei consilium fuisse, lapsum

ipsum talem, voluit significare Paulus, sed euentum talem in plerisq;, certum tamen, atq; ita frequentẽ; ac si ex industria fuisset ita à Deo factum: cum tamen præter omne consilium Dei, ad solam ipsius permißionem, humana sibi nequitia, omnem illam ruinam fuisset paritura. Id quod ex Isaia ipso, vnde petitus, est locus ille, clarißimum est, vti vidimus (n. 4.) Nam ibidem se Dominus dicit fore in sanctificationem ijs qui ipsum timore iusto sanctificarent; cæteris tantum qui id renuerent in lapidem offensionis. Id quod Paulus illis verbis reddidit: Ecce ego pono lapidem offensionis.

Non consilium Dei, sed rerum euentus ita significatur.

Ad secundum dico, longè aliud esse Christum non nisi ex certo Dei consilio, pijs resurrectioni esse, aliud in his Simeonis verbis id significari. Primum illud certum est, verum aliunde id certum, & non ex hoc loco. Aliunde inquam, quia id partim omnia illa loca significant, quæ superius attulimus, vt Christum omnibus missum in salutem ostenderemus: partim Simeon ipse, paulò ante disertè explicarat, salutare Dei Christum nuncupans, quod pararit Deus ante faciem omnium populorum: partim ipsa ratio Christiana dictat. Certum enim est, eum qui in Dei offensam peccato prolapsus sit, per se ipsum resurgere, nullo modo posse, Christi igitur peculiari opus habere ad id auxilio, ac cooperatione, atq; ita consequenter peculiari consilio Dei, quia quæcunq; operatur Deus, non nisi consilio voluntatis suæ certo operatur. At ruinæ spiritualis, longè alia ratio est. Sufficit enim ad eam quocunq; tempore faci-

An eodem consilio in ruinam, quo in resurrectionem positus Christus.

re faciendam, sola sibi humana vel nequitia, vel imbecillitas, nec opus est hic vlla Dei arcaniore vel cooperatione vel decreto.

Deniq; verbis ijs, de quibus nos agimus, Simeon non iam Dei consilium de filio in mundum misso voluit explicare, quia id paulò ante iam prædixerat fuisse hominibus in salutem; sed rei ipsius euentum ac propterea non iam Deum eum parasse ruinæ multis dicit, sed ita iacere, æquè ac alijs in resurrectionem. Vtrumq; enim æquè euenturum erat, vt multis quidem sibi obtemperantibus fieret in resurrectionis causam Christus, multis vero etiam incredulis ac malitiosis in ruinam.

Quomodo Christus lapis conterẽs

Ad illud quod se lapidi comparat Christus, qui obruens quosdam conterat penitus: Dico nil aliud significare voluisse Dominum, quam vbi ad extremum etiam ipse in incredulos sibi, atq; immorigeros, vires suas exerere voluerit, (id quod in vltimo mũdi iudicio futurum erat) confractioni extremæ ac condemnationi eos esse addicturum; vnde iam nulla amplius spes illis, in omnem æternitatem, redintegrationis sit affulsura.

Quomodo Christus venit vt qui vident cæci fiant.

Ad vltimum illud, apud Ioannem, Christi dico itidem illud (vt) quod ibi habetur in illis (vt qui vident cæci fiant, qui non vident videãt*) non causam significare, sed euentum & eum quidem ita certum, ac si ex proposito eum in finem venisset Christus, simplicem tamen euentum duntaxat.* Neque *nouum id in scripturis, nec rarum est, eam particulam, vt, ita accipi. Ita enim Paulus.* Lex autem

tem *inquit* subintrauit, vt abundaret delictũ *Hoc est cum habuit exitum (cum longè alio fine data fuisset, nempe potiùs vt pedagogus esset coërcens à peccatis, quam ita multiplicans) vt magis inde peccata augerentur, quam imminuêrentur, hominibus nimirum magis magisq́; in vetita nitentibus. Ita idem Paulus* Peccatum per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. *Ita in Psalmis,* Tibi soli peccaui & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. *Non eo fine peccarat Dauid, sed ex peccato illius illud consecutum est, vt Deus magis magisq́; iustificaretur in verbis suis &c.* Rom. 5. 20. Gal. 4. Rom. 7. 13. Psal. 50. 6.

Nihil igitur omnium eorum quæ contra ea quæ diximus, allata sunt hactenus, quicquam euincit contrarium, concludimusq́; meritò iam tandem, quæ supra proposuimus, primum quidem verißimè hic Simeonem ex Spiritu S. illud significare velle, fore vt multi occasione Christi ruerent in perditionẽ æquè certo ac multi resurgerẽt, deinde vero id ipsum etiam perpetua omnium temporum experientia comprobatum esse: neq; tamen tertio, ruinæ talis vllam causam in arcana Dei consilia esse referendam, sed ex mera eam contingere ac contigisse hominum, vel ignauia vel iniquitate.

Angelici nuncij de gaudio nati Saluatoris omni populo, & ruinæ plurimorum Simeonis, summa conuenientia.

12. 12. VNde quidem iam & illud facilè est colligere, quomodo infœlix ista ruina ac damnatio plurimorũ in Israël, cum lætissimo illo angeli nuncio omni populo gaudium ac salutem in Christo promittente sit conferenda componendaq́; Nempè de euentu hic loquitur Simeon, quem hominum nequitia, vti vidimus causatura multis erat, at de ipsa salutis materia in sese, per Christi natiuitatem omnibus proposita, angelus agebat, quæ quidem reuera tanta erat, vt & salutem & gaudium omni mundo ferre posset maximum, sed si legitimè ipso vteretur mundus, si crederet inquam, si reciperet Saluatorem, si ipsius monitis post modum obtemperaret. Quam conditionem, totidem quidem verbis, non exprimebat angelus: satis tamen eo ipso insinuabat, quo eum omnibus natum Christum Dominum dicebat. Nam si Dominus ipse, omni populo natus, certe omnis populus ei seruus essè debebat, prout apud prophetam alicubi ipse argumentatur Deus: Si Dominus inquiens ego, vbi timor meus? facileq́; iam ipsa ratio inde concludebat, quicũq; eum Dominum non esset agniturus, eum ne Christum quidem ipsum, aut Saluatorem habiturum: atq; ita ne gaudium quidem illud magnum, quod omni alioqui populo eius morigero præparatum erat.

Malac. 1. B. 6.

Deniq; quod obscurius ea in conditione exprimenda dixerat angelus vnus: id tota multitudo militiæ cœlestis clarius suppleuit, pacem in terris congratulans per Christi natiuitatem allatam hominibus, at

bus, at non nisi bonæ voluntatis. Sed hæc hactenus de propria loci huius Euangelij, de quo agimus vel explicatione, vel cum angeli verbis comparatione. Sequitur vt impiam iam Bezæ ac comministrorum eius sententiam examinemus.

Docet Beza cum suis, destinatam fuisse multis in Christo ruinam ab ipso Deo, idque ex simplici placito Dei, æquè ac damnationem omnem reprobis omnibus

13. L*Ongè alia de his impij Bezæ ac Symmistarũ eius est sententia. Nempè docet is ex mero Dei placito arcanoq; decreto Christum positum esse eum in finem, vt plurimi per ipsum laberentur in perditionem. Id inquam intentum habuisse Deum id ab æterno voluisse, id ipsum destinasse, atq; ita voluisse gloriæ suæ consulere. Itaq; in hunc Lucæ locum scribens.* Positus est, *inquit,* id est pro scopo est constitutus, & destinatus á Deo, cui sic placet, gloriæ suæ consulere. *Ita ille, destinatus inquit est à Deo, scilicet vt esset in ruinam multis in Israël idq; ex mero placito ipsius. Vnde idem in illa Pauli ad Romanos:* Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali. Iusta *inquit* Dei prouidentia hoc decernit, & exequitur, etiamsi homines propria malitia impingant. *Ita ille. Ecce & decernit inquit Dei prouidentia, vt sit multis in offensionem lapis iste: & (quod horrendum est) etiam exequitur lapsum istum in ho-*

13. *Beza in 2. Luc.* Beza ad Rom. 9.

minibus, operando, tum quoq; cum propria illi malitia impingunt:

Fundatur porrò hæc impietas, in destinata illa prædestinatione Caluinistica, qua paßim docent isti, à suo ita Caluino instructi, omnes quotquot damnantur homines, non solum ab æterno ad id præuisos à Deo, (quod Catholica etiam confitetur veritas,) sed & ante omnem præuisionem peccatorum ipsorum, ex mero Dei placito esse destinatos: ita vt non poßint post modum non peccare, quicunq; peccant, nec vllo modo vlla habere salutis præsidia, ne per Christum quidem, quia ea omnia penitus ipsis à Deo ipso sint præcisa. Ita Caluinus expresse vbi de prædestinatione disputat. Dicimus *inquit*, æterno & immutabili consilio, Deum semel cõstituisse, quos olim assummere vellet in salutem, quos rursum exitio deuouere. Hoc consilium quo ad electos, in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanę dignitatis respectu: quos vero damnationi addicit, his iusto quidem & irreprehensibili. sed incomprehensibili ipsius iudicio vitę aditum præcludi. *Ita iste etiam præclusum, ab ipso Deo aditum salutis istis, expresse affirmans & cap. sequenti* Vbicunque hoc regnat Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem. *Et iterum capite sequenti.* Minimè consentaneum est, præparationem ad interi-

Caluiniana prædestinatio desperata

Cal. 3. inst. c. 21. §. 7.

Calu. 3. inst. c. 22. § 3. & §. 11.

tum alio transferre, quam ad arcanum consilium Dei. *Ita iste de doctrina prædestinationis loquens, & hac nimirum illa hydra est, vnde infiniti illi, ac maximè blasphemi istorum profluxêre errores; Hinc enim, vt vltimis istis verbis insinuat impius iste, non solum destinauit Deus reprobos ab initio ante vllam habitam peccatorum eorum rationem, ad damnationem: sed & postmodum eos ad interitum præparat, nempè operando in illis & per illos omnia ea peccata, propter quæ tandem iure illos damnare videri velit; omnem item aditum salutis, illis penitus præscindendo, hacq; omnia ita efficaciter, vt omninò aliter miseri isti, nequeant, quàm perire eo gradu damnationis singuli, quo pereunt. Itaq; talibus etiam ne natum quidem Christum, aut in Saluatorem propositum asserunt, sed solis electis. Ita idem Caluinus loc: citat:* Si omnes vellet saluos *inquit*, custodem illis præficeret filium, & omnes in eius corpus sacro fidei vinculo insereret. Nunc constat singulare esse paterni amoris pignus filijs, quos adoptauit recognitum. *Ita ille: Ex eo quod re ipsa participes non fiant omnis gratiæ Christi concludens, ne custodem quidem salutis ipsis venisse Christum, sed singulare id esse solis electis ac reconditum priuilegium. Vnde quidem etiam tanta illa exorta est disputatio toti mundo nota inter Lutheranos Ministros ac Caluinianos; sit ne Christus omnibus natus Saluator, an solis electis Dei.*

Caluin. 3. inst. cap. 22. §. 10.

14. *Sed vt hæc, quam distinctissimè intelligamus,* 14.

Triplex quæstio ad præsens spectãs. *mus, illud obseruandum est, varias hic occurrere quæstiones eodem spectantes atque ex eodem fonte profluentes, ad quas omnes differentissimè respondet impietas isthac Caluiniana, à Catholica pietate.*

1. An ex se decreuerit ruinam Israeli Deus. *Et prima quidem huic ipsi loco propriissima, illa est, sit ne ab ipso Deo ex simplici eius voluntate, iam inde ab æterno id ita decretum, vt Christus ruinam adferret multis, multis resurrectionem in Israel, an secus? Et respondet impia Hæresis, id ita destinatum fuisse ex mero placito Dei, qui ita voluerit gloriæ suæ consulere, vti ex Beza vidimus. Contra vero respondet Catholica doctrina longè abesse à benignissima prouidentia Dei, decretum tale, solisq; propterea destinatam in Christo ruinam iis, qui sponte in eum offensuri erant.*

2. An ex simplici placito destinet homines damnationi Deus. *Secunda inde quæstio generalis est, totam reprobationis originem primam concernens, atq; ita etiam proximè dictam suo ambitu complectens, imo ex qua prior illa tota promanauit vtrum ex mero simili beneplacito suo, omni etiam operum malorum seclusa consideratione, destinauerit reprobos quosuis damnationi Deus, an secus? Et respondet impia perfidia quod sic, vti antea vidimus. Negat vero Catholica pietas, quæ neminem admittit vlli à Deo, in arcano illo consilio eius, addictum supplicio, nisi praua prius flagitiorum eius futurorum consideratione, iuxta quæ tandem ipsi sit decreta iusta condemnatio ac certa.*

3. An solis electis miserit Christum Deus. *Atque hinc iam tertia quæstio, ex vtraq; ista priore promanans. Sit ne ex Dei decreto omnibus in sa-*

in salutem Christus missus propositusué, à Deo, atque Israelitis præsertim, de quibus hic particulariter nos, etiam illis, quibus tandem ruina eum esse contigit? an vero electis solis? Et respondet impia hæresis, minimè omnibus: sed ijs solum, qui partem reuera in ea salute tandem habituri erant, hoc est electis, idq; ita definito consilio statuisse Deum, cæteris destinato exclusis. Sequiturq; id ex primo illo capite necessariò. Nam si reprobis decretus erat Christi aduentus, etiam in damnationem; certè longissimè absunt ab eo miserrimi vt in salutem ijs missus dici possit. Contra vero respondet cum Simeone Catholica veritas, vt paulo ante vidimus, ante faciem omnium populorum in salutem paratum Christum, hoc est, in id diuino decreto, in mundo missum vt salutis occasionem præberet omnibus; tantum vt homines oblatam sibi salutem acceptarent.

15. *Hæc hic Ministrorum impietas, hæc contra Catholica in his habet veritas, ex quibus simul, quanta vel absurditas consequitur ex parte Ministrorum, vel æquitas ex parte Catholicæ professionis? singula contemplemur. Ex primo quidem illo, illud secundum Ministros necessario primum concluditur: siquidem Deus ipse, omnem illam, de qua tam multa nos, ruinam in Christo definito suo consilio, & ex mero beneplacito tam multis destinauit, & ipsum ergo etiam in executionem talis sui decreti debuisse intendere Deum, vt ne qua in parte suo ipse fine frustraretur, in defini-* 15.

Quæ fieri destinat Deus, etiam efficiat necesse est.

tis consilijs suis. Quia nec poßibile erat, nec decens, vt omnipotens ille rerum omnium administrator, aberraret à scopo, quem certo sibi præfiniÿsset. Non poßibile inquam; quia imbecillitatis in Deo id fu-

Rom. 9. 19. *isset indicium. At* voluntati eius quis resistet, *inquit Paulus? non decens: quia insipientiæ id etiam argumentum. Talia scilicet sibi certo fine proposuisse, quæ tamen tandem reipsa & in exitu fefellissent. At infinita ipsa sapientia est. Igitur cuicunq; talem ipse lapsum decreuit Deus, eum omnipotenti manu sua, ita & deducere etiam in eundem lapsum, inq; offensionem in Christum ipse debuit, vt ineuitabilem ei neceßitatem imponeret labendi, nec vlla arte, vllis viribus, vllo studio cuiuscunq; bonæ voluntatis euadendi haberet potestatem, quo minus verè impingeret in Christum tandem, corrueretq;, idq; vel leuius vel grauius, prout ei vel leuior lapsus, vel grauior ante definitus fuisset.*

Deus ipse Israeli ruinã operatus est per Christũ secundum Ministros.

Totum inquam hoc ex prima illa istorum assertione, de Christo certis in ruinam à Deo destinato, consequitur: neque id Ministri abnuunt. Hoc enim est, quod paucis quidem, diserte tamen Beza affirmat, illis ad Rom. 9. quæ citauimus, tales in Christum offensiones, iustam Dei prouidentiam & decernere, & exequi.

Quod si ita est, debuêre igitur ita, vt ad particularia descendamus, & Principes olim Sacerdotum, & seniores populi, & Pharisæi, & scribæ, & omnes illi alÿ tam multiplices Domini persecutores, &

es, & Rex etiam Herodes inquam, cum omni illo impio atq; infanticida suo exercitu, & alter postmodum Herodes tetrarcha, & Pilatus, & Iudas proditor, & quicunq; similes, vel Christi ipsius, vel discipulorum eius persecutores; extrema quadam & ineuitabili necessitate, omnem illam quam exercuêre in Dominum, exercere vel vim vel nequitiam; nec potuêre vllo modo declinare impios huiuscemodi conatus suos, incumbente illis perpetuo omnipotenti Dei manu, ac per illos destinata ista sua consilia exequente, vt grauius ruerent ipsi. Ac licet libenter illi fecerint quæcunq; fecerint, vnde meritò forte dicantur contra ius fasque ea in re fecisse: tamen ipsa illa collubescentia omnis, in ea impietate; ab ipso Deo ductore, ac consiliorum suorum ita executore in ipsis, & inchoata necessario, & perfecta fuit. Neq; vllæ fuêre aliæ partes istorum, in omni illa sua in Christum offensione, quam quæ in rebus humanis cuiusuis hominis forent, vel Phrenesi, vel amentia, vel ebrietate, vel cuiuscunq; alterius generis furore capti, atq; inde varijs modis ineuitabiliter in collubescentiam illecti rerum illicitarum, qui inde ex vno errore fuisset collapsus in alium. Deus vero ipse consiliorum suorum omnium infallibilis executor, ille fuit, qui omnia ista in illis efficaci, atq; omnipotenti manu sua insensibiliter æquè, atque ineuitabiliter fuit operatus.

Hæc inquã secundũ impios istos Ministros ruina ista multorũ in Israel, de qua hic Simeon, eademq; ratio est secundum istos, etiam aliorum omnium lapsuum

psuum humanorum, quandoquidem vt in secunda quæstione vidimus, eadem est sententia eorum generalis, de omni etiam alia condemnatione reproborum, nempè à Deo eam singulis definitam, ex mero placito voluntatis suæ, ante omnem operum cuiusuis considerationem. Aequè enim & inde consequitur. generatim omnium reproborum nequitiam, plenissima per Deum manu in executionem venire, quo ita tandem eum damnationis gradum cuique iure videatur adiudicare Deus, quem ei iam inde ab æterno inflexibili iudicio suo destinarit, Itaque nihil verentur isti, omnem omnium etiam malorum, quæ fiunt vspiam ab hominibus, operum, primam tandem originem atque efficientiã supremam, in Deum referre: prout alias nos iam ea de re nonnulla disputauimus, tantum quod negent propterea Deo vllam culpæ partem adscribendam esse, eo quòd supra omnem ipse legem sit positus, omniaq; quæ faciat, bono aliquo fine sibi cognito, nobis licet ignoto faciat: cum interim homines impij, licet ineuitabiliter, libenter tamen ac volenter omnia ea faciunt, quæ iniqua & contra leges Dei designant.

Deus ipse in reprobis damnabilia operatur secũdum Ministros.

Dom: 1. Aduen. n. 19.

At vero in omnibus hisce quanta impietas in Deũ? quanta absurditas in omnem rationẽ Christianã? sed in illis præsertim tantis Israëlitarũ à Christo ruinis. Omnia ne ergo talia Deum & simplici suo beneplacito definiuisse, & ineuitabiliter atq; omnipotenti sua manu in ipsis operatum fuisse? Et deniq; postquã in tantum præcipitiũ tot ruinarum, ita efficaciter eos coniecisset, omnem penitus aditum salutis

lutis ijs ipsum præclusisse, ne filium quidem omnium alioqui Saluatorem, illis permittens vllum salutis introitum aperire? Nam & istud quidem iam etiam tertium, ex tertia illa quæstione necessario consequitur, si Christus talibus missus non venit in salutem, quin æterno illo patris decreto abstentus, atque in contrarium deflexus censeatur, vt ne vllam eis partem salutis suæ vel conferret, vel etiam offerret. Neque enim aliud vspiam datum est nomen hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. *Vnde cui ipsum quoque Dei decreto ablatum est, ei denique omnis salutis aditus, ab ipso Deo penitus est præclusus.*

Deus ipse salutis aditum præcludit reprobis secundum Ministros.

Act. 4. 12.

Summa impietas destinationis Bezanæ quo à Deo ipso destinatum Christum Israeli in ruinam asserit.

16. AT *vero quid magis benignissimæ Dei in creaturas suas omnes, atque homines inprimis Charitati repugnat? quid omni rationi Christianæ magis obsistit? quid ipsi rerum experientiæ, omnibus inquam ijs, quæ vel fecit, vel dixit in salutem Israelis totius, vel Deus ipse optimus maximus, vel Christus Saluator iam factus homo, infensius aduersatur? Pressius ista consideremus.* 16.

Repugnat promissis Dei omnis talis destinatio.

Cæpit clementissimus Deus, iam inde ab Abrahamo promittere Saluatorem Israeli, in quo non ipse tantum Israel, sed & omnes simul terræ nationes essent saluandæ benedicendæque. Hanc Abrahæ pri-

Repugnat promissis Dei omnibus, talis destinatio.

Gen. 12. 3.

Gen.21.12. *hæ primum promißionem fecit Deus, hanc Iſaaco*
Gen.22.18. *poſtmodum iterauit, hanc repetiuit Iacobo, hanc per*
Gen.26.4. *Moyſen redintegrauit populo vniuerſo, hanc per o-*
Gen.28.14. *Moyſen redintegrauit populo vniuerſo, hanc per o-*
Deut.18.15 *mnes inde Prophetas ingeminauit, conduplicauit, confirmauit, vt ita dicamus millies, & quidem Iſraeli omni maximè. Hoc enim eſt, quod ijs nominatim confirmat alicubi Petrus, de Chriſti aduentu omnibus promiſcue loquens:* Omnes, *inquit,* Prophetæ à Samuel & deinceps qui locuti ſunt annunciarunt dies iſtos. *Et mox:* Vos eſtis filij Prophetarum & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad Patres veſtros dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum ſuſcitans Deus filium ſuum. miſit eum benedicentem vobis vt conuertat ſe vnuſquiſq; à nequitia ſua. *Ita Petrus, omnia promiſſa de Chriſto primum omnium Iſraeli oblata ac deſtinata à Deo fuiſſe, ſi reſipiſcant, aſſerens. Neq; vero ſolum tanta olim promiſit eis Deus, ſed & tempus prope ipſum prænunciauit, quo id futurum eſſet, nempè poſt ablatum ſceptrum à Iuda, expletaſq; ſeptuaginta hebdomadas Danielis, quo quidem iam elapſo, expectationem ſimul concitauit omnibus maximam tantæ promiſſæ ſalutis. Deniq; ipſo iam Saluatore nato,* etiam Angelum de cœlo miſit, *qui* gaudium annunciaret magnum futurum omni populo, eo quòd natus *ipſis* eſſet *iam tandem* Saluator Chriſtus Dominus. *Iam iſthæc omnia quid aliud notant, quam vnum illud habuiſſe decretum*

Act.3.D. · Gen.49.10 · Dan.9.G. · Repugnat Angeli nuncio. · Lu.2.B.10

Deum,

Deum, vt quantum quidem in se esset, nemo, populi præsertim illius, periret: sed ad agnitionem veritatis, atq; ad salutem consequenter per Christum oblatam, omnes perueuirent, vt Paulus disertè monet; siue vt Petrus, nolle aliquos perire Deum, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3. 9.

Repugnat continuis Christi laboribus.

Per magna sanè diuinæ propensionis erga salutem Israëlis totius indicia. Sed quanto maiora illa quæ re ipsa post modum præstitit in carne iam manifestatus Christus? quid enim vltra debuit facere ad procurandam salutem populi illius totius, quam fecit? Omnibus annunciauit, vt pœnitentiam agerent, appropinquasse enim regnum cælorum, omnes ad se inuitauit, *quotquot pondere peccatorum suorum onerati laborarent, se* requiem illis præstiturum *pollicens, omnibus expositam omnipotentem suam liberalitatem perpetuò voluit. Pertransiit enim benefaciendo & sanando omnes oppreßos à diabolo. Atque vt nequis vel extremus Israëlis angulus, tantæ expers maneret ipsius benignitatis, partim ipsemet obiyt regionem omnem, imo & ciuitates, & castella, & vicos, & deserta quæque, ac maria omnia regionis, vbique omnibus eandem circumferens atque obtrudens salutis suæ oblationem: partim duodecim misit Apostolos, qui supplerent, si quid fortè minus, tam breui tempore, ab ipsomet in persona præstari potuißet: quibus demum etiam alios 70. in supplementum discipulos submisit.* Matt. 4. 17. Matth. 11. D. 28. Act. 10. 18. Matth. 10. A. B. Luc. 10. A. B.

Denique nihil ex parte sua reliquit intentatum,

tum, quo animum suum salutis eorum cupidissimum demonstrare potuisset. Itaque publicè tandem in templo, præsentibus populi primoribus præcipuis protestatur, nihil omninò eo in genere à se omissum fuisse, sed in ipsis stetisse quo minus saluati ab ipso
Matth. 23. *fuerint, & in nullo alio:* Hierusalem Hierusalem *inquit*, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. *Hæc inquam tot actalia beneuolæ suæ erga populum illum totum, voluntatis perducendi ipsos ad salutem, argumenta, re ipsa præstitit Christus, adeo quidem vt tandem etiam in crucem iam ab ipsis suffixus, & in extremis ipse constitutus doloribus, tamen tum quoq; veniam ipsis tanti flagitij à Patre cœlesti fuerit deprecatus:* Pa-
Lu. 23. 34. ter, *inquiens*, dimitte illis nesciunt enim quid faciunt.

Aliud habuit Deus in corde aliud in pmisśis, secundum Ministros.

Et ecce prodire tamen audet contra hæc omnia, impius quispiam Minister Bezanus, vniuersa hæc re ipsa euertens, quantum in se est, quæ diximus, hoc est nihil quidem verbis negans eorum omnium, quæ de tot promissis olim Dei Israëli toti factis diximus; nihil quæ de tam singulari studio Christi in eodem conuertendo insumpto attulimus: attamen illud summa cum impietate asseuerans, nihil minus Deum etiam in omnibus illis promissis suis propositum habuisse, quam quod oblatam toti populo salutem voluerit; ita nihil minus voluisse Christum ipsum omni studio illo, quam saluari Israëlem vniuersum, quin iam inde ab æterno & Deum Patrem, & Deum

& Deum Filium, illud definitum habuisse, extremã Israëli ruinam (de toto loquendo populo illo vniuersim) & temporariam illam, & sempiternam machinari, per ipsum illum Christi aduentum, & toties ante promissum, & tam latè populo omni denunciatum, itidemq; etiam Christum ipsum omnibus illis laboribus suis molitum fuisse. Ita enim demum verum factum, quod in hoc Euangelio Simeon, multis in ruinam positum in Isráël *fuisse Christum futurum prædixit.*

Etenim paucissimos ex Israële in Christum credidisse qui salui fierent, adeoq; vix centesimum quemque, & pridem propheta prædixerat, & experientia ipsa testatur. Propheta quidem Isaias, vt D. Paulus interpretatur, ad Rom: scribens: Isaias, *inquit,* clamat pro Isráël; si fuerit numerus filiorum Isráël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. *Experientia vero quia hodieq; videmus, toti mundo superesse perfidam gentem illam, nec minus nunc, quam in ipsa olim passione Domini nostri Saluatoris huius oppugnare salutem. Maxima vero etiam pridem Israëlis pars, vna cum principibus ac senioribus suis, cum Sacerdotibus ac Leuitis suis cum doctoribus & Scribis suis, extremè & ipsa oppugnauit Christum Saluatorem suum; vnde & re ipsa concidit penitùs, & à temporario illo quod possidebat regno suo, & æterno; propter hanc ipsam causam repudiata salutis, sibi per Christum oblatæ, prout ipse id eis Dominus flens prædixit:* Non relinquent *inquit* lapidem supra lapidem, eo quòd non

Isai.10.22.
Rom.9.27.
Lu.19.44.

non agnoueris tempus visitationis tuæ. *Hic inquam exitus Israëlis occasione Christi, hæc ruina, eaq; tota secundum istos, & ab æterno talis ijs destinata à Deo, & tunc quoq; post modum, cum maximè et salutem ipse promitteret per Messiam futurū Dominus, maximè animo agitata; & ad extremum tum quoq; cum iam Saluator ipse præsens, vel maximè ea quæ ad pacem spectarent eis ipse se offerre diceret, eo ipso vel maximè machinata procurataq;.*

Catholica de ruina reproborum assertio & simplicissima & pietatis plena.

17. 17. Q*Vantò verò in his omnibus pietas Christiana atq; Catholica rationabilior? quantò & summæ Dei benignitati, ac paternæ eius prouidentiæ, erga omnes conueniens magis? quantò omnibus scripturis sacris, ac tot promissis diuinis magis consentanea? Nulla ea similes ambages, nullos tales contradictionum anfractus admittit. Nulli hominum ea agnoscit ex simplici Dei placito decretam damnationem vllam, sed ex præuisis cuiusq; operibus singulis suam. Neq; ergo Deum esse, qui vt exequatur simplex decretum damnationis suum, ipsa etiam mala in quoquam efficaciter operetur, sed solam propriam vel nequitiam, vel ignauiam cuiusuis. Quin eum*
1.Tim.2.4. *esse Deum nostrum,* qui omnes velit homines saluos fieri, *vt Paulus perspicuè testatur, quiq; ideò etiam talem mediatorem miserit hominibus Christum,* qui dedit semetipsum redemptionē, *non pro*

non pro aliquibus tantum hominibus, sed pro omnibus *vt idem affirmat Paulus, vnde quidem & Christus ipse omnes in vniuersum ad se aduocet nemine repudiato: Solum illud requisiuisse vt iugum ipsius, fidei scilicet atq; obedientiæ sustolleret quicunq; requiem per ipsum inuenire vellet, vt eodem in loco asserit Christus.* Math. 11. D. 28.

Cumq; hæc de omni hominum genere credat fides Christiana; tum maximè de ipso illo naturali Israële (de quo potißimum in hoc Euangelio Simeon) Ei enim maximè, vti promissus pridem fuerat, ita primum venisse in salutem Christum, eiq; etiam eam obtulisse, & fidelißimè, & syncerißimè omnibus, neq; cuiquam eorum ex simplici placito Dei destinatam fuisse ruinam in Christo, sed præuisa primũ summa ipsorum plerorumq; nequitia, ita demum etiam à Deo definitum ipsis exitium fuisse. Vide quæ de his copiosius disputauimus Dom: 1. Aduen. n. 55. & sequentibus.

Quin ita demum alterum quoq; illud in diuino illo, atq; æterno destinatum consilio, vt ipsa istorum ruina mundo toti salutis causa foret. Placuit enim Deo, vti malitia ipsorum in bonum, ac tradere potestati ipsorum filium Saluatorem, quem etiam extremo afficerent supplicio, vt ita & mundus morte Christi redimeretur, & rationabilis pararetur Christo transitus, relicto Israële ad gentes. Atq; hoc esse quod illa scripturarum volunt testimonia quæ partim de Christi morte loquentes: Hunc *inquiunt* definito consilio & præscientia traditum, per Act. 2. 23.

Quomodo decreuisse Deus dicatur Christi mortem per Iudæos.

manus iniquorum affigentes interemistis.
Act. 4. 27. *Et iterum.* Conuenerunt enim verè aduersus Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti: Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Isráël, facere quæ manus tua
Rom. 11. B. 11. & consilium tuum decreuerunt fieri. *Partim de vocatione gentium,* Dico ergo nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit, sed illorum delicto salus est gentibus &c.

Nihil enim aliud hisce locis insinuant scriptura, quam quoniam tam malitiosi futuri erant isti, vt ipsi etiam Christo violentas manus intentarent; ideo definiuisse Deum, vt traderetur ijs Christus in manus, qui ita morte sua mundum redimeret, (Vide quæ de his infra plenius n. 29.) ipsi vero merito inde desererentur. Id quod alijs verbis Christus
Luc. 22. F. 53. *ipse partim Iudæis loquens.* Hæc, *inquit*, est hora vestra & potestas tenebrarum: *partim Pi-*
Ioan. 19. 11. *lato:* Non haberes in me potestatem vllam, nisi datum tibi esset desuper, *partim ipse ite-*
Matth. 21. D. 43. *rum Iudæis:* Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. *Deniq; omni ita ex parte verissimum factum illud, quod & ante iam addu-*
Osæ. 13. 9. *ximus, ex Propheta Dei:* Perditio tua Isráël, ex me tantum modo auxilium tuum. *Et hæc quidem hactenus de his, nunc, vt omnia ista etiam clarius pateant tecum paulò familiarius lector candide de his conferamus.*

PARÆ-

PARÆNESIS AD EVANGELIcum dictum lectorem.

Plenam esse impietatis Bezanam istam ruinam per Christum Isráëli allatam, meritoq; fugiendos tantæ blasphemiæ Magistros.

18. *HIc ergo ad te primum venio amice lector, qui Ministris te talibus hactenus, tuamq; salutem credidisti, tecum mihi hic iam sermocinatio est. Habes Bezanam Caluinianamué Israëlis, per Christum ruinam, habes Catholicam. Et illã quidem ex simplici placito Dei ante omnẽ æternitatem, non permissam solum sed & volitã & destinatã, & in omni illa postmodum Israëlitarũ contra Christum tam multiplici malitia; ab ipso Deo procuratam, atq; efficaciter operatam siue executioni mandatam; cui ita placuerit gloriæ suæ consulere, quique propterea ne voluerit quidem Christum suum ijs natum, sed simpliciter ac positiue (vt ita loquamur cum Philosophis) negatum, ac quasi interdicto vetitum, ne vllam illis salutis suæ communicaret partem: hanc vero contra talem, qualem paulò ante tam multis descripsimus; quæ scilicet tota non aliunde quam ex ipsomet Israële originem suam traxerit, præstitis illis abunde salutis auxilijs omnibus necessarijs per Christum Saluatorem. Habes vero hæc omnia tam certa, vt dubitare merito de ijs non possis, atque illa Caluiniana maximè, ita quidem, vt nisi Beza ipse* 18.

Indubitatã est Ministris ruinã à Deo destinatam Israeli in Christo.

 se Bezam

se Bezam esse negarit, Caluinus se esse Caluinum, aliter omnino sentire de ijs non poßis. Nam talis quidem ipsorum Dei prædestinatio, etiam quoad reproborum ruinam, toti mundo iam adeò manifesta est, vt qui eam vel nesciat, vel in dubium reuocet, eo ipso satis demonstret totum se peregrinum esse in Ministerio doctrinæ Caluinianæ.

Maxima impietas talis assertionis. *Iam te ergo obsecro, quisquis es Euangelice lector, cui vel mica vna supersit rectæ rationis; agnoscisné summam Ministrorum istorum impietatem? agnoscisné Ministros, prodromos proprios bestiæ illius, cui datum esse aliquando Ioannes vidit*

Apoc.13.B os loquens magna, & blasphemias? *Agnoscisné homines sub specie pietatis, non solum iam pietatis*

2. Tim. 3. A. 5. *virtutem omnẽ, sed & Deum ipsum abnegantes, & quantum quidem in se est, ex omni rerũ natura exterminantes? Si nec dum agnoscis, mecũ iam ista etiã paulò accuratius considera; & nisi fallor tantũ non manibus palpabis, nihil hic nimiũ nos istis imponere, quin omnem deficere facundiam ad dignè exaggerandam singularem hominum istorum, in genere*

Ioan.14.6. *isto impietatem. Age enim, tu ipse tecum expende quæ dico. Alius ne potest esse Deus, quam summè*

1.Ioan. 4. C. 16. Psal. 118. v. 144. *verax, summè benignus, summè æquus, summè deniq; (vt vno verbo dicamus omnia) bonus? Certè alius nullus: ipse enim veritas est, ipse charitas est, ipse cuius omnia iudicia æquitas, ipse deniq; optimus maximus, & vno verbo, ipse summum bonũ.*

Qui ergo ista negarit in Deo omnia; nonne Deum ipsum negarit, &, quantum in se est, sustulerit?

Non

Non minus certè, quam qui lumen ſoli eripuerit, ſolem ſimul ipſum abſtulerit mundo. Quid vero qui non ſolum iſta negarit in Deo omnia; ſed & contra plenum quid fallaciæ, plenum mendaciorum, plenū truculentiſſimæ cuiuſdam crudelitatis (horret animus eloqui) monſtrum ſibi confinxerit, ac numinis loco tibi propoſuerit adorandum, is nonne extremum quendam gradum conſcenderit impietatis? Atqui tales prorſus in iſta ſua prædeſtinata ruina Iſraëlis impij iſti; tale prorſus tibi numen ipſi prædicant. Ex ijs quidem quæ dicta ſunt à nobis ſuperius, omnino iſta iam conſequuntur; ſed vt plenius ea tu quoque comprehendas, ex facillima rerum humanarum ſimilitudine, quam tibi propono volo vt ea tibi tu teipſe etiam deducas.

19. *Pono igitur integram aliquam gentem, mille & amplius hominum, in miſeram abreptam ſeruitutem, & vel apud Turcas vel Tattaros miſerrimam vitam degere. Talis quidem omnis Iſraël, vt & reliqua Adæ progenies tota fuit, ſi animæ eorum ſtatum miſeriamq́; ſpectes, ante Chriſti aduentum. Pono vnicum eſſe aliquem vicinum principem qui ſuccurrere poſſit, atque in libertatem aſſerere miſeram captiuitatem illam. Talis certè ſolus erat Deus per Chriſtum ſuum.* 19.

Simile captiuorum.

Toti captiuitati promiſſa redēptio.

Pono eundem, vt oſtentet ſingularem benignitatem ſuam, proclamare redemptionem captiuis illis promiſcue omnibus, mittere propterea ſubinde nuncios ſuos, qui communiter omnes bono eſſe animo iubeant; cumque tam cito èxpedire ipſis nequeat redem-

at redemptorem suum, etiam moram ipsam æquanimiter ferre mandet, venturum enim tandem, qui venturus sit certissimo, & vincula ipsorum soluturum. Et talis quoque hactenus Deus omnibus seculis nouos Prophetas suos submittens Israëli, (vti supra vidimus n. 16.) qui eum confirmarent in spe venturi Saluatoris.

Et Infciata.

Pono tandem post longam moram, comparere tam diu expectatum redemptorem illum; sed & tum quoque adhuc peculiarem præcurrere tabellarium, qui à Principe missus, annunciet commune gaudium omnibus, adesse enim tandem, qui opem sit omnibus allaturus. Ipsum vero inde redemptorem illum serio iam etiam incipere perfungi munere suo, circumire nimirum ergastula omnia, pistrina omnia, officinas omnes ærumnarum, quibus inclusos audierit captiuos illos suos, miraq; benignitate inuitare omnes, vt acceptent liberationis suæ conditionem, sibi inquàm obsequantur, atque domo seruitutis exeant, in patriam reuertantur, se omnia ijs necessaria suppeditaturum. Et hæc quoque hactenus simillima in Dei atque Israëlis comparatione. Hoc enim ipsum est, quod Angelus de nato Christo omnibus annunciauit, promiscue paratum gaudiũ, omni inquam populo, quod natus eis esset Saluator. Hoc quod postmodum Christus tam serio, tamq; diligenter obijt Iudææ angulos omnes, suam salutem offerens atque annuncians omnibus, modo obsequi vellent, & vti oblata sibi salute. Et in his quidem omnibus hactenus agnoscis, puto lector amice, naturalem

Et oblata in præsentia.

talem veri Dei nostri imaginem, summam nimirum veritatem in omnibus verbis ac promissis suis, summam benignitatem ac misericordiam in omnem populum suum; summam æquitatem in omnibus iudicijs suis, summe denique bonum verum nostrum Deum.

Sed iam Bezanam Caluiniani Dei effigiem contemplari mecum perge. Pono enim principem illũ in omnibus illis tam grandibus promissis suis, nihil minùs cogitare quã generatim præstare omnia, quæ promiserit, imo contraria illis penitùs agitare consilia animo, quin penitus etiam contraria re ipsa facere. Primum enim ex millenario illo captiuorum numero, solos sibi decem elegisse aut vndecim, quos reuera cogitauerit liberare; nec pro alijs vllis quam pro solis denis illis precium præparasse redemptionis, exclusis destinata voluntate reliquis omnibus, ita vt clam ne permittat quidem misso illi Saluatori, in alios quicquam impendere. Deinde vero reliquos illos omnes mille, etiam per ipsum illum suum Saluatorem missum in longè grauiores imò grauissimas decreuisse ærumnas conijcere, adeoq; etiam supplicium ijs conciliare extremum; etiam nulla dum habita demeriti ipsorum ratione, sed ex mero beneplacito suo, & alios quidem gladio destinasse, alios flammis, alios cruci, alios crurifragio & alijs grauioribus etiam hisce pœnis quibusq;; nec desistere quidem antea, quam per eum ipsum suum saluatorem, miseros illos omnes, tum quoq; cum maximè ipsis prædicat, ac verbis offert salutem suam, clandestinis suis, efficacissimis

Clam interim decretũ exitium captiuis & machinatum.

ficacissimis tamen iis, machinationibus, in ea scelera, eamq; obstinationem inducat, vnde postmodum necessario destinatis illis sibi supplicijs summis, singuli & plectātur re ipsa & meritò plecti videantur.

Fallacia extrema.

Hæc inquam pono candide lector, & iam ex te ipso volo vt feras sententiam, quid de tali principe Saluatore in veritate foret sentiendum? Quid quamne sub sole posset excogitari in verbis suis mendacius? in promissis fallacius? in omni animi ferocitate crudelius? contra omnem & humanam iustitiam & diuinam iniquius? Certè enim vbi aliud dicitur ore, aliud corde cogitatur; mendacium est: vbi verbis promittitur alta pax ac mera salus, & expectatione summa salutis concitata, consilia interim de extremo excidio agitantur, fallacia est: Vbi dirissima supplicia, ex simplici beneplacito, absq; omni demerito præuiso decernuntur, crudelitas est: Vbi ad ipsum etiam supplicij demeritum, culpam inquam ac flagitia admittenda, impellitur homo, vt puniatur, iniquitas est. Et ecce hæc ipsa ruina est Bezana, quam in Euangelio hodierno à Simeone, ex Spiritu S. significatam volunt isti, dum Christum in multis in ruinam positum refert; hæc ipsa Caluiniana est prædestinatio damnationis omnium, hic talis Deus, tale numen Caluini ac Bezæ, & omnium eorundem comministrorum.

Qualis Caluini ac Bezæ Deus.

Nempè tum quoq; cùm maximè & promitteret Israëli Saluatorem, & natum denunciaret, nihil minùs quam de eo saluando cogitabat: tum quoq; cū omnibus & polliceretur salutem, & offerret; vix centesimum

centesimum saluare voluit: tam paucos inquam, vt de ijs per similitudinem propheta loquens. Quo modo *inquit* si paucæ oliuæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia &c, *cæteris omnibus penitus exclusis ab omni vel cogitatione salutis. Deniq; tum quoq;, cum per Christum maximè prædicaret redemptionem omnibus, ac regnum adesse cælorum, eo ipso ijs cōmuniter omnibus, maximè moliebatur infernū & longè grauissimam condemnationem. Et quidem in ijs multis etiam, qui vti supra docuimus, antea stabant, quiq; saluari potuissent, si Saluator iste ipsorum tempore non venisset; & iam talibus inquam multis, vti cæteris communiter omnibus, nil nisi præcipitem ruinam & cogitabat, & machinabatur, & occulta illa atq; omnipotenti manu sua in ijs efficiebat: ita illos variè implicans atq; innectens perfidiæ malitiaq; vinculis varijs, vt non possent non exitiosissimè per Christum in pernitiem præcipites ire.* Isa. 24. 13.

Quid ergo? Verus ne iste Deus ille Israëlis quē omnis nobis scriptura describit? verusne ille Deus, quem omnis nos ratio naturalis, omnis vera philosophia docet? quem tota hactenus antiquitas, omnis credidit Ecclesia Sanctorum! Imò vero talis Deus, vt si teterrimum Beelzebub, principem dæmoniorum depingere debuissent, tetrioribus eum coloribus deformare vix potuissent.

20. *Crescit vero mire etiam summa impietas istorum summaq; indignitas rei ipsius, si pleraq; iam,*

quæ vel dixit, vel fecit Christus ipse, ijs etiam, quibus in ruinam reuera tandem cessit, cum impia istæ Caluiniana ruina conferas, rectaq; cum ratione expendas. Inuitauit verissimè Christus omnes, quot quot laborarent atq; onerati essent; requiem ipsis in iugo suo promittens: interim vero efficacissimè illos altera ex parte, secundum istos, in contrarium traduxit. Quid vero est canem ludere, atq; vna quidē manu panem offerre, atq; ore allicere; altera vero grauissimè ferire atq; repellere, si hoc non est?

Verbis allicere & baculis absterrere.

Matth. 11. D. 28.

Postquam omnia fecit, quæ facere in salutem Israëlis poterat Christus, publicè ijs exprobrauit, non iā in se sed ex ipsis stare quod perirent. Quoties, *inquiens,* volui congregare filios tuos Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti. *Tu noluisti inquam, ego volui; tu tibi ipsi causa, quod salutis meæ sis expers, tua ipsius peruicacia non ego. Quis vero sarcasmus turpior isto? quæ irrisio fœdior! si tum quoque ipsemet illos Christus diuina atq; occulta virtute detinuit, repulit, auertit à se, prorsus illos nolens videre sub alis suis?*

Matth. 23. D. 37.

Quid? cum tandem extremum etiam temporarium ijs exitium, propter neglectum tempus visitationis suæ denunciaret, nonne appropinquans ciuitati fleuit super eam, amaras compassionis lachrymas fundens, sicq; syncerè exoptare se demonstrans, vt vel sero resipiscerent, ac tantam euaderent ruinam? Si tunc quoq;, non solum non optauit reuera, talem ijs resipiscentiam, sed omnibus etiam modis,

Luc. 19. 41.

ipse

ipse eos in contrarium egit. quæ Crocodili lachrymæ, fallaces magis? qui Syrenum cantus, magis fraudulenti? quæ perniciosior illusio ista? Heu horret animus talia proloqui, dum de Christo benignissimo veracißimoq; Saluatore nostro agimus, sed quid faciamus? eo nos traducit impiorum hominum istorum blasphemia, vt alia tibi ratione eos delineare satis non poßimus, nisi talibus tibi verbis ipsorum doctrinam describamus. Crocodili lachrymæ.

Sed age tandem obsecro, aperi oculos & agnosce pestilentißimos veritatis iactatores, agnosce inquam ac refuge pestiferam pestilentiæ cathedram istorum, tales blasphemias euomentem, nec in posterum amplius, quam magnificè vnos se prædicent diuinæ gloriæ ac veritatis vindices attende: sed quo rem ipsam deduxerint vide, quantam inquam errorum ac blasphemiarum colluuiem vna inuexerint aspice, atq; ita ex vnguibus leones, ex caudis dracones, ac scorpiones discernens, omni vipera peius detestare tantas impietates. Amplectere vero è contra sincerißimam Catholicæ veritatis simplicitatem. Exhorret ea vel ad mentionem omnium illarum blasphemiarum; prædicat vero & constantißimè, & simplicißimè, vnum summè bonum Deum, summè benignum, summè veracem, summè æquum etiam in hac ipsa causa ruinæ Israëlis, de qua agimus.

21. *Nempè qualis Deus iam inde ab æterno in consilijs hic suis, talis & in verbis perpetuo fuit, talis tandem & in opere. Constituit ab æterno dare Israëli, (vt & mundo toti) Saluatorem filium, modo* 21. Totus verax benignus, iustus etiam in ruina Israëlis Deus

modo ipse eum mundus reciperet, eiusq; monitis obsequeretur: Promisit idem in tempore iterauitque per prophetas suos vt ita dicamus centies, eadem liberalitate semper, eadem veritate, eadem conditione semper. Præstitit tandem re ipsa, quod promiserat, omnibus filium dedit, omnibus per eum salutem obtulit, ab omnibus pœnitentiæ conditionem requi-
Ioan.1.12. *siuit.* Quotquot receperunt eum, *vt ait Ioannes,* dedit ijs potestatem filios Dei fieri. *Quod si filios inquit, Paulus,* & hæredes, hæredes qui-
Rom.8.17. dem Dei, cohæredes autem Christi: *Quotquot vero neglexere vocationem eius,* abeuntes interim alij quidem in villam, alij in negotiationes suas, *alij alio, eos meritò* indignos pronun-
Matt.22.7. ciauit gloria sua. Nemo *inquiens,* eorum gustabit cœnam meam. *Qui vero etiam insurrexere in ipsum Saluatorem Dominum, & occiderunt seruos ad se missos, eos etiam missis exercitibus suis seuerissimè castigauit, succendens ciuitatem eorum igni, & ipsos tandem longè grauissimis gehennæ incendijs addixit.*

Ecce benignissimam pariter ac veracissimam, æquissimamq; & Saluatoris missi à Deo, & ruinæ particulariter Israëlis conditionem. Amplectere ergo eam, tu quoq; lector amicè, obsequens piæ Christi vocationi, & ecce omnia salua sunt tibi, nec vllum ruinæ periculum: sin negligis ex te tibi perditio tua, ac ruina tota, etiam illa qua in Christo ipso of-
Osee.13.9. *fendens ruis, cum ex Christo non nisi auxilium fuisset expectandum.*

PARÆ-

PARÆNESIS AD MINISTROS Bezanos & Caluinianos.

Non possunt tam insignem in Deum blasphemiam declinare Ministri Caluiniani; nisi Euangelismos suos simul declinent.

22. *IAm vero ad vos quoq; hic mihi sermo est, ô Ministri, vos inquam inprimis, qui Bezanorum ac Caluinianorum Euangelismorum vos profitemini assertores, vos quoq;, hæc quæ diximus vna mecum examinare accuratius fas est. Vos enim mirum quam, præ omni mortalium genere, solos ista maximè concernant, dum ita libere & blasphematis ipsi, viuentem in secula seculorum, & mundum vniuersum in eandem blasphemiæ societatem vobiscum pertrahere conamini, vobis loquor. Vestra ne ergo isthæc omnia, quæ diximus, tam tetra; de Israëlis ruina in Christo, & quæ inde consequuntur, tam blasphema, tam impia? nempè id pernegabitis strenuè. Nunquam enim ne in mentem quidem vobis venisse, vel mendax aliquod numen obtrudere hominibus, vel fallax, vel adeo ferox quale vobis imputauimus, vel, ad extremum, etiam iniustum. Imo vero nihil vos aliud habere vestro ministerio propositum magis, quam gloriam Christi præ reliquis mortalibus omnibus amplificare. Sint sanè cogitationes istæ vestræ. Sed inde eæ sunt, quia ne ipsi quidem vos, pleriq; saltem, satis percipitis, quousq; pertineat horrida illa abyssus Euangelismorum vestrorum.* 22.

Sed

Connexio blasphemiarum Caluini de ruina Israelis.

Sed agite ipsa vestra, quæ forte hactenus ignoratis, mecum mysteria expendite. Vestrane enim sunt, quæ Caluinus vna cum toto grege suo prædicat,

1. *de ruina damnatorum omnium, eam ex mero Dei placito esse ab omni æternitate destinatam, & à toto genere omnibus & tantam, quantam patitur eorum quisque, singulis? Vestra vtique atque ita vestra, vt Caluiniani Ministri esse non possitis, nisi pro vestris & ista profiteamini. Vidimus nos de his non nulla superius (n. 13.) & proclamata sunt mundo*

2. *toti, in articulis Caluinianis. Vestra igitur etiam illa, de ruina Israelitarum in particulari, ac posito illis in Christo lapide offensionis, ex mero Dei placito, id totum ita decretum Israëli. Vestra certe, prout ea tum ex Beza vidimus asserta perspicuè, tum ex proximo illo, de vniuersali reprobatione damna-*

3. *torum omnium, necessario consequuntur. Et illa quoque igitur vestra, prout certa damnationis ac ruinæ mensura destinata fuit Israëli ante secula à Deo: ita certam quoque, omnis perfidiæ illorum, omnisque obstinationis, ac flagitij illius, quod admisêre postea in Christum, vnde ita ruerent, mensuram illam destinatam.*

Media damnationi impijs destinata secundū Ministros. Dom. 1. Aduen. n. 19. Et supra n. 15

Negatis ne? At id primum æquè proclamatum est Caluino cum omnibus suis, atque primum illud de simplici destinatione, ad damnationem reproborum omnium. Hocque ipsum est, quod inde omnia etiam mala in peccatoribus opera, efficaciter operari asserunt Deum, vt de his alibi iam non nulla nos. Deinde hoc illud est, quod ex Beza vidimus,

Deum

Deum ipsum & decernere, & exequi isthæc consilia sua (n. 13.) Et ratio omnis id docet, posito illo fundamento priore. Quæcunque enim Deus sibi, vt finem aliquem simpliciter proponit, decernitué ex mero beneplacito suo: in iis ne fine suo fraudari possit, etiam media ipsa inueniat decernatque apta fini, ex mero placito suo, necesse est. Media Israëlis ruinæ in Christo decretæ, omnis illa Iudæorum contra Christum perfidia fuit ac malitia, quam in eum excercuêre.

Deniq; & illa quoq; igitur vestra; Deum ipsum reipsa etiam efficaciter executum omnia media illa, quæ decreuerat, operatumq; ideo occulta sua & inevitabili manu in Iudæis, quicquid vnquam per eos in Christum persecutionis fuit motum, vt verum fieret illud Philippi vestri Melanchtonis, æquè fuisse opus Dei proditionem Iudæ, ac Pauli conuersionem. 4. Phil. in 8. ad Rom. 1. edition.

Et ipsum ad extremum etiam iis efficaciter interitum attulisse, tam in temporario illo, quod tandem sæuissimum passi sunt excidio Hierosolymorum, quam in damnatione eorum sempiterna. Vestra inquam ista omnia & singula, & quidem explicite vestra, ita vt digne tueri Ministerii vestri nomen amplius non possitis, nisi ista simul omnia ita tueamini ac prædicetis. 5.

23. *Si vestra isthæc omnia, ergo & quæcunq; iis innectuntur necessaria coniunctione omnia, quæcunque inde necessaria deductione concludūtur omnia, æquè vestra erunt: non minus quam si vester est homo, vestrum etiam id quod in illo est risibile, si ve-* 23.

ster

ſter equus, veſtrum etiam hinnibile; ſi veſter canis, veſtrum etiam latrabile, & ita de omni rerum
6. *alio genere, ac naturaliter ijs annexis loquendo. Veſtrum ergo eſt tum quoque, cum maximè vel verbis*
Hebr. 26. *promitteret Deus Iſraëli promiſcuè toti, venturum*
C 11. *ei Chriſtum Redemptorem, vel denunciaret etiam gaudium omni populo de nato iam ipſi redemptore; vel deniq; re ipſa per Chriſtum offerret redemptionem: nihil minus tamen, in his omnibus, quam verè redemptionem eius meditatum fuiſſe, imo ruinam ſimpliciter, eamq; re ipſa machinatum, & tandem etiam peroperatum. Veſtra inquam iſta omnia, quia naturali cū prioribus illis colligatione connexa.*

Hiere. 29. *Nempè denunciabat Iſraëli.* Ego cogito
C 11. cogitationes pacis, & non afflictionis, *Itemq;*
Luc. 2. B. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis: *& interim & cogitabat & ſcribebat contra ipſos meras amaritudines; interim moliebatur illis, ipſo illo pacis prætextu, bellum omnium crudeliſsimum, adeoq; exterminium extremum. Cumque ita expectationem erexiſſet omnium maximam, de venturo ſibi Saluatore; ex deſtinato decreto ſuo, tum maximè voluit eſſe vicinos ruinæ, & cum maximè verbis aduocaret ad cœlum; tum maximè eos occulta ſua vi detrahebat in inferni profundum, & quæ horum ſunt ſimilia. Talis itaque Chriſtus veſter, talis Deus. At quales illi? Horret animus proloqui, & tamen veſtra ſunt iſthæc omnia, plena mendaciorum, plena fallaciæ, plena iniquitatum omnia. Ita enim de ſalſis prophetis verè conqueritur benedictus*

Deus

Deus noster, quod locuti fuerint populo suo vana & locuti sint mendacium, dicentes pax pax vbi non erat pax. Et non immerito Spiritus S. per Dauidem, tanquam insignis cuiusdam impietatis argumentum annotat de quibusdam. Quod loquebantur *inquit*, pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. *Et ecce ipsi Deo talia impingitis.* Ezech. 13. B. C. Psal. 27. 3.

Quid igitur vos hic tandem in tanto isto oceano blasphemiarum vestrarum? Pergetisné, & ruere ipsi in tantæ damnationis profundum? & tantam vna vobiscum ruinam, cætuum vestrorum eodem pertrahere? Pergetisné blasphema ista ora vestra, ita in cœlum ipsum attollere, ac tantas eo eructare vestras abominationes? Et quid infœlicius vobis sub sole, dum in talibus ausis perseueratis? Nam quantum quidem enormitatis talibus hisce blasphemiis insit, abunde satis ex iis, quæ nos tam multa hactenus (maximè n. 19. & 20. proximis) æstimare potestis. Audite iam ergo tandem quid de vobis vestriq; similibus alicubi propheta testatur. Loquuntur *inquit* vanitates, conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem, oua aspidum ruperunt. Qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. *Ita ille: Verè enim oua aspidum venenati isti Euangelismi vestri, vnde tales basilisci blasphemiarum propagantur, enecantes animas omnium credentium vestrorum.* Infœlix Ministrorum conditio. Isai. 59. 5.

Et ecce quod vnum deerat ad culmen summæ

nequitiæ, etiam in ijs ipsis speciosum pallium verbi Dei atque Euangelij Iesu Christi, veri Saluatoris omnium, hominibus obtruditis; atque in istis blasphemijs vestris maximi atque vnici gloriæ Dei assertores, haberi à vestris vultis: eo ipso certè & vobis ipsis longe grauiorem conciliantes infernum, & longè plurimos, dum incautè ista tractant oua vestra aspidum pessima, eodem detrahentes. Sed heu resipiscite tandem, vel certè tot innoxios alioqui homines, quibus vos soli ita Christum in ruinam & offendiculum salutis cedere facitis, in tantam perniciem detrudere desistite, illud identidem Christi propter venenata illa oua Euangelismorum vestrorum animo repetentes; Serpentes genimina viperarũ quomodo fugietis à iudicio gehennæ. *Matth. 23. D. 33.*

PARÆNESIS AD CATHOLICUM LECTOREM.

Quoniam res maxima est, vel cadere in Christo vel resurgere, idq; in cuiusq; vigilia maximè est positum: magnopere ergo & ruina cauenda, & resurrectio vrgenda si cecideris.

24. 24. N*Vnc demum ad te quoq; accedo Catholice lector, vt te quoque pro ratione temporis huius compellem, quemque ex his, quæ diximus, fructum colligere poßis, commoneam. Non illum certè solum, vt blasphemos hosce Ministros inposterum deuites magis,*

magis, vnique Sanctæ Catholicæ fidei iungare magis: Sed vt ipsam quoque salutem tuam in posterũ, cum omni timore & tremore iuxta Pauli monita discas operari magis. Ecce in medium tibi positus Christus Saluator, æquè in ruinam iacet multis in Israël, atque in resurrectionem, si euentum spectes, æquè in damnationem inquam æternam multis; ac multis in æternam saluationem. Quanta putas saluatio ea, quæ talem requisiuit Saluatorem, vnicum inquam filium Dei, ac Deum verum de Deo vero hominem factum? quamque talis iste ac tantus Saluator, omni eo redemptionis precio, quod liberalissimè tandem effudit in cruce dignatus est? Quanta vero etiam ea damnatio, quæ aliter satis expiari nequiuit, quam talis Saluatoris ea, quam tandem subijt expiatione? Quantum ergo etiam erit vel adire salutem illam tantam, vel ab ea excidere, atque in istam infælicitatem præcipitari? Et tamen altera te sortium istarum necessario manet: nec tertium hic datur, quod expectes. Vel corruas in Christo necessè est, & fiet ruina tua magna nimis & quæ verbis nullis satis exaggerari queat: vel resurgas; & dici non potest, ac ne cogitatione quidem satis comprehendi, quam fælix ea sit futura conditio.

Phil. 2. 12.

Magna res & salus & ruina salutis.

Quid ergo te in tali, tantæ vel salutis vel perditionis, biuio positum, facere par est? Tu ipse te examina, quid rerum hic agas. Securusné in vtramq; aurem tibi dormies, susque deque ferens, quid tandem de te sit futurum? At eo ipso quidem

Ipsa negligentia ruina est. *iam corrueris in Christo. Sufficit enim hic vel sola cessatio, sola ignauia ad faciendam ruinam istam,*
Matth. 25. c. 30. *prout seruus inutilis, propterea solum quia inutilis, etiamsi alioqui minimè perniciosus, in tenebras coniectus fuit exteriores. Sollicite ergo euigiles necesse est, omnemq; adhibeas conatum, ex parte tua vt præcipitium quidem tantum euadas, apprehendas vero tandem salutem illam. Iam igitur tu hic mecum considerare perge. Etenim vel resurrexisse iam in Christo te animaduertis, ac pergere in statu tuo bono, obsequij diuini; vel iacere etiam num in sordibus peccatorum tuorum, in quas aliquando te prolapsum nosti. Vtrinq; summa opus esse contentione scias, vt fæliciter agas.* Nam & qui se existimat stare, videat ne cadat *monet Paulus, atque idem alibi:* Tu fide stas, noli altum sapere sed time: *Itemq; Propheta illud in primis Dei nomine requirit ab omnibus, vt sollicite ambulet quiuis cum Domino Deo suo: Et contra si quis forte per peccatum iam corruerit, periculosissimè hæret in lapsu illo, vt pote in primis iam faucibus orci iacens, vnde leuissimo momento, in ipsum extremum gehennæ exitium perturbetur.*

1. Cor. 10. c. 12. — Rom. 11. c. 21. — Mich. 6. 8.

25. Quisquis Deo stat potest nunquā cadere.

25. *Sed illud in primis exacuere debet diligentiam hic tuam, quod certum sit, eum qui stet Deo, ac Christo in gratiæ statum beata illa resurrectione semel erectus, eo ipso iam in sese semen habere immortalitatis ac vitæ æternæ, ita vt nulla iam ei damnatio reprobationis pertimescenda sit, nisi quam sua sibi, ex eo tempore ignauia asciuerit. Iam tum enim*

enim potestatem *habet in se, à Deo sibi datam,* filius Dei fieri, *atque ita etiam* hæres salutis æternæ. *Neq; vnquam certè deseret Deus semel in gratiam receptum, nisi ab eo prius ipse fuerit desertus. Quoq; contra æquè certum sit, eum qui iterum sit in peccati ruinam collapsus, ex se ipso resurgere iam nullo modo posse, nisi speciali Christi Saluatoris gratia denuo præueniatur, excitetur, promoueaturq;. Igitur si iam nunc Deo stare per Christum cæpisti, & offendere quidem potes, si negligenter agas, vt corruas; sed & potes nunquam offendere, si probe satagas rerum tuarum. Vna iam vigilantia tua hic, & à maximo te malo perditionis præseruare sufficiens est, & in maximo bono salutis confirmare. Ergo illud hic tibi inprimis Pauli dictum existimes par est, quod Corinthios ille monens,* Vigilate *inquit,* state in fide. viriliter agite, & confortamini, omnia vestra in Charitate fiant. *Hinc nimirum tota consolatio illa tibi pendet, quam de futuræ resurrectionis tuæ in Christo certitudine habere in hoc mundo potes. Hoc enim est quod Petrus te monet:* Satagite *inquiens* fratres, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

Ioan. 1. 12.
Rom. 8. 17.
1. Cor. 16. 13
2. Petr. 1. B. 10.

a *Sed & eodem ex capite habes, vnde & sobrie reprobationis diuinæ mysterium tecum ipse expendas, si libeat, & si quando tibi sollicita nimium eius cogitatio subrepat, abundè te consolere. Pulsat nonnunquam animum anxia illa cogitatio, quid*

Sollicita cogitatio de reprobatione sui quomodo ratione dirigenda.

tandem de nobis futurum sit? quid constituerit de nobis Deus? in numero né saluandorum, nos habeat, an contra inter reprobos iam annumerarit? Itaque illud cogitas nonnunquam, quid si forte, quod absit præscitus ego ruinæ in Christo ac damnationi sim? quid vllum mihi iam salutis studium prosit? cum quæ præscita à Deo atque inde iam definita sint, mutationem nullam admittant? Ita nimirum solet quandoq; humana curiositas, in illam se abyssum arcanorum Dei immergere, dumq; fundum nullum attingit, ita se confundit totam, atque implicat nonnunquã, vt exitum nullum inueniat cogitationum suarum, nisi confusionis illum ac desperationis plenum. At hinc ecce habes, vnde sobrium huiusmodi cogitationum & exordium sumas & finem facias. Nempe nihil opus est ea in re, vt in illum te oceanum secretorum Dei immittas; in te ipso habes vnde id totum æstimes; frustraq; iam extra te quæris, & è cœlo vsq; conaris deducere, quod intra te ipsum, quantum tibi satis est, pro consolatione tua, & habes & inuenire potes. Nempe fide Deo stas? perge cum gratia ea, quam tibi dedit iam in Christo Deus, ac per opera bona, vocationem tuam vsque in finem satage facere certam; neque vlla te alia hic anxia excruciet sollicitudo. Certissimum est ita pergentem, nunquam præcipitaturum Deum; nunquam destituturum primum; nunquam desertumrum, nisi prius tu deserueris. Atq; ita certissimum etiam illud, nec præsciuisse te damnationi, nec ascripsisse Deum. Soli enim ij, qui sponte iam sua in Christo cor-

sto corruerint, ipsi sua impingentes in illum vel ignauia vel malitia; soli inquam ij à Deo destinati sunt perditioni illi.

Sed videsné simul & illud, quam propterea merito illud iam à te requirere superius diximus, Deum, vt sollicite ambules cum Domino Deo tuo? Etenim, cum tantam nunc à Deo accepisse te potestatem salutis tuæ, tantamq́; gratiam ponamus; tum illud tamen certum est, omnem thesaurum istũ nos, quam diu sumus in hoc mundo, gestare in vasis fictilibus, *vt Paulus loquitur, nec conseruari ideo nobis posse, nisi ex parte etiam nostra, omni in eius conseruationem studio ac vigilantia incumbamus: Et hæc quidem si stare te hactenus Deo, quantum quidem humana fert conditio, deprehendas.* 2.Cor.4. 7.

26. *Quanto vero maiore tibi vigilantia opus esse putas, si forte iam etiam offenderis in Christo, atq; ita iam ruinam in ipso feceris, prolapsus coram Deo per lethale quoduis peccatum? Quam sollicite inquam, ad primam te Christi vocantis atq; excitantis vocem, par est attendere, quam sedulo media exurgendi, quæ tibi offert Sacramentorum suorum, apprehendere? Quam studiose denique, idq; quam citissimè resurgere? Nam cum omnis peccati ruina sit mala, nociua, damnabilis: tum vero in omni homine Christiano longe ea pessima est, vti supra diximus; tanto quidem omni alio lapsu grauior, quanto ex altiori salutis, in quem per regenerationis Sacramentum positus fuerat talis, delabitur gradu. Quid igitur tu adhæc? cessabisné, parui fa-*

26. Quisquis credit quam primum resurgat par est.

 ciens

ciens factam vel semel peccati per te ruinam? Aut forte, quod cogitatu etiam horribile est, perges in peccatis tuis, nouas subinde ruinas faciens, atque ita in dies singulos in altius te damnationis profundum immergens? At nihil à te amentius, nihil periculosius, nihil damnabilius cogitari posset.

Age enim, pone te in simplex aliquod lutum concidisse, absque omni etiam periculo submersionis, cessaresné ad primam inde occasionem exsurgere? Quid vero si in profundum etiam aquarum puteum concidisses, in quo tandem suffocandus esses omnino ab aquis, nonne multo etiam inde studiosius emergere conarere? quid si in fœdißimam aliquam cloacam, in qua simul, & de vita periclitarere, & turpißimè simul ac fœdißimè periclitarere, nonne multo etiam diligentius liberationem tuam procurares? Atqui nullus lapsus talis est, qui comparari horribili isti peccatorum ruinæ, de qua nos agimus, vel e longinquo poßit. Ergo euigila miser atque emerge tempestiuè à profundo isto, in quo corruisti perditionis. Lu. 14. 8. Cuius enim si vel bos vel asinus ceciderit in puteum etiam Sabbatho, non continuo datur opera, vt extrahatur? *quanto vero ô bone dignior tu? quanto periculosior animæ ruina, de qua nos, omni lapsu bouis? quanto profundior abyssus inferni, omni puteo terræ huius? Exurge igitur, ô omni collapso boue centies infœlicior peccator: apprehende salutis tibi oblata à Christo media, atq; enitere, & ecce in salutem tibi propositum habes Christum.*

Sin omni-

Sin omnino etiam sic cessare pergis; illud etiam atq; etiam ipsius Christi te iubeo hic expendere, quod iam superius allatum à nobis est; vbi Qui ceciderit *inquit* super lapidem istum confringetur. super quem vero ceciderit confringet eum. *Nam tu quidem hactenus in illum impingis subinde, offendens peccatis tuis, & ruinam ruinis exaggeras, ipso interim benigne te ad resurrectionem, & expectante, & alliciente. Sed dum ita nequiter tanta ipsius abuteris benignitate, exurget tandem & ipse, & toto iustissimæ iræ suæ impetu in te irruet, & animam & corpus tuum deprimens vsque ad ima inferni, itaq; ibi perpetua te contritione conterens, vt in omnem iam æternitatem exurgere nunquam possis. Eheu quam grauis illapsus iste lapidis istius? quam extrema contritio? O te infœlicissimum millies, ni tempestiue ipsius adminiculo exurgas potius, quam vt tantum impetum eius operiare.* Christus cōteret illabēs in cadentes in se. *Matth. 21. D. 44.*

ANNOTATIO LOCORVM VAriorum, qui circa ea quæ diximus, tractari possunt.

Primus locus.

Destinauit Deus suo quodam modo ab æterno & iam impijs ruinam: sed longè aliter secundum Ministros, aliter secundum Catholicam pietatem.

Pertinet ad locum Euangelij: Positus est hic in ruinam. Luc. 2.

27. 27. DVm de æterna Dei destinatione decretoue agimus in ruina ista Israëlis, illud primo obseruandum est: non omnem nos Dei destinationem eo in genere negare, sed eam duntaxat quam impij isti Euangelismi inuexere. Certum enim est alioqui, nihil omninò fieri in omni rerum natura, quod suo quodam modo non iam inde ab æterno, vti certa sua scientia prouidit Deus, ita fieri ipse decreuerit. Neque enim quicquam vspiam fieri vllo modo potest, quod absolutè Deus fieri nollet. Voluntati enim eius quis resistit! Et scit ergo fieri quæcunque fiunt, & suo quodam modo vult, & voluit iam inde ab æterno, & decreuit igitur etiam, vt ita fierent, certo quodam modo. Itaque vidimus superius, etiam ipsam passionem Christi per Iudæos procuratam, definito Dei consilio ac prescientia, & decreto etiam adscribi in scripturis.

Præscit Deus omnia & suo modo destinat.

Rom. 3. 19.

N. 7.

Sed longè alio ista sensu à Beza in Caluiniano Euangelismo asseruntur, alio Catholica admittit veritas. Bezæ omnis ruina ista Israëli destinata est, vti & reprobis omnibus damnatio sua, simpliciter extra omnem operum eorum considerationem: primario inquam ac directè, quia placuit Deo gloriæ ita suæ vt dicit consulere, vt vidimus. Indeque ipsa etiam ijs flagitia quibus corruère, simul decreta, omnisque salutis præclusa ianua, vt mensuram damnationis suæ sibi destinatam plenè per se mererentur.

Prius damnationē destinat Deus secundū Ministros inde etiam peccata.

N. 13.

tur. At in veritate Catholica longè alio ordine ista connectuntur. Primum enim omnium, de reprobis loquendo, in diuino illo æternoq; consilio, singulis potiùs sua decreta sunt certa in mensura, auxilia, salutis præuisumq; simul, qua quisq; ratione ijsdem vel vsurus esset, vel abusurus. Cumq; reprobi ijs neglectis in omne nihilominus essent sponte ruituri flagitium, & illud simul inde decretum, à Diuina iustitia: laxare illis in id habenas, ac relinquere ad tempus certum, vnumquemq; voluntati suæ, atq; ita demum, præuiso omni gratiæ abusu, delictisq; inde cõsequentibus, pro mensura delictorum vniuscuiusq;, etiam ruinam ei in damnationem destinatam?

Igitur contrario omninò modo hic se habent peccata hominum in æterno decreto Dei, in comparatione ad damnationem inde consequentem, in vtrauis ista quam diximus sententia. Caluino enim cum suis prima est in æterno ipso Dei consilio reproborum damnatio, tanquam causa quædam ipsorum etiam peccatorum; secunda, peccata ipsa propter destinatam cuiq; damnationem tantam vel tantam, etiam ipsa singulis inde certo destinata. At veritati Catholicæ, prima in consilio Dei sunt peccata cuiusque præuisa, nec simpliciter cuiquam decreta, sed permissa duntaxat, siue decreta à Deo permitti, cum impedire posset, non fieri; & hæc tanquam causa damnationis cuiusque. Secunda vero damnatio etiam decreta cuiuis, pro ratione præuisorum iam cuiusque peccatorum. Ita vt hic quidem ipsa peccatorum

Prius præuidet Deus inde destinat damnationem secundum veritatem.

catorum

catorum futurorum præuisio, causa censeatur Deo decreta inde damnationis, ibi vero, ipsa primum decreta damnatio, causa destinata cuiuis mensuræ etiam peccatorum.

Clarissimum id fit in ea ruina Israëlis de qua agimus. Secundum Caluinisticam reprobationem, vt ex superioribus patet, destinauit Deus ante omnia Israeli omne illud exitium in quod tandem concidit. Inde, vt iusto id ei inferri titulo videretur, & illud simul decreuit, vna quidem ex parte Christum ei offerre, ac tradere Saluatorem; sed ex altera omnem simul illam mentis excæcationem atq; obstinationem voluntatis, qua necessario impingeret, eo quo impegit modo, sicq; per lapidem offensionis corrueret. At secundum Catholicam veritatem longè aliter, vt itidem ex superioribus patet. Primum enim decretus est Israëli Saluator, in omni ea forma qua tandem venit. Quem cum superbè & reiecturi ipsi essent, & persecuturi, sic demum omnis eis ruina illa destinata, in quam deinceps corruêre; quæ quia nunquam iis tam grauis obuenisset, nisi in Christum ipsum tam grauiter deliquissent; propterea Christus iis particulariter lapis offensionis atq; in ruinam positus fuisse perhibetur.

28. Duplex destinatio finis & mediorum.

28. *Est vero hic & illud obseruandum, in vna ista quæstione simul duplicem difficultatem contineri, quam vtramq; si perspicue ista tractanda sint, distinguere oporteat, & examinari. Vna est de excidio ipso isto, ex simplici voluntate Israëli destinato, secunda de mediis ad eam, omni scilicet illa contra Chri-*

tra Christum exacerbatione ac persecutione, quã ruinam eam in illud exitium sibi Iudæi promeruêre. Nam in Caluiniana prædestinatione, vtraq; æque ista impijs omnibus à Deo decreta sunt. In Catholica doctrina, neq; prius illud directe vllo modo, sed solum propter præmissa peccata cuiusuis; neq; hoc secundum nisi quod permittere ea reprobis voluerit, ideoq; constituerit ab æterno & laxare habenas, & occasiones etiam quandoq; non solum ad ea non subtrahere, sed etiam iustis ex causis offerre; dum maiora ita ipse bona pro infinita sua sapientia, inde nonnunquam constituit elicere.

Atque ita propriè huc pertinent duo illa Actuum Apostolicorum loca, de quibus nos supra, in quorum altero, Petrus dicit Iudæos interemisse Christum, per impiorum manus, sed à Deo definito consilio ac præscientia in id traditum; Altero totus fidelium cœtus affirmat: conuenisse Pilatum cum Herode, & gentibus, & populis Israel, aduersus Christum ea facere quæ manus ac consilium Dei fieri decreuerat. Agit enim ijs in locis scriptura, de Iudæorum contra Christum sæuitia, quæ ijs sine dubio extremam tandem attulit ruinã, eamq; etiam consilijs Dei asscribere videtur. Sed illud ijs in locis diligenter notandum est; neq; Petrũ dicere Deum definiuisse, vt Iudæi Christum interimerent, id quod Caluiniana hic habet professio, neq; reliquos illos asserere, decreuisse Deum, tale quod, vt facerent, sed tantum partim definito consilio Dei Christum Iudæis traditum ἔκδοτον hoc est; occasionem

Act. 2. D. 23

Act. 4. 27.

Quomodo decreuit Deus Christũ à Iudæis pati.

occasionem eis à Deo præstitam, vt in eum omnem illam ferociam suam exequerentur, id quod alibi
Ioan.19.11 *Christus ipse etiam expressius Pilato*: Non haberes potestatem aduersus me vllam; nisi tibi esset datum desuper *partim constituisse Deum ita fieri, γενέσθαι nempè pati Christum pro mundi expiatione, & quidem ab ijs ipsis pati, à quibus passus est. Hæc inquam sola decreta directè à Deo scriptura asserit, quæ inde propria ac mera sua nequitia executi fuere Israëlitæ, permissi quidem facere in Christum, quæcunque volebant, sed minime iussi, aut diuino in id decreto adducti vllo.*

Denique Deum aliquid decernere, vt quis faciat, etiam ipsam est agendi necessitatem ei imponere: at decernere aliquid fieri, solam patiendi includit necessitatem, illi in quem agitur, Caluinus vtrunque vult vno decreto Dei comprehendi: scripturæ sacræ à nobis allatæ non nisi secundum istud affirmãt. Vbi quidem etiam singularis quædã fraus Bezanorum
Act.4.27. *rum bibliorum simul venit obseruanda. Nam vbi textus noster habet in posteriore illo loco*: Conue-
Bezana fra'. nerunt enim Herodes &c. facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri, *Græcis συνήχθησαν hoc est in vnum acti ac congregati sunt: Beza in suo textu ita vertit ambigue omnia, vt improuisus lector facile concludat necessitatem quandam à Deo impositam istis, vt talia in Christum designarent. Ita enim ista reddidit ille*: Coacti enim sunt, *inquit*, verè & Herodes & Põtius Pilatus, vt facerẽt quæcunque manus tua, & consi-

& consilium tuum prius definierat facienda. ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι *Obserua illud coacti sunt, iterumq; vt facerent, quaecunq; Deus definierat facienda, & in singulis aliquid fraudis subest, quod impietatem hic Bezanae destinationis redoleat, cum simplicissima versio vulgata, propriissimè verbum verbo reddens nihil tale confirmet. Neq; enim vt facerent ista, decreuerat Deus, neque id in actiuo hic asserit scriptura, sed cum prouidisset Deus illos omnino talia sponte sua conaturos, decreuit fieri, vt passiue hic loquitur Lucas, scilicet tradito eorum potestati Christo, vt arbitrio illo suo, aduersum eum facerent satis.*

Secundus locus.

Non est Deus operatus in Israële, vt Ministri volunt. peccata in ruinam; ac ne quidem excaecationem eius nisi indirectè

Pertinet ad eundem Euangelij locum ad quem superior.

29. D*E operatione Dei efficaci in ista Israëlis ruina illud primum obseruandum, eam ex generali illo capite doctrinae Caluinianae pendere, qua & liberum arbitrium in rebus ad Deum spectantibus, simpliciter negant, & omnia quaecunq; fiunt, etiam mala, absolutae Dei atq; efficaci operationi adscribenda contendunt: ita vt homines omnes, in omnibus quae* 29.

bus quæ agunt, quasi mera instrumenta quædam sint, in manibus artificis si diuinæ operationi comparentur. Vide de his quæ fusè tractantur à Bellarmino tom. 3. lib. 2. de statu peccati. Neq; ad rem facit vtrum concedant Caluinistæ, Deum peccatorum esse propterea authorem, an secus: satis est docere, omnia etiam mala in malis operari Deum, vndecunq; tandem malitia operum sit definienda.

Obseruandum secundò, fraudulenter hic agere Bezam, dum in 2. Luc. loco eo, de quo nos agimus, de ruina Israëlis, postquam dixerat, à Deo Christum destinatum eis in ruinam, cui sic placuerit gloriæ suæ consulere, mox subiungit. Sed tamen *inquit*, inter reproborum casum & Dei consilium interuenit, ipsorum corruptio, & spontanea infidelitas, quæ res facit vt totam exitij sui culpam meritò sustineant, cum Deus non aliter exequatur suum consilium, quam ipsorum scelera iustè vindicando. *Ita ille: Videtur enim hic solam executionem damnationis, Deo attribuere, quasi is in ea re nihil egerit aliud, quam vindicarit scelera Iudæorum; cum tamen reuera etiam ipsa eorum scelera in ijs efficaciter operatum doceant, nec aliter possint, si sibi constare velint.* Beza in 2. Luc.

N. 13. *Id quod propterea in altero illo loco quem supra nos attulimus ex Rom. 9. expressè asserit Beza, vti vidimus in illa Pauli Ecce pono in Sion lapidem offensionis &c. vbi,* iusta igitur, *inquit,* prouidentia Dei hoc decernit, & exequitur licet propria malitia impingant. *Ecce & ipsam offensionem*

(ea in

(ea in peccatis erat Israëlis) & decernit ei prouidentia Dei & exequitur. Porrò quod hic addit, (licet propria malitia impingant) in eo illud solum est mysterij Caluiniani, quod cum totum opus malum efficaciter à Deo in reprobis velint effici; malitiam tamen operis ex sola illa delectatione peccatoris æstimandam docent, qua ipse spontè facit, ea quæ male fiunt in ipso per Deum contra legem Dei, licet aliter omnia ipse facere non poßit.

Spectat vero eodem, quod dum in scripturis quandoq; mentio fit excæcationis atq; obdurationis, qua puniti sunt à Deo quoq; Iudæi, quæq; illis potißima tandem ruinæ occasio fuit: ea quoq; omnia directè Dei voluntati mandatoq;, atq; operationi adscribant. Ita enim alicubi Caluinus. Absurdum, *inquit* videtur volente ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus sit. Tergiuersando itaque effugiunt, Dei tantum permissu non etiam voluntate hoc fieri. Ipse vero palam se facere pronuncians, effugium illud repudiet. *Ita iste. Atqui in his potißima peccatorum omnium radix; & ita consequenter ruina Iudæis.* 1. Iust. c. 8. §. 1.

Sed ille hic locus apud Ioannem huc propriè pertinet, vt vna quo ad præsens explicetur, vbi de Iudæorum obstinatione loquens Excæcauit, *inquit (Deus scilicet)* oculos eorum & indurauit cor eorum, vt non videant oculis & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. *Videtur enim in his Ioannes actiuæ Dei operationi,* *Ioan. 12. 6. 40.* Quomodo Deus excæcauit Israel.

attribuere omnem illam occæcationem ac duritiem cordis Iudaici, vnde in tanta postmodum peccata fuêre prolapsi. Deus ergo esse videtur, qui ista etiam peccata in Israële operatus est, vt prima causa. RESP: *quod Ioannes hoc loco dicit Deum excæcasse istos, id Christus alibi ipsosmet sibi peperisse dicit,* (Matth. 13. B. 15.) *de eadem re loquens.* Incrassatum *enim inquit* est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando videant oculis &c. (Act. 28. 27.) *Et Paulus iterum de eodem.* Auribus *inquit* grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt ne fortè videant.

Nempè quo quisq; Dei muneribus vtitur studiosius, eum in finem, in quem data sunt, eo maioribus iis dignus censetur; quo peiùs abutitur, eo etiam ipsis acceptis iam minus dignus, vti videre est in parabola talentorum apud Matthæum. (Matth. 25. B. C.) *Venit Christus Israëli lucem magnam offerens, vt idem Matth. testatur..* (Matt. 4. 16) Populus *inquiens* qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. *Clausit oculos Israël, repudians tam pauperem agnoscere Messiam. Eo ipso quidem iam se indignos luce illa constituêre, quo magis verò se iis ingerebat Christus, eo se ipsi opponebant magis. Ergo paulatim digni facti sunt, qui remanerent cæci, subtraxit ergo indignis hominibus tandem ex toto, internum luminis sui auxilium: quo sublato illi excæcati penitùs mansêre, ne valentes quidem, iam agnoscere veritatis sibi lumen oblatum. Et hæc occæcatio Israëlis fuit, eademq; etiam obdurationis ratio.*

Nihil

Nihil ergo ea in re operatus est Christus, quā quod id quod isti ne voluêre quidem vllo modo, id ijs tandem ne obtulit quidem: iusto iudicio ita indignos priuatione munerum suorum mulctans. Manetq; sic quoq; & culpa ipsa, & propria culpæ operatio tota, in Israële ipso. Atq; ita consequenter etiam ruina eius, eorumq; omniū Christus non nisi occasio ijs fuit.

Tertius locus.

Non venit Christus Saluator omnibus, si euentum spectes; venit, si animi eius propensionem: cum secundum Ministros etiam ipsemet excluserit plerosq;.

Pertinet ad illa Euangelij: Positus est multis in Resurrectionem in Isráël. Luc. 2.

30. *DE quæstione illa, an Christus fuerit à Patre destinatus Israëli toti Saluator, an secus de eo nos disputauimus ex professò in superioribus Dom: 1. Adu. discursu 3. max. n. 55. 56. 63. 65. hic illud primum facilè est obseruare cuiuis, si ex ipso Dei decreto cuiquam sit destinatus in ruinam Christus, ei eundem ab eodem Deo, in salutem non potuisse mitti quia implicant ea contradictionem ex parte rei ipsius: scilicet, missum esse in Saluatorem, & non missum esse in salutem, imò potiùs in damnationem certam missum. Itaq; ne possunt quidem Caluinistæ vllo modo confirmare toti Israëli datum Saluatorem* 30.

Christum: sed electis solis, cum cæteris in ruinam potiùs positum dicant.

Dupliciter Christus venisse in salutem dicitur.

Secundo, non fuisse missum Christum toti Israëli, aut populis omnibus in Saluatorem, dupliciter accipi potest, & quantum ad rerum euentum pertinet, & quantum ad ipsam Dei definitionem. De euentu salutis loquendo, certum est non omnibus fuisse Christum saluti. Multi enim longè etiam peius ex occasione eius corruêre vti hactenus de Israëlis ruina vidimus. Vnde si eo sensu quis dicere velit, non missum fuisse Saluatorem omnibus à Patre, hoc est non efficaciter salutem eius communicatam destinatamuè omnibus à Deo; nihil absurdi fuerit. Verè enim eum euentum habuit Christi in mundum aduentus, & ipsa ista Simeonis verba, de quibus nos tam multa, id euincunt. At vero longè aliud est, quod impius Caluinistarum Euangelismus prædicat; nempè ex ipso immutabili consilio Dei Christum solis electis, paucissimis illis, verbi gratia, ex Israel, in Saluatorem datum, reliquis positiua voluntate exclusis.

Secundũ Ministros Christus excludit à se homines non secundum Catholicos.

N. 9. & 17.

Longè quidem maxima est huius assertionis differentia, sed illa in primis, ad rem nostram pertinens; quod in priori illo modo, totus saluationis defectus, in ipsis sit situs, qui salute excidunt; in altero vero, totus maxime in ipsius Saluatoris voluntate, qui noluit subuenire talibus definitè. In exẽplo captiuitatis quale supra posuimus, id est clarissimum. Si enim redemptor missus directè nolit precium impendere, quantumuis illud habeat in manu copiosum;

copiosum, nisi pro decem ex mille: certe cæteri omnes, quantumuis optent liberationem, tamen pereant necesse est, quia redemptorem non habent. At si is quidem precium offerat pro omnibus, modo sibi obsequantur, vt exeant è terra captiuitatis illius; sed obsequi nolint, nisi paucissimi: hic iam tota penes immorigeros illos culpa manet ærumnæ ipsorum. Potestq; consequenter hoc secundo casu, verè redemptor ille, & promittere salutem omnibus, ante, quam ipse veniat, & denunciare iam adesse cū venerit; & offerre eam etiam iam præsentem cunctis (quale quid factum in Christi salute supra vidimus) sed priore illo, nullo modo.

Tertio vbi in rebus grauioribus maximi momenti, salus quidem auxiliumué promittitur verbis, denunciatur signis, offertur gestibus: & contraria interim certo ac definito agitantur consilia perditionis, & quidem eius sæuissimæ, atq; ex mero placito, ante omnem in homine culpam præuisam, deprehensamué; excusari certè non potest res à mēdacio, fallacia, crudelitate, iniustitiaq; maxima. Et ecce hæc ipsa omnia impius iste Caluinismus in articulo suo, de non misso omni Israëli Saluatore, directè includit, vti supra demōstrauimus n. 19. & 22.

Vnum hic forte effugium sibi quærat impietas ista, vt à mendacio vindicet generalia promissa Dei de Saluatore venturo: nempè etiam dum in genere pronunciantur in scripturis similia, tamen de solis electis, ex ipsa Dei intentione esse accipienda, vnde nihil aliud Deum in mente, aliud in verbis suis habuisse

Lu.2.B.10 buisse consequatur. Verbi gratia, Annunciauit Angelus gaudium magnum futurum omni populo, hoc est, omnibus electis, at solis tamen ex populo. Ita vocat ad se Christus omnes qui laborent, seq; oneratos sentiant, hoc est omnes electos, ac solos tamen, & ita de reliquis similibus scripturæ locis.

Matth. 11. D. 28.

Vere etiam reprobis obtulit salutē suam Christus.

Ad id dici nullo modo potest, Vere enim omnibus & reprobis Israëlitis obtulit salutem suam ac pacem Christus, vti omnia passim testantur Euangelia, nullum eum exclusisse ne impijssimos quidem occisores suos, à generalibus promissis suis, nisi qui se ipsos excluderent, obsequi nolentes. Qua de re nos expresse disputauimus multis, Dominica 1. n. 63. 65. &c. 55. 56. &c.

Igitur negari non potest, Christum voluisse sua promissa intelligi communia esse omnibus, ac maximè Israëlitis, modo acceptare vellent conditionem obedientiæ ipsius omnes? quod si etiam sic interim habuit consilia sua alia certo iam definita, de ruina potius maximè partis Israëlis; hoc est simpliciter contraria promissis, & vt qui simpliciter noluerit illis venire saluti, sed excluserit ab ea omnes reprobos; hic iam certè nullus œdipus à fallacia fucoué (horret animus eloqui) promissa talia scripturarum suffecerit expedire.

Quartus Locus.

Fides

Fides quandoq; implicita satis est saluti, quandoq; omnino explicita necessaria, & quidem semper coniuncta cum obedientia Charitatis.

Pertinet ad Euangelium, de modo quo in ruinam fuerit Christus multis in Israël.

31. *AD extremum hic est etiam de fide saluifica agendi occasio, non tam vt de ea ex professo disputetur (nisi forte quatenus libeat ostendere, fidei veræ neglectum Israëli totius istius ruinæ initium fuisse, cum non nisi fide stare Deo verè incipiamus, vt Paulus* state in fide *Et:* tu fide stas,*) quam vt obiter moneatur auditor Christianus, de propria iustificantis, quaué resurgimus in Christo, fidei ratione. Docuimus supra quomodo fide stabant Israëlitæ, ante Christi aduentum n. 5. & 6. Inde vero clarissimè consequitur, etiam fidem implicitam (quam salse quandoq; ridere solent Ministri nostri) suis temporibus ac locis, satis esse ad salutem. Docuimus inde quomodo labi cæperint, fidem paulatim perdentes, cum quæ explicite iam reuelata erant à Christo acceptare nollent. Inde vero etiam alterum illud consequitur, fidem requiri omnino explicitam, in ijs quæ iam definite à Deo per Ecclesiam reuelata sunt credenda, nec perpetuò licere eadem in rebus fidei vel ignorare vel etiam in dubium sibi reuocare. Neq; iam vllo modo illam fidem, quæ olim Patriarchis satis fuit ad salutem, (quod ad articulorum fi-*

1. Cor. 16. c. 13.
Rom. 11. 20

dei plerorumq; attinet expressam confessionem) nobis quoq; nunc sufficere: in cæteris liberum esse, vel vnam vel in alteram partem disputare. Et quia dupliciter quidam concidêre per Christum in Israël, alij omnino etiam Christum auersantes, alij credentes quidem in eum, sed obsequi non audentes, quales

Ioan.12. G *multos fuisse Ioannes testatur, qui metu solo non ausi fuerint se Christo coniungere: Hinc iam etiam merito concludimus, solam fidei apprehensionem, qua Christi apprehendimus gratiam, minimè esse satis ad salutem, sed operum etiam obedientiam, omnino esse necessariam, atq; absque ea, etiam cum omni fide, homines in interitum labi.*

LOCI ALII CONTROVERSI, qui circa Euangelium hoc tractari haud incommodè possint.

Vt Israëli quondam Carnali; ita hæreticis omnibus maximè in ruinam positus venit Christus:

Ecce positus est hic in ruinam &c. Luc. 2.

32. Hæreticis Christus ruina est.

32. D*Ignissima consideratione hic res est, quomodo omnes hæretici ipsa sua fide in Christum impingant ac corruant, eundemq; in signum cui contradicant, sibi propositum demonstrent. Nempè totum id ex eo pronenit, quod alium sibi Christum imaginentur, quam re vera sit in seipso Christus; dumq;*

dumq; imaginarium illum ſuum ſibi Chriſtum ſolum vrgent, prædicant, tuentur; eo ipſo interim verum Chriſtum omnibus modis oppugnant & perſequuntur.

In Iudæis id primum clariſsimè conſpicitur. Antequam manifeſtaretur ijs in carne Chriſtus; omnes in venturum Chriſtum credebant, & quidem ita, vt ab eo ſe pleniſsimè erudiendos ad ſalutem intelligerent, eidemq; in omnibus obſequendum, vbi veniſſèt, faterentur. Sed interim ſibi Chriſtum quendam totum glorioſum ſeculo huic, & illuſtrem Regem imaginabantur. Venit verus Chriſtus; at longè alia forma, quam illi exiſtimarunt: docuit ac prædicauit longè alia, quam quæ illis arriderent: renuêrunt eum acceptare, ſed mansêre in imaginationibus ſuis, manentq; etiam num in præſentem diem. Nec tamen interim deſiêre credere in Chriſtum, verum ſuo illo modo conceptum animo ac formatum. Itaq; etiam hodie Meßiam ſuum expectant redemptorem. At verum interim Chriſtum, quia alienus erat à ſomnijs ipſorum, eo ipſo cæpêre maximè omnium perſequi, & quidem ſub nomine zeli Dei ac religionis, & legis ſibi diuinitus traditæ, atq; inde illis factus fuit Chriſtus in ruinam, & ſignum conſequenter cui omnes contradicerent. Vide ſupra n 4. 5. 6. Iudęi etiãhodie in Chriſtũ credunt, ſed ſuo modo ſibi confectum.

Simillima quædam ratio eſt omnis hæreſis. Ruit ea reuera in Chriſto, imo contradicit ei maximè; (alioqui enim hæreſis non eſſèt) nec tamen propterea deponit profeßionem Chriſti. Nam &

eius nomine ac verbo se colorat maximè, & zelo quodam religionis ac veritatis diuinæ, in omnibus videri vult duci. Sed tota ruinæ occasio in eo est, quod alienum sibi Christum, ab eo qui reuera sit, imaginatur & prædicat, atq; eo ipso verum auersatur.

Hæretici singuli propriũ sibi Christũ fingunt.

Vt enim Iudæi sibi talem Christum animo fingebant, qui eos ab omni temporali liberaret seruitute, qui diuitijs eos augeret maximis, qui amplificaret honoribus, qui omni genere deliciarum bearet; cum contra Christus verus, & pauperrimus ipse mundo venisset, & omnes potius ad diuitiarum, honorum, deliciarum, mundiq; huius totius contemptum impelleret: ita hæretici nostri modo, talem sibi animo fingunt Christum, qui nil requirat in nobis ad salutem, tanquam de essentia, præter solam fidem, qui de reliquo neque vllam voluntariam diuitiarum abiectionem in suis singulariter adamet, in pleno studio paupertatis: neque vllam mundi totius abdicationem, per voluntariam sui subiectionem: neque vllam deliciarum carnis abnegationẽ, per studium perpetuæ castitatis. Eademq; ratio est de reliquis fidei veræ Christianæ atque Catholicæ articulis omnibus; quos in suo Christo negant quiuis hæretici, alienam ei doctrinam, quam reuera fuerit veri Christi, & est etiamnum in Ecclesia Catholica, attribuentes. Inde ruunt, & quidem in ipsum ita Christum impingentes, qui in resurrectionem ijs esse & salutem debebat.

Pertinet porrò eodem diligentius etiam illud

Pauli

Pauli expendere Tu fide stas noli altum sapere sed time, *Fides enim vera, atque Catholica, illa est, qua stamus in Christo. Et quidem si fides sit viua, siue charitate formata; plenè stamus, vt qui in nouitatem vitæ resurrexerimus, in Christo; si vero mortua, ex gratia quidem iam excidimus, nec tamen plenè concidimus. Adhuc enim hæremus in fundamento salutis, facilisq; semper est, dum resipiscamus syncere, resurrectio. At si etiam in ipsa fide Christi quis aberret, per hæresim sub nomine Christi; is vero totus iam corruit, iamq; etiam impegit in Christum verum, alium sibi Christum imaginans quam re ipsa sit. Fit igitur ruina hæc in Christo, maximè omnium per hærèsim quamcunq; in fide Christiana; cum omnis hæresis aliquid sibi fingat alienum à vera Christi mènte, retento nihilominus nomine Christi.* Rom. 11. C. 20. Fide stamus in Christo.

Obseruandum deniq; locum hunc multiplicem habere vsum possè. Solent sæpe mirari simplices homines, vnde tantæ in nomine Christiano dissènsiones, tot hæreses? At hinc doceri possunt, nihil id habere mirum. Pridem enim ruinas tales multorum ad Christi nomen, hic Simeon prædixit. 2. Solent scandalizari nonnulli, in plerisq; hæreticorum magnam quandam erga Christi nomen animaduertentes deuotionem. Quomodo enim inquiunt, hæretici habentur tales! At nisi nomen Christi retinuissent sibi tales, ne hæretici quidem essent, nec ruinam in ipso Christo sed aliunde facerent. 3. Sunt denique qui putent satis sibi esse, quouis modo in Christum credere,

Credere, tanquam mundi redemptorem, de reliquo parum solliciti, vtrum per omnia, qualis in seipso est, inq; omni sua doctrina, Christus, ipsum animo concipiant. At hinc monendi sunt, qui tales sunt, nisi plenum, & qualis est in omnibus articulis suis Christus, prout ab Ecclesia nobis Catholica prædicatur, agnoscant; eo ipso in Christo ruituros in perditionem, non minus quam & Iudæi, & omnes hæretici semper in Christo corruêre, quosuis doctrinæ veræ & Catholicæ articulos oppugnantes.

Secundus Locus.

Christi Diuinitas præcipuè & Iudæis olim & plurimis post hæreticorum magnæ ruinæ fuit.

Ecce positus est hic in ruinam &c. Luc. 2.

33. 33. V*idetur his verbis alludere Beatus iste Propheta Simeon in Spiritu sancto loquēs ad illa Isaiæ.*

Isai. 8. C. Dominum exercituum ipsum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem: In lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. *Quod enim apud Isaiam dicit:* Erit in sanctificationem, hic in Resurrectionem *positus est inquit. Quod vero* de lapide offensionis & Petra scandali *memorat, &* de ruina *Isaias, hoc ipsum est quod hic de Israëlis* ruina

De' ipse petra scandali Israeli futurus erat.

Christus iste Deus.

ëlis ruina *dicitur. Itaq; etiam D. Paulus de eadem ruina Iſraëlis in Chriſto loquens, ad eundem illum Iſaiæ locum, (quem cum altero ex Iſaiæ 28. connectit) æquè alludit,* Offenderunt enim, *inquit*, in lapidem offenſionis ſicut ſcriptum eſt. Ecce ponam in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum nõ confundetur. *Similiter & Petrus, vtrumq; & ipſe locum Iſaiæ, de eodem Chriſto Domino accipiens*: Ecce *inquit* pono in Sion lapidem ſummum angularem electum &c. Vobis igitur honor, *inquit*, credentibus, non credentibus autem &c. lapis offenſionis & petra ſcandali, &c. Rom. 9. 33. Iſai. 28. 16. 1. Petr. 2. A Iſa. 28. 16: Iſai. 8. 14:

Ea vero ex conſideratione particularis hic occaſio datur illum locum tractandi de diuinitate Chriſti contra nouos Ebionitas noſtri ſeculi, paſsim & in dies ex alijs ſectis emergentes. Eſtq; ea occaſio duplex. 1. Quia Iſaias expreſſè Dominum exercituúm vocat eum, qui ita in ruinam & in lapidem offenſionis ac petram ſcandali Iſraëli ponendus erat. Petrus vero æquè ac Paulus ſummi Apoſtolorum, locis citatis, eadem ipſa Iſaiæ verba de petra ſcandali & lapide offenſionis, Chriſto Domino attribuunt. 2. Quia reuera nulla vnquam ruina in Eccleſiâ facta fuit maior, quam quæ in Chriſti diuinitatem impegit.

Patet in Iudæis ipſis primum, poſtmodum vero in Arianis, Neſtorianis, & ſimilibus hæreticis alijs; nec poteſt eſſe vlla iam ruina maior manendo Diuinitatis Chriſti articulus peſsima ruina Iſraëli fuit.

nendo sub nomine Christiano, quam sit talis. De Iudæis manifestum est, totis passim Euangeliis; nunquam eos acerbius persecutos fuisse Christum, quam cum Patrem suum ita vocaret Deum, vt æqualem se ei insinuaret. Itaq; iam Ioannis 5. C. propterea quærebant eum interficere. *Et iterum Ioan.* 8. *G. iam* lapides *propterea* tollebant, vt in eum iacerent. *Iterumq; propter eandem causam Ioan.* 10. *F. Et deniq; tempore passionis, vel propterea maximè reum mortis, vt blasphemum, proclama-*

Matt.26.F *bant quod se* filium Dei viui *asseruisset.*

Hæreticorū ruina in Christi Diuinitate.

De Arianorum similiter antiquorum & Nestorianorum multiplici ruina, omnes historiæ Ecclesiasticæ testantur. Et quid tandem sani habebit in tota Christi doctrina ille, qui ex filio Dei, per quem condita sunt vniuersa, in cœlis & in terra, *vt Paulus testatur, meram creaturam sibi formauerit?*

Col. 1. C. *Quo verò etiam ruet profundius talis, nisi omne penitus Christi nomen eiurare velit?*

Vsus deniq; huius loci, in eo potissimum est, vt serio præmoneantur pij omnes, cautissimè vt stent, constantissimèq; in hoc, de Diuinitate Christi, religionis nostræ fundamento, vt ne profundissimè corruant. Si enim de vllo alio; de hoc maximè verum est articulo, quod in Symbolo Athanasij profitemur: Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter. firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

Tertius

Tertius locus.

Minimè mirum Religiosos prædicatores, pati contradictiones varias, quia Christum circumferunt qui in signum contradictionis positus fuit.

Et in signum cui contradicetur, Luc: 2. E. 34.

34. D*Vm in ruinam Christum positum dicit Simeon, & in resurrectionem multis, & in signum cui contradicetur: paucissimis verbis triplici simul similitudini Christum comparat. Primum quidem lapidi ad viam iacenti, in quem multi impingentes collabuntur. Deinde vero stipiti seu sustentaculo cuiuis, cui innixi multi, qui corruerint, resurgant. Deniq; signo seu scopo, cui vndiq; contradicatur. Significat vero tertia ista, Christum, & passurum contradictiones, & vndiq; passurum, & id ilicet, simul scilicet atq; in publicum prodijsset. Lignum quoduis quamdiu iacet in terra, à nemine configitur: at simul atq; erectum fuerit in scopum, in quem tela quæuis iaciantur; eo ipso, quicunq; id animaduertit, liberum sibi esse intelligit id petere, imò signum quasi sibi datum, vt in id sagittus suis collimet. Ita inquit Simeon & hic iam nunc positus est atq; expositus in signum tale. Vnde diutius non habebit quietem, quam vbi homines animaduerterint eum publicè extare.* 34.

Christus in signum contradictionis

Atq; ita etiam planè factum est. Eo ipso iam tempore

Cõtradictũ Christo in Infantia.

Propria huius loci consideratio est, vnde tanta hæreticorum atq; hostium Ecclesiæ simul omnium conspiratio contra Catholicos, maximeq; contra prædicatores Catholicæ veritatis paulò feruentiores, religiosos inquam & Monachos. Aequè enim vt olim in Christo ipso; ita & nunc in istis persequendis atq; acerrimè oppugnandis, omnes conueniunt, etiam differentißimi alioqui Sectarij. Id quod experientia ipsa docet quotidiana. Verum nemo meritò inde mirari debet, nemo scandalizari, nemo turbari. Non plebs Catholica talia videns, non ipsi Concionatores talia patientes. Ecce originem totius istius contradictionis in Euangelio hoc. Christus in signum positus est, seu quasi in scopum erectus, cui contradicatur. Ideo usq; progressurum erat vt inde etiam Benedictæ Matris eius animam penetraret gladius, nec tamen propterea animis deficiendum. Quia sicut Paulus aliquando dixit, oportere & hęreses esse, vt ita qui probati sint manifesti fiant mundo: *ita hic addit Simeon: euentura ista,* vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Prædicatores Catholici contradictionem patiuntur, propter signum quod circũferunt.

1. Cor. 11. 9.

35. *Refert Eusebius (historiam Constantini Magni describens) cum aliquando pugnam contra Lycinium inijsset Const. primaq; in acie præferri, pro more suo, iußisset saluificæ crucis signum, cum illa inscriptione: In hoc vinces &c: Licinium suis imperasse, vt omnibus cæteris quasi relictis, eos maximè peterent toto impetu, qui signum illud præferrẽt; quo ita saluificum ipsum signum opprimeret, atq; ita fecisse illos. Sed diuina protegente manu, victores*

35. Signum crucis sub Constantino Ma. Lib. 2. de vit. Const. c. 5.

tandem euasisse, qui signum illud tuebantur, ijs præ cæteris occisis, qui timore percussi signum illud, quod gestabant, deseruerant.

Simillima ratio signi huius est, de quo loquimur, & prædicatorum Catholicorum, qui illud vbique feruentius circumferunt. Nam omnibus alijs relictis eos potissimum peti per suos curat Dæmon. Sed ne deficiamus animo. Vincet signum hoc tandē. Itaq; etiam Paulus deuotissimus signi huius gestator, in magna sæpè contradictione propterea positus, non se solum, sed & suos omnes solabatur tali meditatione. Itaq; Ephesios aliquando alloquitur, postquam se particulariter missum à Deo docuerat, qui prædicaret in gentibus mysteria Christi; & propterea etiam in vinculà coniectum sentiret. Propter quod peto, *inquit*, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. *Ita ad Thessalonicenses:* Misimus, *inquit* Timotheum fratrem nostrum, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo vestrum moueatur tribulationibus istis. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. Nam & cum essemus apud vos, prædicabamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut & factū est, & scitis. *Ita ad Timotheum seipsum consolans & discipulum:* Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri Iesu Christi, neque me vinctum eius. Sed collabora Euangelio. *Et post:* In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & Magister gentiū. Ob

Nemo scandalizetur in huius modi contradictionē &c.

Ephes. 3. 13.

1. Thes. 3. 2.

2. Tim. 1. B. C.

quam

quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum seruare in illum diem &c.

Deniq; tantum abest, vt talibus ex aduersitatibus scandalizari quisquam piorum meritò possit, vt eas ipsas potius præsentis gratiæ ac Christi ipsius propitij argumentum existimare debeat, iuxta hæc ipsa Euangelij istius, quibus Christus positus dicitur in signum cui contradicetur &c.

Quartus locus isq; multiplex.

Studium seruandæ perpetuæ castitatis, & possibile est obseruatu, & Matrimonij vsui præstat, & Deo placet absq; omni etiam mandato.

Hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor. Luc. 2. E. 36.

36. *Accuratè exprimit Euangelista Beatam istā prophetissam in omni statu ac gradu vocationis suæ, castissimam vitam egisse. Antequam matrimonio iungeretur castissimè vixit. Hoc est quod dicit:* Vixerat cum viro suo annis septem à Virginitate sua. *Nempè, inquit, à Virginitate (vera scilicet & quā Euangelista ex Spiritu S. scribens tali nomine dignā censeat) coniugiū inijt. Similiter coniugalem castimoniam syncere seruauit. Hoc enim est* 36.

Anna Prophetissa in omni gradu castitatis exercitata.

virum, omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius. *(cum quo scilicet solis annis tribus & mensibus sex religiosè conuixerat. Iud. 8.) Et quidem id vsq; ad extremam vitæ suæ ætatem* : Mansit autem, *inquit*, in domo viri sui annis centum quinque. *Ecce & verè viduam & longißimè viduam. Sed qua id ratione præstare & ipsa potuit? Docet id alibi Spiritus Sanctus* : Et in superioribus domus suæ, *inquiens*, fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, prȩter festa domus Israël. *Talem igitur ineant vitæ suæ rationē etiam hodie, quicunq; in castimoniæ pugna difficultatem sentiunt, & facilis ijs erit victoria. Nam alioqui de viduis aliter mores instituentibus suos, meritò asserit Paulus quod* : Quæ in delicijs est, viuens mortua est. *Cum contra idem ibidem ad imitationem istarum, quas diximus omnes dirigat* : Quæ, *inquiens*, verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet orationibus & obsecrationibus nocte & die. *Iud. 8. A.* *1. Tim. 5. 6.*

Dicet quis forte : Ne Ministri quidem negant, poßibilem esse castitatem, sed dono ex Dei duntaxat. Id vero non omnibus esse collatum ℞ : ne nos quidē dubitamus, cum sapiente dicere, neminem posse esse continentem nisi Deus dederit, nec omnes capere verbum tale, nisi quibus sit datum. *Sed illud addimus, hoc ipsum donum Dei omnibus* Castitatis donum datur à Deo cuiuis legitimè id quærenti. *Sap. 8. 21. Matth 19. B. 11.*

mnibus propositum esse vt accipiant, si legitimè id quærant à Deo, petantq; prout Beatissima ista Anna id quæsiuit, & Iuditha, & similes. Neq; enim vlla carnis contra spiritum rebelliones tantæ esse in homine possunt, quæ nō ieiunijs continuis atq; orationibus tandem sopiantur: cum Ministri in talibus nullum remedium agnoscant aliud, præter solos Matrimonij complexus.

37. Castitatis studiū quomodo in Ecclesia cum Matrimonio comparetur.

37. 2. *Quæri inde solet de Castitate, an præstet Matrimonio? Id vero dum quæritur, non illa comparatio fit, vt Matrimonij mysterium in se ipso (quod indissolubili vinculo mutuæ fidei positum est, quodq; in nouo Testamento vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ factum est,) cum continentia conferatur. Neque enim ea inter se opponuntur, cum simul consistere queant, vt ex hoc ipso Euangelio patet in castissimis coniugibus Maria & Iosepho, inter quos & matrimonium erat verum, & syncerissima nihilominus integritatis obseruatio: Sed vsus Matrimonij comparatur cum studio seruanda castitatis; Et status consequenter Matrimonij ordinarius, cum statu quouis Christiani cælibatus.*

Castitatis studiū; Matrimonio præstat. 1. Cor. 7.

Est verò communis hic opinio Ministrorum, nihil esse præclarius in omni re Christiana, Matrimonij statu. Sed longè alia sententia est Sancti Pauli ad Corinthios scribentis, & Ecclesiæ inde Catholicæ totius, patrumq; omnium orthodoxorum antiquorum; qui vnanimi consensu longè præstare continentiam docent. Idque omni iure, vt ex hoc ipso Euangelio satis clarè colligi potest, non solum ex castissimis

stissimis Christi parentibus, Maria & Iosepho; quos solos propterea sibi Christus ex omni rerum natura in parentes elegit, Mariam quidem in matrem germanam, Iosephum vero in nutritium patrem: sed & ex ipso Annæ prophetissæ huius exemplo. Describit in ea accuratissimè Euangelista, & tempus tam diuturnæ viduitatis, & studium in ea singulare, ac perpetuum castitatis. Quo id fine putamus? Non alio certè quam vt ei, tanquam testi singulari natiuitatis Christi, inde etiam authoritatem conciliaret. Id ipsum igitur, quod Matrimonio, tam & cito, & longè, & perpetim abstinuerit, tanquam præclarum quid, & maximè decens Dei famulam prophetissam commemorat: non minus, quam alia illa de perpetuis eius ieiunijs, & orationibus, & in templo excubationibus nocte & die. Ergò præstantius id quiddam altero. Inaniter enim vtiq; si in nullo præstaret, ita ad amussim id fuisset annotatum. Idem iudicium de Iuditha vidua est, de qua simillima sacræ literæ, vt vidimus, describunt. Anna castissima.

38. 3. *Quæri solet. An citra præceptum Dei expressum, perpetuæ continentiæ studium suscipi poßit, prout id Sacerdotes nostri omnes, ac religiosi suscipiunt. Et censent communiter omnes Ministri, institutum tale omne, & superstitiosum esse, & temerarium: ideoq; etiam licitum cuiuis, qui id suscepisset, si se vri sentiat, titillatione aliqua in contrarium, ad nuptias transire, eo quod* melius *videatur* nubere quam vri. 1. Cor. 7. 9.

At exemplum Sanctissimæ viduæ huius,

 contra-

Castitatis perpetuæ seruandæ studium etiā absque præcepto laudabile est.

contrarium docet. Nam eam quidem, certò ac destinato consilio iam inde à morte mariti perpetuam hanc obseruationem sibi indixisse, satis ex ipsa istatā & graui, & pertinaci contentione seruandæ castitatis constat. Eius enim rei gratia, & communem habitandi rationem suam, ab hominum reliquorum consortio vulgari seiunctam, ad vnius templi Dominici limina astrinxerat. Vnde dicitur nunquam discessisse à templo. *(Tales enim fuisse quondam circa templum Dei mulieres, & historia præsentationis Beatissimæ Virginis clarè docet, & exemplum antiquissimum mulierum, de quibus in libris Regum, ad tabernaculum excubantium licet ea tempestate nequiter) & omnem præterea illam, tam rigidam viuendi rationem, in tot ieiunijs, precibus, vigilijsq; assumpserat. Id quod ipsa ratio cuiuis dictat, rem totā exactius consideranti.*

1.Reg.2. F.

Anna absq; Dei mandato mansit vidua perpetuo.

Et tamen totum id, absq; omni Dei certo mandato. Neque enim alium decalogum legemué Moysi, ipsa habuit, quam plebs reliqua tota, cui tamen nullum prorsus vspiam tale impositum fuit onus. Nec verò propterea humanam fragilitatem deposuerat, carnemq; Spiritui reluctantem ac recalcitrantem; vnde dubitare possimus an etiam ipsa aliquādo pruritus naturales senserit, instituto illi suo repugnantes; sed non ideo statim à pio consilio suo resilijt, atque ad nuptias confugit, verum castigauit *cum Paulo,* corpus suum, & in seruitutem *Spiritus, vt videmus,* redegit, *sicq; tandem absq; omni Matrimonij vsu victoriam castimoniæ perpetuam re-*

1.Cor.9.27

am re-

am reportauit. Simile quid præstitit, vti docuimus, etiam nobilißima illa Iuditha. Simile quid imitentur omnes pij, ac Deo semel deuoti ad castitatem suam seruandam, & similem, victoriæ coronam assequentur æquè & ipsi, similemq; castimoniæ laudē absq; omni licet expresso mandato legis. 1. Tim. 5.

Quintus Locus.

Ieiunandi studium, gratum continet obsequium Deo, etiam dum sponte ac sine præcepto suscipitur.

Ieiunijs seruiens nocte ac die. Luc. 2. F, 37.

39. C*Irca Ieiunia, obseruat locum Stapletonius in suo Catholico n. 2. de præsenti, quam ineptè Ministri è numero operum bonorum ad diuini cultus rationem spectantium, ea excludunt. Quod tamen & Melanchton & Caluinus expressè conantur. Ille quidem:* Error, *inquiens,* perniciosus est, ieiunia & similes, ασκησεισ esse bona opera & cultus Dei. *Hic verò:* Alterum, *(inquiens)* malum summopere cauendu m est, de ieiunio loquendo, ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus censeatur. 39. In Ieiunio negant Ministri cultū esse Dei. Mel: in loc: com: tit. de Ceremon: 4. insti. c. 12. n. 19.

Docent verò talia ex duplici capite. 1. quia præceptum Dei non habeat Ieiunium, 2. quia non ipsum bonum esse opus, contendunt, sed tantum medium ad alterum opus, quod bonum est (orationem

ſcilicet) ritè peragendum. Sed bene reſpondet ad vtraq; iſta Stapleton. Vide apud ipſum hæc accuratè ſatis tractata.

Hic nobis ſatis ſit innuere primum, vtrumq; hoc, ex ipſo iſto Annæ exemplo ſatis clarè oſtendi, inanè eſſe. Nam quod ad præceptum attinet, quod vrgent aduerſarij: ſi ieiunium præceptum non habet; non ſolum ſecundum ipſos, medium quid cenſendum non erit, ſed & peccatum expreſſum, ſi propter Deum colendum ſuſcipiatur. Omnis enim talis deuotio, mera illis ſuperſtitio eſt, quam à Paulo ἐθελοθρησκείαν *nomine damnatum ad Coloſſenſes aſſerunt. At verò & B. Anna iſthæc, & Euangeliſta Annam propterea nominatim commendans, manifeſto contrariũ demonſtrant. Abſque omni enim præcepto legis, tantum ieiunabat illa. Nam in lege quidem, ſi tale quid mandatum fuiſſet: omnes ſimul Iſraëlitæ, æquè ad ſimilia fuiſſent ſtudia obligati.*

Coloſ. 2. 23.

Anna ieiunauit continuo, abſque præcepto.

Quod vero etiam ad cultum Dei attinet, ſatis intelligimus, non alio fine eam ſuſcepiſſe tot ieiunia, quam vt gratum ijs Deo obſequium præſtaret. Itaque non ſolum vtitur illo hic græco verbo Lucas, ieiunia eius deſcribens, quod propriè cultum Latriæ ſiue Deo debitum ſolet deſignare: λατρεύουσα νηστείαις καὶ δεήσεσι *hoc eſt,* ſeruiens ieiunijs & orationibus, *ſcilicet Deo: ſed & in vna eademq; ſerie operum piorum omnia iſta ponit; tot ſcilicet annis vixiſſe caſtam viduam, nunquam à templo diſceßiſſe, continuis orationibus & ieiunijs inſtitiſſe,*

Anna ieiunauit ad cultũ Deo præſtandum.

institisse, propter cultum Dei. Atqui cætera illa grata sunt Deo obsequia ex ipso genere suo: ergo & ieiunia, si ritè fiant.

40 *Clariora porrò isthæc fient, si ieiunium Christi diuturnum, vnaque Sancti Ioannis Baptistæ continuum illud, (de quo nos tam multa Dom. 2. Adu.) huc comparemus. Quo enim fine Christus tam asperum ieiunium tot hebdomadum obiuit? An solũ vt orationi melius vacaret? At is finis 1. tam seuero minimè opus habuit ieiunio: satisfecisset ei æquè Christus, etiam quotidiè semel minimum cibum suum ordinarium sumendo. Deinde tota reliqua vita ad orandum nunquam opus habuit ieiunio tali: ergo ne tum quidem in deserto. Inanè igitur id totum, si ob eum solum finem susceptum. Imò extrema nocte, recta à cœna surgens deuotissimè in horto Getsamani absoluit preces suas. Quid autem minus quouis alio tempore potuisset? An vero vnquam vllo cibo impeditum in oratione sua Christum dicemus? Ergo alius finis fuit Ieiunij ipsius. Nempè vt ita gratam in corpore suo abstinentiæ hostiam offerret Patri. Eademq; consideratio etiam Ioannis est; qui austerissimum egit ieiunium,* neque manducans panem, nec bibens vinum. *Minimè certe tanta asperitas ad orandum ei necessaria erat. Poterat enim æquè orasse communi reliquorum Sanctorum omnium more ieiunans. Sed voluit præter orationem simul ita ex corpore suo hostiam gratam Deo & viuentem offerre.* 40.

Christus ieiunauit propter Dei cultum.

Ioannes ieiunauit propter cultum Dei.

Luc. 7. 33.

Denique castitatis studium, & in Anna, &

in pijs

In ieiunio & castitate, corpora nostra Deo hostiam offerimus.

Matth. 19. B. 12.

in pijs omnibus placet Deo; non solum propter orandi maiorem commoditatem: sed & quia castrat per illud homo ita seipsum, propter regnum Dei, vt Christus loquitur. Atqui sicut homo in genere voluptatum, ad sensum tactus spectantium, se castrat Deo, per castitatem: ita in genere voluptatum, ad sensum gustus pertinentium, se abnegat per ieiunium. Vna ergo eademq; cultus diuini ratio est in vtroque, neq; minus vnum placitum coram Deo atq; alterum: si vtrumq; æquali contentione ac ritè continuetur.

Locus sextus.

Orationes continuæ, statæ precum Ecclesiasticarum horæ, vigiliæ nocturnæ in templis & laudabiles sunt, & Deo placitæ.

Et obsecrationibus seruiens nocte ac die Luc. 2.

41. 41. Q*Vod ad orationis studium attinet, tria hic in Beatissima ista vidua commendantur. Vnum quod continuò orarit, alterum quod non dies solum sed noctes etiam in oratione posuerit, tertium quod id totum fecerit, non discedens à templo nocte & die. Meritò inde concludimus; hæc omnia in isto genere, grata accidere Deo. Quod si in singulis hominibus: multo magis in toto Ecclesiæ conuentu, ad quos vel omnes Christiani, vel certe Ecclesiæ Ministri conueniunt, nomine omnium. Semper enim*

quo

quo opus quoduis bonum à pluribus simul perficitur, eo, gratius accidit Deo. Id quod propterea etiam particulariter de orationis virtute asserit Dominus: Dico, *inquiens*, vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Hic ergo commoda occasio est de omni genere orationum & psalmorum Ecclesiasticorum disserendi. Ex in non paucis Ecclesiis ac Monasterijs Catholicis sunt propè continuæ, succedentibus sibi identidem varijs diuinis officijs inuicem. In talibus nimirum non disceditur à templo nocte ac die. Particulariter verò etiam cum Dauide,* media *surgitur* nocte, *multis in locis* ad confitendum Domino *in precibus Matutinis. Id quod potißimum fit in Religiosorum monasterijs, rite reformatis. Deniq; fiunt ista omnia in Christianis templis, prout paulò post fusius ista, insinuabimus. Singula verò hæc hic declarari possunt, quam meritò fiant, quamq; laudabiliter in Ecclesia, cum Hæretici ea propè omnia sustulerint, è suis conuentibus*

Math. 18. C. 19.

Orationes publicæ in Ecclesia.

Psal. 118. 62.

Ad primum porrò illud pertinet etiam septẽ Horarum canonicarum dispositio. Nam si laudabilißimum est continuò orare, cum Anna, siue vt Paulus loquitur, sine intermissione orare. *Proximum certè erit, quam frequentißimè id facere. Et reprehendi omninò non poterit cum Dauide* septies in die laudem canere. *Si quæras fortasse: vbi*

Horæ canonicæ in Ecclesia.

1. Thess. 5. D. 17.

Psal. 118. 164.

vbi talia singulariter & expresse singula mandata? ℞ *ibidem vnde Sanctissima ista prophetissa Anna ea legerat* in lege *scilicet* perfectæ libertatis, scripta per Spiritum Sanctum in corde Ecclesiæ
Iere. 31. F. Hebr. 8. C. Heb. 18. C. *omniumq́; piorum Dei seruorum. Nam ibi quoq; ac proprie quidem inscriptam Dei inueniri legem, non semel monet Spiritus Sanctus.*

Septimus Locus.

Lutherus cum Comministris suis, totus contrarius existens studijs veræ Prophetissæ Dei Annæ in Continentiæ studio ieiunijs, orationibus, vigilijs, templorum cultu; veri Dei Prophetæ esse non possunt.

Et erat Anna prophetissa &c. Luc. 2. E. 36.

42. Annæ veræ Dei Prophetissæ cũ Luthero & cõministris eius comparatio.

42. D*Ignissima hic consideratione res videtur, attendere diligentius, qualem ex omni genere mulierum, Deus potissimum elegerit prophetissam, quæ prima esset sua Apostola testis, ac nuncia ad pias omnes reliquas mulieres, noui nati mundo Saluatoris; quæq; vna inter mulieres paucissimas post matrem Christi* benedictam, *digna foret, vt ritè etiam de facie agnosceret Christum in infantia sua.*

Cumq; hæc ita expenderimus, simul attendere, quales potissimi fuerint seculo hoc nostro primi illi, si dijs

ſi dijs placet, Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ nonorum Euangeliſmorum, Lutherus inquam, Zuinglius Oecolampadius, &c. quam inquam ab illa differentes, imo quam tota diametro contrarij, vt vel inde ritè æſtimemus, à quo Spiritu iſti prodierint: ab eodem né, an à contrario illi, qui Annam beatiſſimam ſibi primus hic elegit.

Anna hæc Beata, cum pro more veteris legis ſubterfugere non potuiſſet, caſtum Matrimonij iugum. Simul ac illud ſemel ſubijt, ac morte viri indeſoluta fuit, mox totam ſe ad perpetuam vitæ caſtimoniam colendam contulit; & quidem ſynceriſſimè, vt vidimus, & ſummo animi ſtudio & laborioſiſſimè, & longiſſimè. Contra è diametro Lutherus, cum coapoſtatis Monachis ac Sacerdotibus ſuis, cum antea ſuaue Chriſti iugum perpetuæ continentiæ ſponte in Eccleſia ſuſcepiſſent; ſimul ac vrgeri cæpêre nouorum Euangeliſmorum iſtorum Spiritu, mox omnem illam primam fidem Deo datam irritam fecêre, *atque ementito Matrimonij nomine, in perpetuos, amplexus mulierum, etiam Deo ſacratarum, toto impetu animi & corporis ruêre. Nec ſolum talia fecêre ipſi, ſed toti mundo ſimul authores fuêre (quantum in ipſis erat) vt ſimilia tentarent.*

Prophetiſſa Anna ſtudium perpetuæ caſtitatis coluit.

Lutherus cum ſocijs omne ſtudiũ perpetuæ caſtitatis proculcauit.

1. *Tim.* 5. 8.

Anna Ieiuniorum mortificationem perpetuam & ſponte ſuſcepit, & patienter geſſit in corpore ſuo, vſque ad ætatem extremam ſuam. Lutherus cum ſuis ieiunia omnia, tam præceptis Eccleſiæ ſerijs iniuncta, quam votis etiam religionum particu-

Prophetiſſa Anna Ieiunauit continuo.

Luther᷒ cũ ſocijs omne Ieiunium à ſuis elimirauit.

laribus

laribus confirmata; simul, ac agitari Euangelismis suis capère, reiecerunt penitus, Bachanalia inde
Luc.16. E. perpetua viuentes, & quantum in ipsis erat, epulantes cum diuite illo continuo. Sed nec in iis quidem terminis constitêre; verum toti mundo idem omni contentione obtrudere, omni colore persuadere conati fuêrunt, sustuleruntq; adeò apud credentes suos omne Ieiunium Christianum, verum inquam ac corporale, nullum iam nisi Methaphoricum ieiuniū, à vitiis agnoscentes.

Anna prophetissa noctes in oratione peruigiles egit.

Anna orationibus continuis inuigilauit, noctes & dies, quantum quidem humana fragilitas id ferebat; nec cessauit iis à pietatis exercitiis in decrepita iam ætate sua; Et quidem in templo Dei, id totum maximè. Lutherus cum suis, qui antea septies minimum in die pro more Ecclesiæ, laudes Deo in canonicis officiis, & solebant dicere Deo, & ex vocatione sua tenebantur, idque maximè in templis Dei: postmodum vt fierent idonei Euangelismorum suorum Ministri, eadem studia non solum neglexêre ipsi sed & ex Ecclesiis suis passim omnibus sustulêre. Nocturnas præsertim vigilias, ad orandum omnes ita exterminauere, vt iam vbi maximè vrgent Euangelismi ipsorum, ne duas quidem illas noctes (quæ omnibus retro seculis sacrosanctæ fuêre piis omnibus, ita vt sine piaculo vigilias earū negligere neminem posse crederetur) Natiuitatis inquam Dominicæ ac Resurrectionis, intactas à prophanatione ea reliquerint. Stertunt eas quoq; noctes credentes ipsorum, passim securi totas & Euangelismis suis indulgent.

Luther⁹ cū socijs ōnes vigilias Ecclesiæ sustulit.

Vigiliæ Natiuitatis & Paschæ sacrosanctæ sunt habitæ.

Anna

Anna in templis potissimum Deo vacabat, & orationi. Lutherus cum suis templa omnia, quæ saltem concionibus non essent necessaria, magna audacia sustulêre. Anna Prophetissa templa coluit. Lutherus ea prophanauit.

Anna deniq; in illis suis studijs omnibus, & vera Dei Prophetissa fuit, prout hic à Spiritu sancto vocatur, & nominatim à singulis ijs, quæ memorauimus commendatur ab Euangelista, tanquã ijs ipsis contestata facta ac confirmata coram Ecclesia, prophetica ipsius missione. Lutherus igitur cum suis, contrario ductus Spiritu per omnia an verus Dei Propheta? Quæ vero participatio, *ait Paulus*, iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Anna Prophetissa & Lutherus propheta toti contrarij. 2.Cor.6.14

Octauus Locus.

Templorum vsus legitimus est, in omni pio Sacrificiorum & officiorum diuinorum cultu non in prædicatione sola.

Non discedebat à templo &c. Lucæ 2.

43. NOtum erat *iam in antiquo testamento, omni in loco verè præsentem esse, adeoq; cœlum implere simul ac terram maiestate ac præsentia sua Deum: ideoq; etiam* propè esse omnibus inuocantibus eum, modo in veritate, *vndiq; & vbicunq;* 43. Deus vbiq; orantes exaudit. Isai 6.B.3. Hier.23.24. Psal.140. D.18.

cunq; inuocaretur; neq; minus exauditas fuisse preces Danielis in media Babylone inter ipsos adeò medios leones; itemq; Ionam prophetam in medio ventre balænæ: quam Salomonem in ipsis adytis templi. Intellexerat verò hæc eadem sine dubio, etiam Beata ista vidua, vt pote prophetissa Domini; & tamen minimè contenta est domestica sua eo in genere quiete, atq; ad orandum commoditate; sed templum quærit, & ita quærit, vt etiam habitationem suam ei proximam constituat, vt ita & nocturnas suas & diurnas commodius expleat deuotiones. Docet inde Ecclesia Catholica etiam modo, licet omnis oratio, dum debite fiat, Deo grata sit & efficax in genere suo; etiam quæ in secretissimo fiat priuatæ domus cubiculo; tamen laudabilius semper & salubrius esse, dum fieri potest, si in publicis Dei domibus preces fundantur. 1. Quia loca talia in hunc ipsum finem Deo dicata, ac certa precum piarum, & publicarum consecratione sanctificata fuère. Nec dubium est (prout omnia, quæ Deo pia deuotione offeruntur) pio itidem ac paterno affectu ab ipso suscepta. Vnde de similibus domibus particulariter Christus. Domus *inquens* mea, domus orationis vocabitur. *Ibi igitur is qui omnia implet, quiq; omnibus inest & adest creaturis intime: particulariter etiam acceptat pia obsequia sibi præstita, tanquam in domo sua.* 2. *Quia semper plurium ibi coniugitur deuotio, quam in priuatis ædibus fiat. Multorum vero simul efficacissima est oratio, vt paulo ante diximus, n. 41.* 3. *Propter ipsas publicas Ec-*

Dan: 6. Ion. 2. 3. 3. Reg. 8.

Anna tamẽ in tẽplo Dei maluit orare quam alibi.

Oratio quæ fit in tẽplis, præstat cuiuis alteri cõmuniter.

1.

Lu. 19. 46.

2.

3.

ras Ecclesiæ preces, ac sacrificia, quæ in ijs perficiuntur. Quas quidem pijssima ista prophetissa, suo tempore iuxta ritum antiqui testamenti celebrata, potissimum videtur sectata, vt particeps ita fieret omnium publicorum obsequiorum Dei, & modo ob eandem causam sectantur pij omnes, iuxta Ecclesiæ Catholicæ ritum administrata.

Propria hic occasio est de vero ac Catholico ritu templorum in Ecclesia agendi: nempè eum esse, vt orationum publicarum, & sacrificiorum cultus syncerè Deo offeratur. Non vero vt Lutherus cum suis docuêre, qui cum vnam fidem nimium hyperbolicè vbiq; extollant, inde eo tandem etiam in isto articulo templorum descendêre, vt ea nullis alijs vsibus necessaria docerent, quam verbi diuini prædicationi, qua fides Christiana ritè formaretur. Patet hæc ipsorum doctrina, ex ipsa experientia. Ideo enim passim vbi plura in ijsdem ciuitatibus templa inuenêre, ac monasteria, quam concionibus vsitatis ipsorum essent necessaria, ea omnia sustulerunt, & in prophanos vsus conuerterunt. Sed & ex insigni illa Bibliorum deprauatione à Luthero in sua Germanica versione admissa, qua passim etiam ipsa Altaria, aliaué pia loca certa pridem à Patriarchis ad orandum & sacrificandum in ijs Deo erecta, in Cõcionum tantum vsum erecta etiam cum textus ipsius manifesta inuersione affirmat, idem clarissimè colligitur. Nam vbi scriptura ex Sancti Spiritus dictamine testatur, pios antiquos patres ad altaria, aliaué loca Deo dicata inuocasse nomen Domini: impius iste

Verus vsus templorum est in oratione & sacrificijs potissimum.

Luther' cur templa sustulerit.

Lutherus Biblia corrumpit.

pius iste verbum inuocandi transmutat in nudam prædicationem. Ita Gen. 13. A. 3. vbi de Abraham dicitur, quod ad altare in Bethel rediens: inuocauit ibi nomen Domini (*ibi inquam, id est, ad ipsum altare*) *Lutherus vertit.* Vnnd er prediget alda den namen des herren/ *hoc est: concionatus ibi fuit nomen Domini. Ita de eodem Gen. 21. D. 33. dicitur quod* plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini. *Lutherus similiter vertit:* vnnd prediget daselbst von dem namen des herren, *id est concionatus fuit ibi de nomine Domini. Sed & quod Gen. 4. D. 26. dicitur de Enos, quod cœperit inuocare nomen Domini æquè* in predigen *peruertit &c.*

Inuocare nomen Domini, interpretatur: concionari. &c.

Locus nonus & decimus.

Benedictiones Sacerdotales, merito magni fiunt in Ecclesia.

Et benedixit illis Simeon. Luc. 2. E. 34.

44. 44. D*Vm homo homini, vel creaturæ cuiuis Dei nomine benedicit, dicit B. Paulus dubium non esse, quin id, quod minus est, à meliore benedicatur. Vnde & infert, Sacerdotem Melchisedech, quia Abrahamo benedixisse in scripturis legitur, ipso etiam maiorem fuisse. Et Simeon igitur, qui parentibus Christi hic benedixit, maior illis fuit. Ad id de sanctitate intelligi nequit: (neque enim quisquam omnium ho-*

Simeon senex Sacerdos Domini. *Heb. 7. B 7. Gen. 14. D.*

um hominum sanctior Maria, purus homo ipse) de officio igitur accipiendum. Colligimus *itaq; inde Sacerdotem Dei fuisse Simeonem, & ita ex officio Sacerdotali ijs benedixisse. Id quod ex altero etiam illo capite, non iniuria concludimus, quod primum hunc adesse videamus, qui oblationem matris, qua filium primogenitum in templo offerrebat Deo, acceptet, & in vlnis suis aliquamdiu foueat. Nam omnem quidem oblationem, quæ in templo olim fiebat Deo, per manus Sacerdotum peragi debuisse clarius est, quam vt probatione egeat. Vide Paulum ad Hebræos 5.* Hebr. 5. A.

Omnis porrò benedictio talis, nihil est aliud, quam imprecatio quædam pia, qua Sacerdos fœlicia omnia simul & exoptat ei cui fit & à Deo precatur. Commoda hic igitur occasio datur de vario genere benedictionum Sacerdotalium in Ecclesia consuetarum agere, siue hominibus benedicatur, siue creaturis varijs in vsum hominum, vt puta aquæ, igni, herbis. &c. Habet enim sine dubio vim magnam in Ecclesia Benedictio, quia non est simplex boni imprecatio (qualis ab vnoquoq; hominum alteri fieri potest, etiam ab infimo longè maiori se, imo maximo, quo in sensu de pauperibus nudis, quos ex misericordia vestierit aliquando Iob dicit: Si non benedixerunt mihi latera eius *) sed longe magis ex officio ipso, & vocatione Sacerdotali, qua* omnis Sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum. *Vnde quidam etiam nomine Ecclesiæ*

Benedictio Sacerdotalis merito magni fit in Ecclesia.

Iob. 30. 20.

Heb. 5. A. 1.

 totius

totius orat, dum duplicè ex officio orat, nec fieri potest, quin Deus, qui etiam quemuis priuatum syncere precantem exaudit semper, dum rite precatur, prout promisit: pia huiuscemodi vota misericorditer admittat, ac rata habeat.

Resurrectio spiritualis veram animæ renouationem coram Deo continet.

In resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2. E. 34.

Resurrectio Spiritualis.

NOtat Stapletonius in suo Catholico, circa locum hunc hæc verba de vera spirituali animæ nostræ per iustificationis gratiam innouatione, qua nomine Resurrectionis hic significatur accipienda; cum Ministri nullam aliam veram iustificationis gratiam agnoscant, quam non imputari nobis peccata, vere licet manentia. Tractat porrò eum locum fusius idem Stapl: in suo prõptuario Morali de præsenti. n. 3.

Signum Crucis signum est cui contradicatur.

In signum cui contradicetur. Luc.

Signũ Crucis illud est cui contradicitur.

APplicat hæc Stapletonius in Cathol. particulariter ad signum Crucis, vsitatissimum in antiqua Ecclesia. Nam in eo potissimum exercitatam contradictionem omnium hostium Christi. Eademq; occasione fusius docet, meritò omni in honore habendum à piis signum istud. Vide apud ipsum.

DOMI-

* * *

DOMINICA Quinquagesimæ.

Euan: Luc. 18. Prædicit passionem suam Christus & cæcum curat.

DISCVRSVS VNICVS in Euangelium.

IN illo tempore, Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos secretó, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint occident eum, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebātur. Factum est autem, cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans: Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant increpabant eum, vt taceret: ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem

Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. Et dixit illi Iesus: respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

Docetur, quæ sit propria fidei in Christum vis atq; operatio, quamq; eam penitus exinanierint deprauauerintq; Euangelismis suis Ministri.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

1. DE fide hic agimus, atque illud propriè quærimus quid ea ac quomodo operetur in salute nobis conferenda, (id quod sæpè in scripturis ei tribuitur) quamque grauiter ista deprauarint Ministri.

2. Ac solius quidem Dei est saluare efficienter; & fides tamen etiam saluare dicitur, quia nos dispositos
3. paulatim reddit saluti. Vt enim qui extra fidem est, ab omni salute reuera remotissimus est, ita contra qui iam fidem habet, longè propior saluti est factus.

4. 27. 28. 29. Disponit autem nos quintupliciter saluti fides. Nam & ipsa iam fides vera, inchoata est quædam animæ salus, & prima quædam ad Deum conuersio, & to
5. tius salutis adipiscendę certa directio, & sementis quędam etiam, vigore suo reliquæ salutis, embrioni simi
6. 32. lis, ad perfectum partum comparato, & denique dum Deum insigniter obedientia sua partim, partim Maiestatis eius professione honorat, etiam ipsa vicissim Deum sibi non parum propensum reddit, ad plenam salutem conferendam.

Itaque

Itaque cum tantum habeat præ alijs virtutibus 7. 30.
hic fides, meritò ipsi præ alijs etiam salus ipsa adscribitur: licet non sola ipsa, sed etiam aliæ nos eidem disponant virtutes, singulæ pro parte sua. Sed tum tamen 8.
maximè ei salus tribuitur, quando de ijs agitur, qui nouiter ad Christi salutem conuertuntur.

Saluare verò dicitur fides formaliter quidē, quo 9.
ad initium sanitatis, quod animæ adfert: sed & propter omnem illam quam diximus dispositionem, maximeque ob sementiuam illam vim, quam continet ad excitandos animos, vt salutem suam ritè persequantur. Plenè tamen non saluat, nisi post quam per Cha- 10.
ritatem informata fuerit, siue facta operans.

Videre quid simile in cæci istius Euangelici sana- 11.
tione est, in corpore. Longè enim is etiam ante habuit fidem in Christum Messiam, nec ante tamen fide sua sanus factus est quam occasione accepta, ea in plenam operationem ad Christi gratiam sibi conciliandam effloruisset. Sed & Christus ipse propterea licet 12
sæpius salutem fidei tribuat, nunquam tamen dicit quod fides sola saluet, nunquā aliter, quā fides tua &c.

Et hæc quidem veritas Catholica est. Contra 13.
Ministri cum vnici videri velint fidei precones, vni fidei totam etiam salutem asscribentes; tamen maximè fidei vim omnem hic labefactant. Eo ipso enim quo 14. 15.
solam fidem saluare dicunt, nil quidem eorum omnium quinque, ob quæ nos eam saluare diximus, in operationem salutis, in fide admittere possunt: Sed tan- 16.
dem ad simplicem relationem referunt omnia, vt ita nos saluet fides, mere gratis salutem oblatam à Deo acceptans, sicut manus mendicum beat, Eleęmosynā oblatam excipiens.

Nec possunt aliter si sibi constare debeant. At 17. 18. 29. 33
id inanissimum est totum: Tum quia id præhensare iubent fidem, quod nusquam est, promissiones scilicet, absque operum conditione. Tum quia neminem mendicantem manus beare dicitur, sicut fides saluare. Nec

imputatur cuiquam manus extensa in Eleemosynam, sicut fides ipsa nobis in salutem.

19. Eo ipso igitur Ministri & fidei virtutem alioqui eximiam, sed non alio, quam Deus constituit, modo nos saluantem, in tam alienum vsum deflectentes, inanem mundo reddidere, & illusionem simul non ludi-
20. cram solum, sed & damnosam, imò perniciosissimam inuexere, loco salutis. meros ventos suos captare do-
21. centes, & somnia. Fugiendi igitur meritò omnibus.
22. Sed & ipsi meritò resipiscant, qui se in tantis corruptelis, non risu solum, aut compassione dignos reddidêre, vt potè fumos prehensantes, ac cæcis, mendi-
23. cis phreneticis similes sed & extremè detestandos, vt qui ipsum lignum vitæ mundo vitiarint, dupliciter, decies cæco qui in Euangelio describitur infæliciores.
24. Ad extremum discant hinc pij omnes, & qui salutem desiderant æternam, se iam & initium eius habere, in sese, & germen preciosum, dum fidem habent Ca-
25. tholicam. Cooperentur igitur. Nam qui ociosam eã habent, interim solatia peccatorum à creaturis men-
26. dicantes; & infælices sunt nimis & stultissimi mendici, nisi in tempore resipiscant.

Sequitur discursus ipse.

THEMA.

Respice fides tua te saluum fecit. Luc. 18.

De propria fidei in Christum virtute atq; efficacia disputandum.

1. De propria Fidei virtute hic agendũ.

1. O*Ccasione cæci huius in Euangelio cuius fidei tribuitur à Christo, quod visum diuinitus recc-perit: proprius hic locus est, de propria fidei virtu-*

te &

te & efficacia in rebus salutis agere, eamq; accuratius explicare. Agendum autem id eo etiam diligentius, quo & frequentius in Euangelijs similis loquendi phrasis, de fidei saluatione occurit; & audacius se hic efferunt Ministri, primos se esse iactantes, qui fidei suam vim & energiam propriam, hoc sæculo, quasi pridem extinctam, restituerint; & ipsa deniq; res latius patet, ac maioris in se momenti est.

Frequens sane per annum mentio in Euangelijs fidei simillima ei quæ in hoc Euangelio occurrit. Ita primum in Dominica præsenti, ita in Euangelio de leprosis curatis. Vbi Surge inquit Christus vni ex illis, & vade, fides tua te saluum fecit. Ita in alio de Paralytico quodam. Videns fidem illorum dixit paralytico, Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Ita in alio de Emorrhoissa: Confide filia fides tua te saluam fecit. Ita in festo Magdalenæ, Fides tua te saluam fecit vade in pace. Deniq; quantum ex his videre est, & de animarum restituta sanitate loquens, ea phrasi vtitur Dominus, vt fidei eam tribuat, quod in Maria Magdalena & paralytico factum: & de corporum curatione, quod in reliquis. Ministri vero sæculi nostri, quantum de illustrata fidei virtute ac doctrina sibi plaudant, superuacaneum est multis astruere, cum nihil sit in toto nouo Euangelismo maius, & quò æquè glorientur, quodq; æquè prædicent, quam fidem vt quæ sola illis propriè iam faciat omnia quæ totam inquam salutem in ijs sola operetur.

Frequenter Fidei tribuitur salus.
Luc. 17. 19. Domin: 13. penth.
Matt. 9. 2. Domin. 18. Pent.
Mat. 9. 22 Domin: 18. Pent.
Matt. 9. 22.
Luc. 7. 50

Porro

Porro quanti res ista momenti sit, æquè clarum est; cum ex vna fidei natura ac virtute propria; & tota pendeat salutis nostræ operatio, si rite exerceatur; & plurimarum simul huius seculi controuersiarum, & maximarum decisio atq; intelligentia, si ritè intelligatur.

Primum autem hic ipsam germanam verborum Christi (Fides tua te saluum fecit) sententiā, siue Catholicam de genuina fidei in rebus salutis efficacia atq; operatione, veritatem inquiremus, eamq; simul explicabimus confirmabimusq;. Exinde ostendemus, quam inaniter sibi de fide restituta blandiantur Ministri nostri, cum omnem fidei virtutem penitus eneruauerint, ac vix quicquam suis sibiq; ipsis, præter nudam, & quæ in solis verbis est, virtutis fidei iactationem, reliquam fecerint.

Fides saluat disponendo ad salutem cum omnis saluandi virtus in Christo sit efficienter.

2\. Efficiētia salutis proprie in Christo, non in Fide.

2\. *QVod ad primum attinet, dum fidei scriptura tribuit quod saluum quenquam vel à corporis malis, vel ab animæ infirmitatibus faciat; id sine dubio, non de vi aliqua efficiendi Physica intelligit, quasi similem aliquam habeat fides in se saluandi virtutem, prout ignis calefaciendi in se vim habet propriam, aut quæuis causa naturalis efficaciam effectus sui producendi. Tota enim talis vis saluandi, in sola omnipotenti Christi manu ac voluntate sita est:*

ta est: Ipse proprius ac verus Saluator animarum nostrarum, idem propriè is qui sanauit virtute sua, quotquot sanati corpore totis Euangelijs describuntur. Vnde nominatim quandoq; illud exprimitur, quod virtus de ipso exiuerit & sanarit omnes. Itaq; tum etiam cum diceret mulieri cuidam, quæ tactu fimbriæ ipsius sanata fuerat: Filia fides tua saluam te fecit, *vti ne id propria efficiendi virtute per fidem factum intelligeremus præmittit Dominus ipse:* Tetigit me aliquis, Nam ego noui virtutem de me exiuisse. Lu. 6. 19. Lu. 8. F.

Demonstrat idem experientia quotidiana. Saluum fecit cæcum istum in Euangelio fides, lumen ei etiam corporis restituendo; Saluos plures alios, ex varijs morbis, etiam corpore eos eripiendo, vti scriptura loquitur, & nos paulò ante ostendimus. Si sicut ignis vim calefaciendi sic in se ipsa talem haberet efficaciam fides; vbicunq; esset vera ac viua fides, eandem æquè haberet virtutem, prout ignis vbiq; æquè calefacit. At qui infiniti sunt cæci, & varijs alijs infirmitatibus obnoxij, & fuêre semper in Ecclesia, qui etiam cum omni fide sua, vel maxima verissimaq;, addita etiam obsecratione ad Christum continua, nil tamen similis vel experti sunt vel nunc experiuntur salutis. Nimirum quia alia voluntas Christi est, quæ omnis salutis fons & origo propria est, quæ quamdiu se non applicat ad saluandos tales, nihil potest omnino fides, quantumuis præstans illa in se sit & excellens virtus.

Consequitur hinc, quicquid fidei in hoc genere vir- In fide dispositio salutis.

re virtutis tribuitur, id non nisi in ordine ad Christum tribui posse. Saluare inquam nos ea, vel corpore vel animo dicetur, quatenus vel nos Christo disponit, soli Saluatori efficaci, vel Christum nobis, vt manum ille suam ad saluandos nos extendere dignetur. Atq; ita consequenter, quoniam illud hic quærimus, quomodo fides nos saluos facere dicatur, sequitur, id propriè nobis inquirendum, quid illud sit fidei, quod præstet nobis in ordine ad Christum, vt salutem nobis ille suam communicet. Vbi illud inuenerimus simul & legitimum sensum omnium similium scripturarum inueniemus. Simile quid & in omni alio quotidiano loquendi vsu intelligere datur. Scilicet quia ignis propriè est, qui genuinam igniendi & calefaciendi virtutem in se continet, solus propterea propriè accendere & ignire ligna dicitur; nec id tamen impedit, quo minus multis præterea aliis asscribamus ignem qui accensus est, puta vel siccitati lignorum, vnde ignem citius conceperint; vel instructori foci, quia ligna igni admouerit; vel auræ etiam flanti aut follibus, quia ignis feruorem excitauerint, quarum phrasium omnium veritas non aliunde æstimari potest, quam quod vel ligna igni, vel ignẽ lignis disposuerint in accensione.

Longissime abest á salute qui extra fidem est, contra fides saluti proximos constituit.

3. 3. Q*Værimus ergo quid sit illud, quod fides nobis præ-*

bis præstet, in ordine ad Christum, in ijs quæ salutis sunt, ita vt vere de ea dicatur Fides te saluum fecit? R. Id ex eo intelliges optimè, si hominem primum omnis fidei in Christum vere expertem, ob oculos tibi ponas, & quam longè is propterea à salute positus sit: indéq; eundem fide iam imbutum, quantoq; inde iam vicinior saluti factus sit, consideres.

Qualis homo sine Fide, in ijs quæ salutis.

Accipe Ethnicum quempiam & qui nil de Christo vnquam didicerit: is sine dubio remotissimus est à Salute Christi. Ei enim ne in mentem quidem veniet, cogitare quicquam salutis in Christo sibi repositum, nedum vt voluntatem applicet, ad salutem ab eo sibi exoptandam, aut vires reliquas animæ corporisué ad eam inquirendam. Talis neque spem vllam habebit in Christum, sicut enim Paulus bene argumentatur: Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt ita dicemus meritò & nos; Quomodo sperabunt in eum, quem prorsus ignorarunt? neq; vllo charitatis affectu erga eum feretur. Nam ignoti nulla cupido, nullus amor. Talis vt corde non credit ad iustitiam, ita nec ore confitebitur ad salutem, non baptizari quæret vt Christo regeneretur, non absolui à peccatis vt reconcilietur, non pasci corporis ac sanguinis Dominici Sacramento, vt vitam animæ spiritualem sibi tueatur. Deniq; totus vt à Christo, ita ab omni salute Christi alienus est.

Rom. 10. C. 14.

Iam vero pone eundem vera post modum fide in Christum ac plena imbui; eo ipso iam & ipsum Christo maximè dispositum ad salutem excipiendam, & ipsi

Qualis homo Fide iã accepta in rebus salutis.

& ipsi Christum, ad eam tribuendam posueris. Eo ipso enim non solum Christum ipsum, sed & omnia Christi ritè didicisse fatebere. Sciet omnipotentem esse, Christo vt Deo Saluatori, ad saluandum ma-
Ioan. 1. 5. *num,* vt per quem omnia facta sint, & sine quo factum est nihil, quod factum est. *Sciet*
Heb. 4. 13. *nullam creaturam* esse inuisibilem in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta esse oculis eius. *Sciet nihil æquè in optatis esse illi, quam vt suam nobis salutem communicet, vt qui propter eum finem in mundum venerit, ac grauissima quæq; sit passus. Et posse ergo, & scire, & velle saluare Christum sciet. Deniq; sciet etiam quibus medijs saluare velit, baptismo inquam, pœnitentia, vario aliorum Sacramentorum vsu, & similibus: quaq; ipse se ratione in singulis ijs componere debeat, vt ritè ad ea dispositus censeatur.*

Hæc inquam omnia talis iam fidelis habet, & quidem ex ipsa fidei ratione, & operatione propria
Heb. 11. 1. *habet.* Est enim fides *vt Apostolus definit* sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Substantia *inquam siue hypostasis ac fundamentum omnium eorum, quæ à Deo sperari possunt, debentuè,* & argumentum *siue certa intellectus conclusio, conuictioué ad diuina omnia, etiamsi in se obscurissima & longè ab euidentia nostra posita, credenda amplectendaq;.*

Quintu-

Quintupliciter nos ſaluti diſponit fides, 1. quia ipſa iuſtitiæ Chriſtianæ initium eſt, 2. quia primus eſt ad Chriſtum accedendi gradus, 3. quia viam ſalutis totam pándit &c.

4. *IAm verò eo ipſo, quo tot ac talia quis in ſe habet fidei bona, ſimul maxima ad Chriſti gratiam & ſalutem conſequendam præſidia habet. Nam eo ipſo & initium iam habet ſalutis in ſeſe, & primum iam quendam ad Chriſtum, gradum præterea fecit, & apertam ſibi demonſtratamq́; viam reliquam ad Chriſti gratiam pleniorem habet, quin ad eandem etiam ductum quondam in ſe, & ſemen quoddam diuinum habet, per vrgens & ſtimulans, ad eam porrò conſectandam perquirendamq́;. Deniq; etiam ipſum ſibi Chriſtum, non parua iam ex parte, ad vlteriorem conferendam gratiam, habet conciliatum. Vnde illud conſequitur, vt modo talis ex parte ſua non refragetur, ſed obſecundet tantis ſalutis præſidiis, certam tandem ac plenam apud Chriſtum gratiam inueniat. Singula videamus.* 4.

Primum inquam habet iam talis in ſe (de ſpirituali animæ ſalute, in ſanitate animæ loquendo) initium ſalutis. Qui enim ante huiuſmodi fidem, tota anima ſua quo ad omnes eius partes, male ſanus ac deformatus erat Deo; iam bona parte ſui adiutus & curatus eſt: quia ſcilicet mente & intellectu iam ſanus factus, voluntate verò iam ſanari cœpit. Nam cum homo & corpore conſtet, & anima, ani-

Fides initium ſalutis ac iuſtitiæ Chriſtianæ.

ma, anima vero voluntate & intellectu, in vtraque anima parte fides vera suam reformationem inchoationis habet. Et in intellectu quidē potissimum.

Fides intellectum purgat.

Nam ex ipsa ratione sui, hoc proprium habet fides, vt intellectum sanet ac repurget Deo: quod praestat dum mētem ab omni errorum contaminatione purgatam, sana rerum diuinarum cognitione imbuit, exornatque, verumque ita efficitur illud quod scriptura

Act. 15. 9.

dicit: fide purificari à Deo corda nostra. Sicut enim lux subintrans obscura loca quaeuis, omnes tenebras ibi discutit, tollitque: ita omnem damnabilium errorum caliginem, ex animabus nostris diuinum hoc fidei lumen dispellit.

Simile.

Fidei voluntatis reformatio annexa.

Simul vero etiam voluntatis non modicam partem in Deum reducit. Neque enim haberi potest absque ipsa etiam voluntatis accessione fides. Nisi enim assentiri iubeat diuino verbo reuelanti voluntas, nunquam intellectus etiam conuictus, assensum prebebit Deo. Atque ita eo ipso iam etiam voluntatem Deo reformatam, ex parte quidem certe sistit Deo, paratam inquam obtemperare, seque ipsi subiicere, ad omnia saltim ea credenda, quae ipse illi credenda reuelauit. Magnum ergo omninò initium salutis, seu spiritualis animae sanitatis fides.

Similia.

Nam ita iam non illud solum habet in animae reformatione, qui fidem veram habet, quod haberet qui imaginem quampiam in se quidem pulcherrimam, sed foedè contaminatam totam, perpurgandam suscepisset, si ipsam iam imaginis faciem debite perpurgasset (ea facies in anima nostrae imagine, intelle-

intellectus est) sed & amplius, quod pictor ipse haberet, qui depicturus imaginem talem, & faciem ipsam iam depinxisset, & totum præterea reliquum corpus, primis quibusdam delineamentis ruditer adumbrasset. Ea rudimenta reliqua nos principium obediendi Deo, ex parte voluntatis, quo ad cætera omnia censemus. Talis enim pictor, si per ere velit, lineamentorum eorum ductum persequi, facile iam inde picturæ ipsius totius perfectionem assequitur. Eadem enim similitudo in anima nostra est, per fidem iam reformari cepta. Si pergere porrò homo velit naturalem diuini huius luminis ductum delineationemue persequi, ad voluntatis etiam ac reliquarum animæ nostræ facultatum, pleniorem reformationem per Christi gratiam in se procurandam; facile totus in anima sanus ac saluus reddetur.

Sicut enim tum quoduis membrum in corpore saluum esse dicitur, cum ipsum in debito sibi ordine collocatum, proprijs sibi functionibus aptum est; totum verum corpus tum sanum & integrum esse censetur, dum singula omnia membra suis sunt locis apte reposita, atq; integras suas facultates habent: ita & in anima in rebus diuinis vsu venit. Tum sana mens, & intellectus est Deo, dum sanam per fidem de rebus diuinis cognitionem habet, tum sana ipsa tota, cum & voluntas & reliquæ animæ facultates, suo singulæ in ordine, debitam erga Deum in functionibus suis reformationem acceperunt. Sanitas animæ in quo. Simile.

Secundo. Adhæc in ordine ad Christum, qui ante huiusmodi fidem, totus alienus erat à Christo, Fides prima ad Deũ conuersio.

fide habita eo ipso iam primum ingressum, & quasi accessum ad ipsum mente & cogitatione fecit, prout
Heb. 11. 9. *id à Paulo describitur:* Credere *inquit* oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. *Scilicet qui ante auersus totus à Christo, vt qui dorsum ei obuerterat per peccatum, non faciem, nunc primaria quadam sui parte, mente inquam & ratione, iam reuersus, atq; facie quadam animæ suæ in ipsum obuersus est. Qui ante extra omnem salutis viam positus, iam eo ipso, quia credidit, in eadem via repositus, primum gradum versus Christum fecit.*

Simile. *Similis est homo sine fide in rebus salutis erroni cuiuis per deuia oberranti, similis in densis Aegypti tenebris extra domum posito, ac ne ipsam quidem ianuam palpando attingere valenti: Dum enim fide imbuitur, eo ipso iam, & in viam restituitur ad Deum, & in ianua ipsa reponitur salutis.*

Fides totius salutis directio. *Deinde vero tertio, non hoc solum habet fidelis per fidem munus, sed eadem fide omnem simul necessariam directionem habet, ad progrediendum, quousq; plenam salutem consequatur. Lumen enim habet in se illud, de quo scriptura loquitur, quod*
Luc. 1. 19. *potens est* illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Scilicet qui antea in tenebris & ad omnem salutis inquisitionem cæcus,*
Simile. *prout iste in Euangelio, solis lumine priuatus, ad omnem vel peregrinationem, vel negociationem corporis, totus ineptus erat; vnde non per viam ambulasse*

bulasse sed secus viam sedisse hic describitur nec vllis vacasse negotijs. Sed soli mendicationi; fide habita iam videns factus, & itineri faciendo, & omni operationi salutis idoneus est redditus; prout iste in Euangelio confestim & vidisse & Christum secutus esse affirmatur.

Longè vero alia hac à proxima illa fidei in rebus salutis operatio est. Potest enim esse & in via iam regia positus homo, ad terminum eum quo tendit, & in ianua etiam eius, ad quam negociaturus pergebat, domum; tamen si vel cæcus sit ipse, & ductore careat, vel in mediis noctis tenebris cōstitutus nec sit qui lumen subministret; neq; terminum suum vnquam attinget, neq; negotia debitè perficiet. Fides vero ista hactenus in rebus salutis præstat omnia. Nam & in viam nos ac ianuam salutis inquirendæ operandæué reponit, & præterea ductū præstat, ac lumen ad perficienda porro ea omnia, quæ ad salutem eam perficiendam requirantur.

4. Fides sementiuam vim totius salutis continet.

5. N*Eque vero hac solum sed habet quarto etiam aliam quandam vim peculiarem fides, in ijs quæ salutis sunt, quam proximæ superioris Dominicæ Euangelium nobis graphicè ob oculos proposuit. Simile regnum cælorum ibi dicebatur semini, quod cadens in terram bonam sufficiens, in se ipso erat, ferre fructum etiam centuplum. Semen illud* 5.

verbum Dei erat, terra bona cor bonum, atq; optimum erat, primus vero seminis illius conceptus, & quasi embrio quidam, fides erat, Fides enim, *vt inquit Apostolus,* ex auditu, auditus autem per verbum Christi. *Sementiuam ergo salutis vim, eo ipso fides habet, quo primus verbi diuini in nobis conceptus, prima salutis radix est.*

Rom. 10. 17

Sementiua vis salutis in Fide.

Simile.

Atque ita consequenter homo, qui ante fidem terræ inaratæ simillimus erat, nil nisi spinas & tribulos germinanti; simul ac fidei donum accepit, eo ipso iam terra efficacissimo quodam salutis semine, fide inquam conseminata esse incipit, sicut nimirum semen quoduis bonum, ex genere suo enititur ad altiora, & cupit crescere in debitum fructum suum, idemq; efficit etiam re ipsa, vbicunq; terram aptam sortitum fuerit: ita fides dum partim immensa præmia ostendit beatitudinis, partim horribiles pœnas damnationis, partim cætera fidei Christianæ nostræ mysteria, ad purgandos animos hominum exstimulandosq; ad meliora, efficacissima, proponit animo; miram quandam vim habet, ductumq; ad omnem salutis fructum in nobis ferendum. Quin & in corde bono atq; optimo, hoc est, quod neq; via in morem conculcari, in se patitur semen diuinæ vocationis huius, atq; ita Sathanæ abripiendum obijci; neq; ad petrosæ terræ similitudinem, exarescere, id permittit, quauis occurente tribulatione, atq; emori; neq; spinarum ad instar suffocari, nimijs vel deliciarum mundi huius, vel diuitiarum sollicitudinibus: omnino refert fructum

istum

istum suum aptum, cæloque idoneum in patientia.

Deniq; quod embrio est in vtero materno, respectu inde consecuturi fœtus; id est fides in anima humana, respectu consecuturæ salutis. Non initium solum fœtus simplex est embrio, quodq; rudia quædam delineamenta eius in se contineat, sed & virtutem habens generatiuam, qua crescere faciat, in hominem quandoq; perfectum, fœtum suum. Ita fides initialem habet in se virtutem, quæ producere queat ad salutem plenam, hominem. Dilucidè id nobis explicat alicubi Iacobus. Voluntariè *inquit* genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. *Ecce initium admodum embrionis in nobis generatum. Pergit vero non ita multo post:* Abijcientes ergo omnem immundiciam & abundantiam malitiæ, cum mansuetudine suscipite insitum verbũ, quod potest saluare animas vestras. *Ecce virtutem continuandæ ac perficiendæ salutis. Proprium igitur fidei Catholicæ est, salutis tandem maturum fructum in nobis ductu suo gignere: Si minus eum quandoq; adferat, aut ad maturitatem debitam perducat, non fidei ea culpa aut defectus est, sed cordis humani (tanquam terræ minus aptæ, aut vteri materni sterilioris) quod alienis implicatum curis, & cogitationibus impedimenta obijci patitur insito ipsi verbo, quo minus saluet, prout poterat, alioqui saluare animas nostras.*

Embrio in vtero, Fides in corde.
Simile.
Iacob. 1. 18
Iacob 1. 21.

5. Fides Christum nobis disponit, vt inchoatam salutem ipse perficiat.

6. 6. AD extremum, præter omnia hæc, quod ad Christum ipsum ac Deum Saluatorem attinet; habet ipsum iam bona ex parte conciliatum sibi fides vera, vt gratiam is vberiorem conferat. Etenim eo ipso, quo fidelis quisq; factus est, ac ritè de Deo, vt salutis fonte, sentire cæpit; eo ipso inquam iam, qui antea totus inuisus erat Deo, pergratũ ei obsequium præstitit, ac tale quidem, cui meritò vicissim liberalissimus ipse Deus, gratiam suam offerat maiorem. Pergratum inquam obsequium præstitit

Fides Deum glorificat dupliciter.

1. Deo, idq; duplici ex fonte: primum, quia dum fides difficillima quæq;, atq; omnem captum humanum excedentia, Dei nomine imperat credenda, eandem amplectens homo, ipsum intellectum suum captiuat im humile obsequium credendi, plus Deo reuelanti credens, quam omni rationi propriæ humanæ. Itaq; simul ita re ipsa & summæ veritatis vni Deo laudem tribuit, & proprium intellectum. magnam animæ suæ partem, eidem penitus subijcit. Quæ quidem vt ex se ipsis, in rebus humanis permagna sunt, ita non possunt non accidere etiam Deo, dum ipsi offeruntur, pergrata.

2. Deinde vero, quia fides est, quæ ipsa de Deo ritè instructa, omnem gloriæ eius magnitudinem, (quantum eam capere potest humana fragilitas) nobis pandit, eandemq; etiam ipso assensu suo amplectitur approbatq;. Etenim qui ritè in Deum credit eo ipso summum ac maximum ipsum bonorum omnium credit: eo ipso creatorem cæli & terræ, & omnium

omnium quæ in cælis, quæuè in terris sunt, agnoscit; eo ipso omnis salutis authorem tam animarum nostrarum, quam corporum fatetur, atq; ita consequenter omniscium, omnipotentem, summæ bonitatis, summæ iustitiæ, summæ veritatis, summarum reliquarum perfectionum omnium, quæ vel in cogitationem cuiusquam naturæ rationalis cadere possint, participem fatetur. Eo ipso ergo, omnem gloriam & honorem, præ omni omnino creatura, soli ipsi deberi censet, & mente iam ac cogitatione defert. Quod quidem, nisi aliunde offensa aliqua noua obiecta impediatur, non potest non accidere per gratum Deo officium.

Vel inde id satis colligitur, quod totæ scripturæ sacræ, non alium habeant propiorem finem, quam vt huiusmodi Dei, præ omnibus creaturis, maiestatem dignitatemq; nobis manifestent, atq; agnitioni nostræ obijciant persuadeantq;. Imo verò tota vniuersitas rerum creatarum, non alium æquè scopum habet, quam vt factoris ipsius nobis immensam patefaciat maiestatem, ac gloriam, nosq; ad eam admirandam collaudandamq; excitet. Inuisibilia enim Dei, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, *vt Apostolus testatur.* Rom. 1.20 *Et certè videmus etiam idem in omni rationali natura vsu venire, vt si qua in re, aliqua singulariter excellat præ ceteris, id ipsum & ab alijs cognosci, sibiq; tribui naturaliter appetat, & si tribuatur naturaliter recreetur.*

Abrahæ Fides dans gloriam Deo. *Deniq; hoc est, quod sacræ literæ de fide nominatim testantur. Nam de Abrahæ fide loquens scriptura.* Confortatus, *inquit*, est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere. *Gloriam inquit Deo singulariter dedisse, quod eum & veracissimum in promissis suis, & omnipotentem certa fide crediderit, vt ibidem præcedit, hoc est omnem intellectũ proprium, in humile fidei obsequium captiuando.*

Rom. 4. 10

Deus honorantes se honorat. *Quod si fide nostra, ita glorificatur Deus, fieri non potest quin vicissim erga fidem synceram, optime afficiatur Deus, ac gratiam ei vberiorem sensim largiatur, iuxta infallibile promissum eius.* Quicunque *inquit*, honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *Itaq; B. Paulus de benigna tali gratia loquens, eo ipso loco quo dixerat Abraham fide sua dedisse gloriam Deo, omnipotentem eum in promissis suis, ac per omnia veracem esse contestans; mox subiungit,* Ideo & reputatum id esse illi ad iustitiam. *Additq; vna, idem hoc scriptum esse in commune exemplum toti mundo. Aeque enim & cuiuis rite credenti, eodem modo fidem eius ad iustitiam reputandam esse.*

1. Reg. 2. F. 31.

Meritó vni fidei præ omnibus virtutibus attribuitur salus, ob quinque ea quæ diximus, nec tamen propterea dici potest sola saluare.

7. *Hæc omnia tam multa tamq; in genere salutis, atque in ordine ad Christum, omnis salutis authorem germanum, efficaci,, præstat vera fides. Iam verò ex his facilè concludere est, & quare fidei, & quare præ omnibus alijs virtutibus vni fidei, à Christo toties tribuatur, quod saluos fecerit diuersos, quos solus tamen ipse saluarat, & quomodo tamen non propterea soli in se fidei, id asscribatur, quoué in sensu legitimè totum hoc sit interpretandum. Et quidem quod fidei, ea ratio est, quod fides & nos Christo, & Christū nobis tot modis, quibus vidimus, variè disponat ad salutem, vel excipiendam vel conferendam. Sed quid est quod vni fidei, præ tot alijs, quibus disponimur Christo, virtutibus, quæq; in primis complacent in nobis Christo?* 7.

Disponunt enim nos certe Deo, & pœnitentia, & alia præterea multa exercitia virtutum; inde enim toties in scripturis: Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cœlorum. Et conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. *Et alibi de Niniuitis:* Vidit *inquit* Deus opera eorum (*scilicet ieiunij austeritatem, cum summa humilitate coniunctam*) quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus. *Ita multa in scripturis occurrunt bonorum genera, quæ singulariter vel accepta esse coram Deo, vel in odorem suauitatis coram ipso ascendere dicuntur, Attamen vni fidei præ alijs asscribitur à Christo salus: quia in omnibus ijs, quæ propria fidei diximus, ad salutem*

Etiam aliæ virtutes disponūt nos saluti.

Matt. 3. 4.
Zach. 1. 3.
Ion. 3. 10.
1. Tim. 2. A. 3.
1. Tim. 5. A. 4.
1. Phil. 4. D. 18.

salutem ferendam spectantia; vel tempore, vel natura certe, omnem aliam virtutem anteit fides.

Fidei, ea dispositio adscribitur præ alijs quia Prima.

1. *Sicuti corporis nostri prima pars caput ac facies est, ita animæ intellectus. Sicut ergo capite mundato, initium factum est bonum salutis ac mundiciei pro toto corpore: ita & purificato intellectu, pro tota anima. Atqui per fidem sanitas intellectui nostro in rebus diuinis præstatur. Hoc ergo initium omnis legitimæ reformationis nostræ.*

Simile.

2. *Primus ad Deum accessus noster in fide est. Sine ea vti nec spes esse omninò in Deum potest, vt potè ignotum adhuc, nec charitas; ita nullæ virtutes morales placere Deo, quia nimirum peregrinæ à Deo sunt, & quouis alio directæ, quam in Deum. Patet in tot virtutibus humanis, quibus vel gentes olim, vel Turcæ nunc ac Iudæi operam dare possunt. Fides necesse est omnibus ijs primum ad Deum aditum faciat, vt ipsi placeant. Id quod manifesto scriptura asserit:* sine fide enim impossibilè est placere Deo.

Hebr. 11. 6.

3. *Ad hæc vna fides est quæ nos dirigat, viamq; ac modum ostendat, plene perueniendi ad Deum, salutemq; quæ in Christo nobis parata est, consequendi. Tale quid nulla aliarum virtutum habet, ac ne vlla quidem scientiarum humanarum. Quiduis eæ aliud docere possunt, dirigere mentem nostrã ad salutem minime possunt.*

4. *Deniq; in diuino salutis semine fides est, quæ radicis vicem supplet, vti superioris Dominicæ docet Euangelium. Sicut ex radice necesse est & calamus*

lamus prodeat, & spica quæ fructum maturum adferat; ita ex fide spes, charitasq́;, & quicquid tandem bonorum fructuum prodire ex nobis præterea poßit. Nulla aliarum virtutum simile in se quicquam habet.

Quod si alia varia sint, quæ peculiariter placeant Christo in nobis, prior tamen etiam in his necesse est fides ei placeat, sine qua nemo placere, vti diximus, nihilq́;, potest Deo. Tot nimirum modis præ omni alio virtutum genere, initium salutis operatur in nobis fides. Quid ergo mirum, si sæpius, & pro omni alio virtutum Christianarum genere, fidei tribuatur salus? 5.

8. *Neque tamen propterea soli fidei totam in solidum salutis nostræ operationem Christus voluit attributam. Initij salutis ac virtutis illius sementiuæ, quam diximus, rationem habuit potißimum, in omni simili phrasi de tanta fidei efficacitate. Qua quidem in re, illud primum obseruatu dignißimum est, nunquam vni fidei salutem in scripturis tribui; nisi vbi vel de iis fit sermo, qui recenter ad Christum venêre, vt per eum saluarentur: vel de ipso perueniendi ad Christum saluatorem ingressu tractetur. In omnibus quidem ijs locis, quæ initio attulimus, quibus varijs Christus loquens, fidem eos saluos fecisse affirmat, id manifestum est. Nam & qui in hoc præsenti Euangelio ita saluatus dicitur, tum primum ad Christum plene peruenit, quando ita saluatus dictus est; Et eadem de leproso illa ratio est, eadem de paralytico, eadem de E-* 8. Non solius Fidei est dispositio ad salutem. Quibus occasionibus Fidei tribuitur salus.

morrhoissa

N. L. *morrhoissa, Magdalenaq; de quibus ante egimus. Ita multa his similia occurrunt apud Apostolum, maximeq; ad Rom: scribentem, & Galat: quibus fidei tribuatur iustitia præ cæteris; sed in quibus maximè agitur, quomodo siue qui ex Iudæis conuertantur ad Deum, siue qui ex gentibus, salutem poßint consequi, illudq; concluditur: Neq; Iudæos ex directione, operibusq; legis Moysi, neq; gentes ex cognitione operibusué legis naturæ, saluari potuisse: Sed ex fide in Christum necesse esse salutem omnibus prouenire, scilicet, illud scriptura in omni simili phrasi docere voluit; extra fidem nemini mortalium contingere salutem posse: Sed ex fide tanquam radice in nobis prima, necesse esse eam profluere, non autem quasi propterea totam insolidum salutem vna in nobis fides operetur.*

Rom.3. & 4. Gal.2. & 3.

Dum in fidelibus salutem prædicamus, præ omnibus fidei eam tribuimus.

Patet id quidem etiam in omni alio eiusdem modi genere loquendi. Nam etiam hodie, si vel Turcæ viam salutis ostendere velimus, vel Iudæo, vel aliorum infidelium cuiuis; etiam nos qui maximè credimus fidem solam, absq; aliarum virtutum Christianarum coniunctione, nihil ad salutem posse: ea tamen phrasi absq; hæsitatione vteremur paßim; non nisi per fidem talem saluum fieri posse, fidem esse quæ ipsum saluatura sit, præterea nihil; non Iudæum legis opera, non Turcam vel Eleæmosynas suas, vel ieiunia vel his similia. Nec tamen propter huiusmodi loquendi formulam, quempiam meritò ea suspicio tangere posset, solam nos fidem absq; Christianorum operum præsidio sufficere saluti velle. Iisdem

enim

enim ipsis iam ad fidem conuersis, longè plura maioraq́; iam charitatis opera, tanquam ad salutem necessaria inculcaremus.

Itaq; etiam Christus ipse, qui primum ad se venientibus, fidem à Deo prædicare solebat, ijs qui iam satis in fide radicati erant, non iam fidei beatitudinem, sed sequentium inde virtutum prædicabat. Ita discipulis suis in monte: Beati pauperes spiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Beati qui esuriunt & sitiunt & quoniam ipsorum est regnum cœlorum, *tales* possidebunt terram, *tales* consolabuntur, saturabuntur, misericordiam consequentur, filij Dei vocabuntur &c. *ne mentione quidem iam fidei facta, sed vt fundamento supposita. Ita cum ijsdem discipulis, suam peculiarem præ cæteris hominibus pronunciat salutem & gloriam futuram.* Amen, *inquit*, dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël *ne mentione quidem iam fidei facta, sed supposita. Ita cum ijsdem extremè beatificationis formulam describit, qua in iudicio vltimo, salutem plenissimam suis adiudicaturus est, ita se pronunciaturum dicit.* Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum. Esuriui enim & dedistis mihi manducare sitiui & dedistis mihi bibere &c. *ne mentione quidem etiam hic fidei vlla facta, nec tamen exclusa. Taliter inquam Dominus in*

Fidelibus iā Christ' ipse raro fidem prædicat.

Matth. 5. A. B.

Matth. 19. D. 28.

nus in salutis suæ prædicatione, non aliter atq; nos etiam hodie facturi essemus, in cuiusuis vel Turcæ vel Iudæi vel gentilis conuersione, initio quidem, fidei virtutem maximè omnium prædicantes; post modum verò longè etiam magis Charitatis atq; operum Christianorum præstantiam perurgentes.

Quomodo propriè fides saluare dicatur qdq; eo in genere sola possit, & quatenus aliarum virtutum egeat subsidio,

9\. 9. R*Estat ad extremum, vt quo tandem in sensu propriè accipienda sint similia Christi:* fides tua te saluum fecit, *videamus, simulq; expendamus quousq; fides, dum sola attenditur, hoc in genere progrediatur; quibus verò subsidijs ad eum terminum perueniat, vt verè pleneq; saluos nos facere dicatur.*

Quid sit dicere Fides te saluum fecit.

Dico primum in genere eam in omni simili loquendi genere Christi mentem esse, salutem se expetitam talium alicui præstitisse propter eam, quam in ipso viderit ad salutem, fidei dispositionem. Verum cum ante viderimus, non vno aliquo simplici modo, sed quaternis quintisué nominibus, fidem vel nos Christo, vel nobis Christum disponere, quæritur quid illud potissimum sit, cui salus tandem propriè asscribatur à Christo tribuaturué?

An quia dum primam animæ nostræ partem, intellectum scilicet ab erroribus in rebus diuinis perpurgatam, ac vera cognitione reddit imbutam, eo ipso

ipso initium iam sanitatis interioris facit in nobis? Respondeo verum id quidem, sed quam diu sola attenditur fides, nondum satis. Vt enim qui toto corpore fuisset leprosus, solaq́; incipiat in facie sanari, reliquis membris adhuc immundis, nondum potest simpliciter dici sanitati restitutus: Ita qui tota in anima variè deformatus est peccatis, solo intellectu per fidem reformato, nec dum dici potest fide saluus factus, prout reuera nec dum propterea planè sanatus est. Simile.

Annè ergo quia fide primum iam ad Christum Saluatorem ingressum facimus, propterea ab ipso iam fide saluati dicemur? RESPON: *ne hoc quidem satis, dum sola in se æstimatur fides. Vt enim qui gratiam quamuis à Rege expetit expectatuè, etiamsi eam paratam sibi apud Regem intelligat, etiamsi ad eam impetrandam, iam etiam palacium Regis ingressus sit, quantumuis fauentis; tamen nondum propterea quicquam obtinuit. Nisi alijs præterea medijs vtatur, nisi Regem inquam pergat accedere, nisi necessitates suas proponere, nisi obsecrare, nisi cætera præstare, quæ grata forte Regi futura didicerit, nihil fecerit. Ita qui solum primum per fidem ingressum facit ad Christum, vti longe adhuc ab ipsa Christi salute; ita longè à tali nomine abest, vt saluus factus per fidem dici possit.* An quia primus ingressus versus Deum. Simile.

Fortenè ergo, quia fides præterea viam ostendit, modum plenissimæ cum Christo reconciliationis, propterea nos saluos facere dicetur? RESPON: *& hoc quidem non parum, sed minimè satis, dum* An quia viæ dux.

Simile. *sola manet fides. Vt enim si iter facias, atq; in medijs campis constitutus, ipse alioqui via facienda ignarus, si à prætereunte quopiam didiceris, qua sit pergendum ad finem præfinitum, non parum quidem profeceris: sed non propterea finem itineris fueris consecutus, (nisi enim vrgeas, nisi impellas, nisi progrediaris, manes etiam sic remotus à loco destinato) ita dum per fidei lumen viam discimus salutis, nisi eandem percurramus, longè etiam sic adhuc absumus à salute ipsa, ita vt fide salutem consecuti iam verè dicamur.*

An quia placita Deo. *Quid ergo? Forte quia placitum est Christo obsequium fides, ideo per eam salui facti dicemur?* RESPON: *& id quidem multum magnumq;, at*

Iacob.2.26 *quã diu sola manet fides nec alia sibi asciscit, Charitatis inquam opera, quæ & ipsa in primis placita sunt Deo, ipsa ociosa est ac mortua in semetipsa, prout scriptura loquitur, non minus quam corpus*

Simile. *sine anima mortuum est. Cum ergo vt corpus exanime sit ipsa, quam vitam salutemué animæ nostræ, Deo mortuæ præstare dicetur? quomodo saluam ipsam animam fecisse?*

10\. Maxime id dicitur quia semen continet si fructificare pergat. 10. *Ergoné quod vnum iam superest, propter diuinam illam quam habet in se sementiuã salutis virtutem, fides nos saluare dicetur?* RESPON: *Id quidem omnino maximum est, quod habeat fides, attamen etiam hic si sola consideretur, simillima erit*

Simile. *semini omni, quod etiam nunquam seminatum fuit, ideoq; penitus sine fructu manet.* Nisi enim gra-

Ioan.12.14 num frumenti cadens in terram mortuum fu

erit,

erit, ipsum solum manet, *ipso Christo testante. Verumtamen hoc vel maximè nomine fides nos, & saluat & saluare dicitur, sed tum demum quando sementiuam illam quam habet in se virtutem, salutis exerere, & vsq; ad maturitatem producere permittetur. Id quod fit dum cadit in terram cordis bonam atq; optimam, hoc est ab omni vel viarum conculcatione, vel petrarum sterillitate, vel spinarum deniq; suffocatione liberam: dum inquam cor inuenit paratum, atq; obsecundans, ac ductum fidei persequens per omnia. Quando inquam vt vno verbo dicamus omnia, fidei adiungitur operum piorum obedientia, siue vt B. Paulus loquitur, energia illa charitatis qua efficiatur fides per charitatem operans, siue vt B. Iacobus, quando ita suscipimus insitum verbum quod potest saluare animas nostras, vt simus factores verbi & non auditores tantum. Tunc enim demum beati in facto nostro erimus: Tunc illud fit quod de Abrahæ filium super altare offerentis fide, idem Iacobus prædicat:* Vides *inquiens*, quoniam fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides consumata est, & suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. *Nimirum, eo in casu, vti seminis cuiusuis boni radix optima, terram nacta æque bonam & competentem, in omnem se circum circa partem distendit, fibrasq; dilatat suas, ac humorem necessarium contrahit vndiq;, quem in herbam primum, deinceps vero etiam in spicam, donec maturescat,*

Lu.8.A.B *Gal.5.B.6.* *Iacob 1.D.* Fides germinat salutem.

mittat; ita salutis radix fides, perurgebit animum bonum continuo, vt circumspiciat vndiq; ad ea media omnia siue Sacramentorum Sanctißimorum, siue operum optimorum, quæ Christus saluti suæ participandæ præscripsit, consectanda, ac sedulo adimplenda nec antea sistet quam obedientem ad omnia animum nacta, fructum adferat salutis plenum in patientia. Atq; ita demum de ea verißimè dicetur. Fides tua te saluum fecit, *cum contra, quam diu talibus adminiculis destituta est fides, Paulus fidenter de seipso asserat, etiam si omnem ipse fidem haberet, adeò vt eius virtute etiam montes transferret, tamen si Charitate foret destitutus, nihil omnino se fore coram Deo.*

1. Cor. 13.

Demonstrantur in cæco isto Euangelico, quæ dicta sunt; & quid in eo sola fides per se effecerit, & quomodo tandem attulerit sanitatem.

II. II, C*Lariora isthæc omnia fient, ad ipsum quod in Euangelio præsenti, cæci istius saluati per fidem propositum habemus, comparata exemplum. Eum Christo ipso teste fides sua saluum fecit, saluum inquam & in anima quidem, vti non est quod dubitemus, sed maximè etiam in corpore. Nam eam maximè salutem quærebat:* Domine *inquiens,* vt videam, *& de ea maximè ei Dominus respondet.* Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit & sequebatur illum.

Quæri-

Quærimus ergo, quomodo fides, eam illi salutem operata est? RESPON: *conceperat is multò ante, semen hoc salutis in animo suo, hoc est fidem de Christo Saluatore, tantæ isti gratiæ sufficientem. Neq; enim in hoc is primum Euangelio credere incepit, in quo nihil aliud de Christo didicisse dicitur, nisi quod ea via Iesus Nazarenus transiret. (quæ quidem ex auditione sola, ne potuisset quidem sufficientem de Christo fidem discere, nisi aliunde longè iam plura audiuisset, de ipsius vel doctrina, vel operibus, vt patet consideranti, cum fides sit ex auditu, vt Paulus testatur, auditus autem per verbum Christi) Sed tantum occasione data, fidem quam animo pridem conceptam, vti ex ipsius mox consequente confeßione colligitur, tenebat, publice prodidit.* Iesu *inquiens* fili Dauid miserere mei.

Cæcus iste longe ante hoc tempus credidit.

Rom. 10. 17

Iam nimirum quartus agebatur annus, ex quo Christus varie per omnem Iudæam prædicare incæperat, infinitisq; miraculis ac virtutibus doctrinam suam confirmauerat, iamq; paßioni proximus, vltimo Hierosolymam ascendebat, vti initio Euangelij dicitur, illic gentibus tradendus, ab ijsq; illudendus, flagellandus, conspuendus, crucifigendus. Audierat ergo iam & cæcus iste de ipso multa, & crediderat. Crediderat autem promissum ipsum Meßiam esse, id quod illa fidei suæ professione testatur, dum eum filium Dauid vocat. Hæc enim propria erat Iudæis fidei de Meßia professio. Eo ipso ergo crediderat, & posse eum sanare sese, & facile ab eo impetrari posse, vt potè benignißimo, vt sanare

Credidit cæcus iste Christũ esse Messiam Saluatorem.

velle, & modum sanandi omnem simplici ipsius voluntati committendum esse. Id quod illis verbis orationis suæ profitetur, quibus nil aliud postulat, quam misereri. Fili *inquit* Dauid miserere mei.

Iam ergo cum multò ante, quam hoc Euangelio sanaretur, talem de Christo fidem habuerit, eo ipso ergo multò etiam ante iam intellectu sanus factus, sanaq; cognitione salutis imbutus fuerat; multò ante viam sibi apertam ad salutem apud eundem intellexerat, multò ante iam propterea gratum ea in re obsequium Christo, qui discretor cogitationum & intentionum cordis erat, fecerat; multo deniq; ante semen salutis in se conceperat, nec tamen multò ante vel sanus ipse, videns inquam è cæco, prout desiderasset, factus erat; vel dicere ei quisquam cum veritate potuisset; fides te saluum fecit, eo nimirum in sensu, quo hic ei id Christus, de corporis sanitate, dicebat. Scilicet quia fides hactenus, quoad istam salutis partem, sola fuerat, atq; sicut conceptum in terra semen, radices quidem egerat, sed necdum in fructum eruperat, occasione necdum data, prout semina omnia tempus suum in terra expectant, donec in herbam fructumq; debitum egrediantur. Minimè ergo sola ipsum in se fides sanum fecit, neq; fides in quantum mera fides, sed tum demum id præstitit, cum vis illa sementiua ferendi fructus, siue quærendæ salutis, quam secum adfert fides, sese tanquā in terra optima exeruit, omniq; difficultate superata extendit, vsq; ad summum quod sciuit potuitué, tum inquam demum sanitatem ipsi tulit.

Heb. 4. 12.

Nec dum tamen iam sanus factus.

Transibat

Transibat ergo illic Iesus. Ea occasio quærendæ sanitatis misero expectanda fuerat, neq; ipsius negligentia factum quod citius non accesserat. Nam quia cæcus erat, ideo quærere Iesum ipse longè in alijs Iudææ partibus positum, ante hac non potuerat; quia vero etiam mendicus, ideo vnde alium conduceret, qui ad Christum ipsum deuexisset, non habuerat. Ecce autem simul atq; inaudit adesse Iesum, ideoq; tempus exoptatum, quo sua se fides in herbam germenq; aptum exereret, aduentasse; mox prodit. Cumq; aliud nihil posset, id quod vnicum poterat, ex parte sua fideliter exequitur. Clamat inquam, Iesu fili Dauid miserere mei. *Clamat inquam, quia in turba longè positus erat Iesus, clamat quia præteriens turba, strepitu alioquin suo eum impediebat; clamat vero humillime, nil nisi misericordiam postulans, totumq; reliquum Christi diuinæ voluntati, ac beneplacito permittens, clamat patienter perseueranterq;. Increpatur enim interim à prætereuntibus, & tacere iubetur, quin D. Marco teste, multi etiam comminabantur ei, vt taceret: (ita nimirum tentationis æstus exercere semen in ipso diuinum debuerat) sed vt in terra optima, nihil turbatur, pergit quærere fructum suum, etiam ita in patientia.*

Quomodo Fides in cæco cooperata operibus.

Mar. 10. C

Sistit ergo Christus, & iubet hominem adduci ad se, ipse verò simul atq; id intellexit, vtiq; ad omnem obedientiam promptus, etiam vestimento proiecto, vt Marcus testatur, exilit venitq; ad Iesum & ita tandem inuenit, quam quærebat sanitatem. Inuenit

Tum demū sanus factus cæcus, cum Fidei ductū executus.

uenit inquam quam quærebat, etiam corporis salutem; sed non ante inuenit, nisi postquam ipse plenè atq; obedienter fidei suæ ductum expleuerat; non ante inquam, nisi postquam fecerat ipse ex parte sua quæcunq; ei hactenus fides sua facienda dictauerat, paratus præterea ad omnem voluntatem Christi penitus exequendam; si quid prætereà forte Christus, velut ab alio illo cæco, qui lauare in natatoria Siloë iussus fuerat, vt sanaretur; requisiuisset. Ioan. 9. 7.

Videsnè ergo iam lector Christiane, vt verbis hic D. Iacobi etiam iterum vtamur, quomodo fides cooperabatur operibus illius *(sementiua scilicet illa sua virtute, ad omnem diligentiam salutis quærendā ipsum exstimulans)* & ex operibus fides eius consummata est, & suppleta est scriptura, *vti olim in Abraham* dicens. Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam, *ita hic in isto,* fides tua te saluum fecit? *Vides ergo & illud ad extremum quomodo ex operibus iustificatur saluaturuè homo, & non ex fide tantū?* Iac. 2. 22.

Christus cum sæpè dicat fidem varios saluasse nunquam tamen dicit quod sola, nunquā quod simpliciter ipsa, sed tua siue talis.

12. Nunquam Christus dicit, sola Fides te saluū fecit.

12. A*D extremum vt totam hanc quæstionem finiamus, duo hæc hic in hac aliauè simili phrasi scripturæ obseruanda sunt: fides tua te saluum fecit. Primum cum sæpius eo modo loquendi sit vsus Christus, vt initio vidimus, nunquam tamen addidisse solum.*

solum. Nunquam enim Christus dixit. Fides sola te saluum fecit, id quod tamen vel maximè fuisset ad rem, si tota Euangelij puritas, vt Ministri volunt, in eo est, quo se vere Euangelicos, Ministros profitentur, vt vnum eum articulum de salute ex mera Christi gratia, per fidem solam apprehensa nobis prouenientè, quam maximè ac distinctissimè populis suis inculcent. Nihil fuisset etiam Christo ipsi qui perfectissima Euangelicæ prædicationis idea fuit, magis conueniens; quam idem per omnem occasionem confirmare, idq; tanto magis, quanto error pharisæorum de ipsorum ac legis salute erat maior tum, ac præsentior. Porrò nulla occasio erat propior, quam cum fidei eo modo, de quo agimus, tribueret salutem collatam.

Quid sit, tantū crede & salua erit filia.

Neq; vero est quod hic dicant, semel id Christum fecisse cum Archisynagogo, cuius filiam sanaturus erat, diceret. Noli timere, tantummodo crede, *vt Marcus dicit, vel vt Lucas.* Noli timere crede tantū & salua erit. *Primū enim, non semel tantū id fieri debuisset, vt in re tanti momēti, & vnde totū penderet Euangeliū: Sed vti Ministris consuetum est, per omnem occasionem apte oblatam inculcari. Deinde vero nihil ad rem, de qua hic agimus locus iste, cōsequeretur enim alioqui quod non solum fide propria quis sola saluus fieri possit, Christi salute, hoc est æterna & cœlesti, sed etiam aliena, ita vt ego saluer quicunq; tandem sim, modo amicus quispiam meus certa fide credat me saluum fore. Hic enim de fide patris loquitur Dominus, & salute inde filiæ consecutura.*

Yy 5 Deniq.

Deniq; non illud vult dicere ibi Dominus, sola fides patris si adsit, fore vt propterea salua fiat filia, sed sola si absit fore, vt ne saluetur. Tantum inquit crede, nec fidem quam habes audita iam morte filiæ, penitus amitte, salua enim per me erit filia tua, sed si fidem amittas, non erit. Scilicet, sine fide si vel sola absit, impoßibilè est placere Deo, sed non propterea si sola adsit, iam ex integro placemus Deo. Bonum enim nihil ex integro dici potest, nisi omnibus suis conditionibus sit integrè sanum; malum vero quid, si vel vna ex partibus eius mala sit, verè prædicatur.

Nunquã dicit Christus fides te saluum fecit, sed tua fides

Secundo obseruandum, nunquam Christum in simili loquendi phrasi, simpliciter fidem absq; vllo adiuncto prædicare. Nunquam inquam dicit simpliciter cuiquam Christus. Fides te saluum fecit,

N. 1.

sed semper fides tua te saluum fecit. Patet id ex omnibus similibus locis initio à nobis allatis. Eo ipso nimirum voluit docere Dominus, non se fidei in se soli, ac simpliciter acceptæ, eam salutem tribuere, sed fidei tali, certis nimirum iam circumstantijs adornatæ, & eo vsq; iam progressæ, sementiua illa virtute in opus, de quo nos tam multa antea, vt dignam ipse vlteriore salute existimaret. Hoc est enim fides tua, hoc est fides hæc, & quæ in te est, ac qualis in te est, prout hucusq;, te ad me adduxit. Non est autem quod ea in re fusius explicanda diutius hæreamus. Patet enim satis ex ijs, quæ dicta sunt, qualis huius ipsius cæci de quo agimus fides in hoc genere fuerit, & quam propterea energiam habeat illud:

illud: fides tua, *idemq́; iudicium esse potest conside-ranti de omnibus similibus exemplis.*

Nobis ergo hic satis sit breuiter annotasse, neq; à Christo vnquam omissam eam esse particulam, & sub ea ipsa phrasi iam totum illud simul intellectum voluisse Christum, quod ex fide tali ad impetrandam à se salutem tales præstitissent. Patet id & cuiuis consideranti rem paulò attentius, & ex Cananææ illius exemplo manifestissimè, quæ fide sua sanitatem filiæ Dæmoniacæ impetrasse, & à Matthæo & à Marco describitur. Ibi enim loco eius, quod apud Matth: Christus dixisse, dicitur, O mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis. *Marcus eum sensum Christi fuisse asserit.* Propter hunc sermonem, vade, exiit dæmonium à filia tua. *Idem itaq́; erat Christum dicere propter fidem tuam, ac dicere propter hunc sermonem tuum, hanc fidei professionem, orationis constantiam, animi humilitatem, & similia, quæ omnia iam fides illa mulieris singularis præstiterat, nihil ommittens ex parte sua, quod præstare omnino posset, ad gratiam à Christo vberiorem impetrandam. Superest igitur vt ad alteram propositionis nostræ partem transeamus; & quam Ministri nostri omnem fidei vim, atq́; energiam reuera exinanierint doceamus.*

Fides Cananeæ.

Matth. 15. c. 28.

Mar. 7. 29.

Ministri Euangelici totam fidei virtutem in salute nostra operanda, penitus propè eneruarunt.

Ministri

13\. Ministri nostri volunt insignes Fidei precones haberi.

13\. *MInistri noui huius Euangelismi, quanti videri haberiue velint in fidei virtute efficaciaq; ad salutem prædicanda, superuacuum est multis exponere: vno verbo, totum hic fidei soli tribuunt, communiter omnes. Non solum inquam ipsam multũ posse, sed omnino solam omnia posse ex parte nostri, quæ ad salutem nobis plenam coram Deo, iustitiãq; conciliandam necessaria sunt, contendunt: ita vt omnium similium scripturæ locorum, qualis in hoc Euangelio occurrit.* Fides tua te saluum fecit, *hunc tandem sensum esse velint, sola te fides saluũ fecit. Omnia cætera nostra non solum quæ ante fidem conceptam fiunt ab homine, sed & quæ post, immunda esse in oculis Dei, & impuro panno menstruatæ simillima, quæq; propterea expiatione potius ipsa indigeant, coram Deo; quam vt vel expiare nos queant vllo modo, vel salutem in cælis conciliare. In confesso sunt hæc apud omnes, nec opus est singulorum de his sententiam adducere.*

At vero si rem hanc totam examinemus accuratius, totumq; doctrinæ ipsorum corpus, cum hac fidei iactatione conferamus: inuenimus reuera, præter inanem verborum iactantiam, vix quicquam eos hic sibi omnino reliquum fuisse substantiæ. Clarißimè hæc cuiuis patere possunt, modo nobiscum paulo accuratius hic libeat, ipsorum expendere & conferre singula.

Nil eorum quinque, quæ fidei nos in salute, ferenda tribuimus superius, Ministri acceptare in eodem sensu possunt.

14. *ETenim cum nos extra Catholicam vereq; Euangelicam veritatem, ante ostenderimus, multiplicem in rebus salutis fidei vim esse atq; operationem; propter quam reuera saluos facere credentes dici queat, eorum in primis omnium nihil prorsus, in sua doctrina ferre queunt Ministri. Iis vero sublatis, vel nihil prorsus superest fidei, quod in hoc genere salutis reuera aliquid valeat, vel omninò minimum: Singula ordine videamus.* 14.

Dicunt quod Christus dixit. Fides tua te saluum fecit, *idem esse ac si dixisset, sola te fides saluum fecit. Petimus ergo, quid sit illud hic fidei propter quod reuera sola saluare, imò verè saluare vllo modo, dici queat? An quia dum intellectum sanat initium salutis eo ipso iam in nobis operata est? At vero secundum Ministros nostros, id omninò propriè nequit dici. Vt enim concedere possint, reuera sic per fidè purgari mentem nostram, erroribus alioqui totam deformatam; attamen talem purgationem, initium iustitiæ, in qua salus est animæ, neq; dicunt, neq; dicere omninò possunt. Idq; propterea, quia ipsis certissimum est Euangelicissimumq;, iustitiam omnem nostram non inhærētem nobis esse, sed extrinsecus attributam, Christi scilicet iustitiam nobis imputatam. At talis animæ purgatio inhærentis nobis sanitatis iustitiaq; esset initium, consequereturq;*

Ministri nequeunt concedere Fidē esse salutem inchoatam.

returq́; sic totam etiam iustitiam reliquam nostram, inhærentem fore. Vnde concideret ipsis iustitia imputata tota, si eo nomine saluaret fides, quam cadere isti nullo modo patientur.

Neq; nos Fide saluari propter primum accessum ad Deum.

Quid ergo? An quia primus ad Christum accessus fit per fidem, ideo forte saluare nos fides sola secundum istos dici potest? At vero ne saluare quidem propterea omninò fidem concedere possunt. Vt ut enim negare non queant, reuera fide nos primum ad Christum gradum facere, attamen propter talem accessum; fidem nos saluare omninò negare debent. Longè enim magis propiùsq́; quam fides, spes accedit ad Deum, quam propterea Paulus habere nos dicit,

Heb. 6. 19. velut ánchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, *longeq́; etiam maximè, pro fide & spe, Charitas; quæ*

Col. 3. 14. vinculum *propterea à Paulo vocatur* perfectionis, *vt quæ perfectissimè, quantum quidem in hoc mundo possibilè est, animos nostros vniat deuinciatq́; Deo. Si ergo propter huiusmodi ad Deum accessum, fides saluare diceretur; caderet consequenter prorsus quod dicunt, solam fidem saluare. Nam non modo sic sola non saluaret fides, sed longè etiam minùs quam spes, charitasq́; saluare diceretur, cum non immerito Paulus dixerit in hodiernæ Dominicæ*

1.Cor.13.13 *Epistola*: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. *Nempè quia cum omnes istæ virtutes nos dirigant accessu quodam suo ad Deum, maximè omnium nos charitas coniungit Deo.*

Forte-

Fortené ergo ideo sola fides saluare nos dici potest, secundum istos, quia sola viam aperit plene perueniendi ad Deum? At, vti vidimus, vltra hæc, spes etiam ad interiora velaminis nos deducit, ad Deum, charitas etiam intimè coniungit Deo. Fides ergo eo in genere, nil amplius præstat, quam quod medijs in campis agricola viam viatori ostendens; spes vero charitasq́; illud etiam quod currus & iumenta, per viam ipsam viatorem ducentia. Fides nihil amplius, quam quod aulicus puer, facem Domino præferens in tenebris, viamq́; ad regium conclaue demonstrans, spes vero charitasué, quod intimi regij cubicularij, ad intima regij conclauis, & ipsum conspectum Regium, talem introducentes. Vnde sic quoq́; non modo sola fides hic non fecerit omnia, sed & minimum præ eo, quod aliæ illæ virtutes fecerint. Quod ferre istorum Euangelismus, in sola fide iustificante omnino nequit.

Neq; Fidem saluare, qua viam monstrat.

Similia.

15. *Restat, vt vel propter vim illam sementiuam salutis, quam diximus inesse fidei, tantum ipsi efficaciæ tribuant, vel propter singulare illud obsequium, quod per fidem Deo docuimus præstari. At ne istorum quidem aliquid, possint asserere, si sibi constare debeant: Non propter obsequium Dei; ita enim operi iam nostro ac merito cuidam adscriberetur, salus. Fides enim taliter accepta, opus quoddam intellectus nostri est, & ex dono quidem Dei proueniens, verè tamen nostrum; opus est. Nos enim vtiq; sumus singuli, qui fidei dono à Deo accepto, vere profitemur quotidiè,* Credo in Deum Patrem 15.

Neque propter obsequium Dei.

Patrem omnipotentem. Et in Iesum Christum filium eius vnicum, *Et quæ consequuntur. Operi porro cuiquam nostro, salutem adscribere, secundum istos grande nefas. Ad hæc non sola fides gratum præstat obsequium Deo, sed omne etiam Charitatis Christianæ officium, Vnde de omni opere bono Paulus.* Stabiles *inquit*, estote fratres & abundantes in opere bono semper, scientes quia non est inanis labor vester in Domino. *Si ergo propterea saluare dicitur fides; minime sola iam saluabit, sed vna saluabunt & æque omnia Charitatis opera, quod isti concedere omnino nequeunt.*

1. Cor. 15. G. 58.

Neque propter semen salutis.

Minus vero etiam alterum illud, de semine fidei concedunt. Licet enim negare non poßint, re-uera vim magnam inesse fidei ad operum bonorum fructus ferendos, (vnde & omnia fructus Fidei vocant communiter,) non ideo tamen saluare nos fidem poßunt asserere. Alioquin enim etiam hoc ex capite, longè magis nos opera ipsa dicerentur saluare, sicq; non modo sola non saluaret fides, sed & quod maximè isti fugiunt, opera magis saluarent, quam fides. Si enim etiam ipsa fides, non nisi propter sementiuam vim ad operum fructus ferendos saluat; (vt pote ratione quorum, semen salutis dicitur, siue semen insitum, quod poßit saluare animas nostras) nec antea saluat, quam hos ipsos operum fructus tulerit; quanto magis ipse bonorum operum, idemq; ideo salutis fructus, saluare dicetur? Sola vero sic fides, nihilo plus diceretur

ad salu-

ad salutem facere, quam quoduis semen, quamdiu solum manet, quamq; superiore Dominica vidimus, semina illa, quæ vel in petrosa vel inter spinosa ceciderunt, fecisse; quæ ad iustum operum fructum, minimè peruenisse dicebantur. Deniq; constat ex iis quæ diximus, nihil eorum omnium propter quæ reuera docuimus fidem nos & saluos facere, & dici saluos facere, ferre: Euangelismos Ministrorũ posse.

Fides Ministris non nisi relatiue saluat, eo modo quo manus mendici eleemosynam excipit oblatam.

16. SVperest, vt quid tandem hic ipsi comminiscantur videamus. Quod quidem si ostenderimus in rei veritate, præter fumos & inania somnia minimum esse: simul vtiq; demonstrauerimus, quod initio proposuimus, omnem istos fidei virtutem, maximè extenuasse. Dicunt ergo vt ne propter vllam operis cuiusquam nostri dignitatem, vel efficaciam in se vel meritum omninò, aut meriti speciem nos saluari fateantur; totum illud quod hic habet fides, correlatiuum quid esse. Nempè Christum salutem nobis offerre ita ex mere gratuita benignitate sua, vt nullam prorsus rationem vllius vel operis, vel dignitatis ex parte nostra, habere velit: sed solius necessitatis nostræ, ac misericordiæ suæ. Vt si diues quispiam eleemosynarius sciat egentissimum aliquẽ mendicum alicubi degere, ac mere spontanea sua charitate, eleemosynam ipsi largam offerat. Eo enim 16.

Mere gratis oblata Ministris salus.

Simile.

in casu, nihil prorsus dignitatis attendi, vel efficacia in inope: sed sola manus extensione opus esse, quæ gratuitam accipiat, atque apprehendat eleemosynam. Fides ijs est manus oblationem excipiens. *Talem nimirum in nobis fidem esse, quæ Dei gratiam in gratuitis ipsius promissis nobis oblatam, excipiat nobisque appropriet. Hæc hic istorum sententia est, nec aliter dicere possunt. Nam cum tres in hoc articulo sibi quasi limites posuerint, quos nec transgredi ipsis omninò liceat, nec mouere loco, ac ne quidem tangere: Vna quidem ex parte non nisi ex mera Dei gratia, ac benignitate totam nostram salutem perfici, nulla prorsus dignitatis nostræ habita ratione, sed solius intuitu passionis Christi: ex altera vero, omnem iustitiam Christianam, non nobis propriè inhærentem esse, sed mere extrinsecus imputatam, Christi, inquam, nobis misericorditer à Deo tributam; non nostram propriam: ex tertia denique, solam esse fidem, quæ hanc nobis iustitiam absoluta promissione, & absque omni vel operis vel meriti nostri conditione, oblatam conciliet; nihilque ea in re propriæ efficaciæ habere vel charitatem, vel vlla opera, vt pote immunda tota in se, & ex genere ipso suo peccata: necessario iam aliud dicere non possunt, quam quod diximus, illos dicere, sola in fidei nostræ acceptatione, totam ex parte nostra salutis efficaciam dispositionemuè consistere, ideoque manus eleemosynam gratuitam acceptantis officium, hoc in genere tantum præstare fidem; præterea nihil. Huc nimirum recidit omnis tam magnifica de virtute fidei prædicatio, quam isti ita perpetuo vrgent.*

Mini-

Minimum efficaciæ relinquunt fidei Ministri; dum solâ, ad instar manus, exceptionem salutis ei tribuunt.

17. *ATqui hoc ipsum dicere vel nihil est, vel omninò minimum virtutis fidei reliquum facere in salute nobis conferenda. Patet id primum ex ipsis Christi promißis, quibus salutem ille nobis suam obtulit, rite consideratis, quæ nusquam nuda, nusquam absq; adiecta operum ex parte nostra conditione reperiuntur: sed perpetuo vel explicite, vel implicite certe, simul annexam nobis operandi, & non credendi solum conditionem proponunt.* 17. Nulla extat promissio salutis absq; operum conditione.

Et explicite quidem id frequentißimè fit. Ita enim offertur nobis beatitudinis æternæ grossus; sed tanquam operarijs Domini in vineam mißis, non ociosis in foro stantibus. Math.20. *Ita promittitur brauium cælestis fælicitatis; sed tanquam currentibus in stadio, si fideliter id decurramus.* 1.Cor.9.24 *Ita proponitur corona iustitiæ: sed quæ nemo, nisi qui legitime certauerit sit coronandus.* 2.Tim.2.5. *Ita paratur hæreditas cum Christo beata: sed non aliter, quam vt cum ipso compatiamur adeunda.* Rom.8.17 *Ita aperitur vitæ æternæ ingreßus: sed ita tamen vt si velimus ad eam ingredi, seruemus mandata &c.* Math.19. B.17.

Implicite vero dum hinc inde, fides quidem vna exprimitur: sed tamen non nisi legitima illa ac plena seu viua, ac per Charitatem operans significatur. Id quod ex vnius Pauli interpretatione clarißimum est, qui cum vnus præ omnibus Apostolis

plurimus sit in fidei prædicatione, & operum legis à salutis per Christum partæ, segregatione: tamen ibi etiam, vbi maximè omnium contendit, minimè vel ex lege vel ex operibus legis prouenire nobis iu-
Gal.5.B 6 *stitiam; sed ex vna in Christum fide (id quod ad Galatas videre est) tandem se ipsum interpretatur non aliam se intelligere fidem, quam eam quæ Charitate formata sit, atq; operans, siue vt vulgata legit lectio nostra, quam, fidem* quæ per Charitatē operetur. *Nulla igitur vspiam plena salutis ita mere gratuita promissio est, qualis in simplici Eleemosynæ, quæ mendico fit, est oblatione: aliquid operis semper iuxta omnem fidei ductum requiritur in nobis, vt fides tandem nostra plene comprehendat quæ offeruntur. Itaq; idem æquè Paulus alibi, vbi æquè de fidei atq; operum legis comparatione agens, omnia legis opera omnemq; inde prouenientem iustitiam se penitus deseruisse asserit, vt vnam fidei iustitiam sectaretur; non propterea tamen se iam comprehendisse salutem, (vt Ministri sibi de ea fide blandiuntur) fatetur: sed sic demum in viam venisse salutis, iamq; adeò pergere in cursu fideli operum Christianorum, vt ita tandem brauium cæleste apprehendat.*
Phil.2.13. Fratres, *inquit*, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extēdens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. *Ita ille: Quod si igitur nulla vspiam talis simplex promissio est, ecquid*

est, ecquid apprehendat inanißima illa fides Ministrorum, cuius vnicæ illæ iam partes in salute assequenda reliquæ erant, taliter apprehendere oblata? An non merito dicamus, nihil solidæ vel operationis, vel efficaciæ istos ita fidei reliquisse, illud ei vnicum committentes, vt prehenset, quod nusquam est?

Patet vero idem ex ipsa etiam illa manus similitudine in Eleemosyna excipienda, qua vtuntur. Fides ita salutis concausa est, vt etiam saluos ipsa nos facere dicatur: quia nimirum propter fidem suam quemuis saluat Deus, vt in hoc Euangelio vidimus. At in mendicis neminem manus sua beare ac ditare dicitur, imo vero qui hoc loquendi modo vteretur, eo ipso omnem mendicationis rationem excluderet, nec ex aliorum se gratia viuere, sed ex manuum suarum merito significaret. Inde B. Paulus aliquando volens negare aliorum se eleemosynis vsum, ita loquitur Ephesiis. Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. *Et certe propter manum eleemosynam solum apprehendentem, nemo dicitur dare Eleemosynam pauperi. Itaque sæpe decem simul extenduntur manus, & vni soli libet Eleemosynario dare Eleemosynam. Si causa Eleemosynæ esset manus extensa, omnibus æquè daretur manibus extensis. Atq; adeò ne manum quidem requirit mendici, misericors eleemosynarius, dum æquè facile suum, in vasculum quod appositum est, inijcit munus, quam in manum id ponat extentam. Eo ipso igitur, quo nihil aliud officij*

Fides credentem saluat, non manus sua mendicantem.

Act. 2. 24.

officij reliquum faciunt fidei in salute nostra operanda Ministri, quam quod habet manus in Eleemosyna excipienda; vel nihil omnino vel minimũ certè efficaciæ atq; operationis ei in eo genere reliquêre.

Fides saluat quia Deum glorificat, non manus mendici talis.

Clarius vero id etiam fiet, si vel cum alijs scripturæ locis, quibus fidei salus attribuitur, vel cum ipso hoc Euangelico cæco apprehendentem istam Ministrorum salutis manum comparemus. Dicit scriptura per fidem iustificatum Abraham, propterea

Rom. 4. 20 quod fide sua dederit gloriam Deo, plenissime sciens, idq; ipsum profitens fide sua, quod quæcunq; promiserit Deus, possit & facere. Ideo enim reputatam eam fidem esse ipsi ad iustitiam Paulus affirmat, & eodem modo cæteris omnibus, qui simili fide fuerint præditi reputandam esse, propterea enim etiam idem ad perpetuam rei memoriam & exemplum omnium sacris literis esse mandatum. Iam confer ista manus apprehensioni in Eleemosyna, eamq; solam fidei esse reliquam cum Ministris nostris suppone, quantulum illud erit? Primum enim quam singularem gloriam dat Eleemosynario mendici apprehensio in Eleemosyna? quã excitandæ eliciendæue misericordiæ vim habet, cũ supponat Eleemosynam ipsam, iam alioqui sponte oblatam? siue vt isti loquuntur, gratiam ac salutem mere gratuito iam promissam?

18. Fides imputatur ad iustitiam, non manus mendici in eleæmosynam.

18. Deinde vero, ipsa vel manus extensio, vel nuda apprehensio, cui dici potest in Eleemosynam ipsam computata esse, prout fides nobis ad iustitiam

hoc in

hoc in loco imputari dicitur? Offer mendico munus, & fac vt id extenta manu sua apprehendat, ipsa ne apprehensio nuda ei in diuitias reputabitur? Resume tu ergo munus tuum, vt tanto clarius fiat, quid nuda possit apprehensio, & illi apprehensionem istam quæ superest imputa, quantulum ei relinquetur? An non nuda & inanis manus? Tantundem soli fidei isti reliquêre in iustificatione, virtutis.

Dicent hic forte Ministri, iniuria sibi talem casum subtracti iterum muneris, in mendico poni, vt nuda manus relinquatur, se enim in sua fidei apprehensione munus Dei oblatum inclusum velle. Intelligimus. At primum indubitatum est ex B. Paulo munus hoc iustificationis siue imputatam nobis à Deo iustitiam ipsam fidem esse. Fides *inquit* Abrahæ reputata est ad iustitiam. *Ea deniq; phrasi etiam iterato ibidem vtitur Paulus. Addunt deinde Ministri, (ex suo quidem, indubitato tamen) talibus in locis solam fidem intelligi, exclusa omni operum admixtione. Volunt deniq; etiam in ratione fidei, non habitum eius virtutemué accipi, sed nudam quasi manus apprehensionem. An non ergo merito inde inferimus, dum Paulus dicit, fidem nobis imputari ad iustitiam, idem secundum ipsos esse, ac si diceret solam fidei apprehensionem, tanquam manus cuiusdam, in iustitiam diuitiasué spirituales istis computari? Atqui hoc ipsum iam est, quod posuimus, cum nuda & inani manu absq; omni alia muneris adiunctione, istos relinqui.*

Longè vero alia secundum Catholicam veritatem est

tem est ratio. Secundum eam enim vt vere inhærens est nostra iustitia, ita verum initium iustitiæ fides, etiam dum sola est. Eadem vero fides dum pergit crescere, vt superius docuimus, eoq; peruenit vt fiat, quod Paulus habet, per charitatem operans, siue
Iac. 2. D. *vt Iacobus loquitur, ex operibus (scilicet charitatis) consumata, ipsa inquam talis fides, vt ibidem concludit Iacobus, in totam ac plenam iustitiam nobis imputatur, longè nimirum diuersissima à ficta ista manus Ministerianæ apprehensione.*

Sed ad extremum hæc omnia etiam ad Euangelicum cæcum referamus, nam & eum fides sua saluum ac videntem fecit. Is non in hoc primum vltimo Christi transitu fidem concepit in Christum
N. 11. *tanquam verum filium Dauid, siue Messiam ac Saluatorem suum, vti supra ostendimus: sed multò ante conceptam, hic demum exeruit, & in opus quod pro præsenti occasione poterat, vltimum deduxit. Si tota fidei virtus in apprehensione quasi manus consistit, cum multò ante iste fidem corde suo in Christum exercuerit, quid illa apprehensione effecit? Certe in suo proposito nihil. Cæcus vt ante omnem acceptam fidem fuerat, ita cæcus cum ipsa etiam fidei apprehensione permansit. Inanis ergo in sese illa apprehensionis virtus. Quid in ipso sanationis vltimæ momento?* Respice *inquit* Dominus fides tua te saluum fecit. *Virtus primaria sanitatis huius restituendæ à Christo profluxit sine dubio, vti initio docuimus; & tamen fidei istius eam tribuit Christus, quomodo vero fides eam operata est? secundum*

cundum istos apprehensione sua? manus quod excipit ipsa continet impleturq́; cum ante vacua esset. Fidesné autem huius cæci visum suo complexu excepit? ipsané ergo ante, visus vacua fuerat? Fidesné inquam eius antea cæca, postmodum videns effecta est? an corporis oculus? Certe non fides, sed oculus. Hic ergo iam Christus in sensu Ministrorum non quod dixit dicere debuit. Fides tua te saluum fecit, hoc est visus sanitatem excepit, sed oculus tuus. Id enim quod manus facit in eleemosyna, vt eam excipiat: id fecit oculus hic in sanitate & visu restituto. At vero eo si deueniamus, quam absona eiusmodi locutio? quam parum efficacia oculo quis tribueret? Imo nihil omnino, quia mere paßiué se habet oculus in tali gratia miraculi excipienda. Atqui isti nihil plus virtutis, in omni efficacia sua, fidei reliquêre.

Sed nimirum næniæ meræ ista Ministrorum sunt, à vera fidei virtute, explicanda longißimè aberrantes, vt sic scilicet errorem errore stabiliant, prout mendaciorum Magistros decebat; qui sæpè mendacium vnum defendere nequeunt, nisi simili id altero mendacio fulciant firmentué. Neq; enim aliter solam solius fidei iustitiam, reclusa omni prorsus operum piorum, vna cum ipsa Charitatis virtute, defendere se posse animaduerterunt. Sed quam longè alia sit fidei in salute nostra efficienda operatio, eademq́; non vna sed multiplex, nos fusè satis antea explicauimus, stabiliuimusq́;.

In hoc quidem Euangelico cæco nobis certißimum

mum est, illud voluisse Dominum dicere, dum dixit Fides tua te saluum fecit, hoc est propter tuam talem fidem, quæ hanc mihi Meßiæ gloriam, & in corde tuo ante, & hic modo publicè tribuit, ego te saluum facio feciué. Sanus ergo esto oculis, prout postulas, & respice; sanus, & animo, quia hanc tuam talem fidem hucusq; charitate progressam, iam tibi in iustitiam acceptam reputatamq; per me scito.

PARÆNESIS AD LECTOREM Euangelicum.

Quoniam Ministri, dum fidei virtutem alioqui eximiam, sed non alio quam Deus constituit modo saluantem; in alienum vsum deflexere; perniciosissimam mundo inuexêre illusionem: merito igitur fugiendi.

19. Fidei virtus eximia.

19. *SEd ad te tandem descendamus Euangelice lector, vt officij te iam tui, salutisq; ex ijs quæ diximus commonefaciamus preßius, vtq; & à periculis in quibus versare maximis, fraudulentis Ministrorum tuorum dolis circumventus, quantum quidem in nobis sit, te expediamus, & contra in viam expeditam reponere conemur salutis. Vide igitur hic ex ijs, quæ tam multa disputauimus, quam horribilem Ministri tui inuexerint in mundum in articulo hoc fidei deceptionem. Vide inquam & refuge, intellige & auersare. Sed ordine expende singula.*

Ac pri-

Ac primum quidem quanta sit ipsa vera fidei virtus, de qua agimus in se ipsa considera, tum quomodo nihil ea æquè ac alia omnia siue in naturalibus siue in spiritualibus causarum genera, possit, nisi legitime vsurpata, attende; ita demum clarissimè videbis illusionem istbanc intollerabilem Ministrorum tuorum.

Et quidem fidei virtutem esse præstantissimã, ac talem adeò sine qua impossibilè sit te vel placere Deo, vel salutem adire sempiternam; quæq; vel sola, si ea ritè, vti docuimus, vtaris, te beare queat, in confesso est. Nam & si aliunde id sorte æstimare nesciremus, vel ex ijs Euangelij huius quæ tam multis explicauimus hactenus; Fides tua te saluum fecit, *satis intelligi daretur. Saluos ea fecit & corpore plurimos, quibus propterea passim videmus à Christo dictum, æquè ac cæco isti in Euangelio,* fides tua te saluum fecit; *& animæ infinitos, qui iam nunc æterna propterea cum Christo beatitudine perfruuntur. Nec sine causa de ea Paulus.* Sancti *inquit* per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos &c. *Ita ille:*

Lu. 18. 42. Lu. 17. 19. Mat. 9. 22. Heb. 11. 33.

Sed ne illud quidem dubium habet, non aliunde tantam habere efficaciam fidem; nisi quia ita

Fidei efficacia ex Deo sed limitata illa.

placuit

placuit Deo conciliari nobis, suumq; credentibus præstare auxilium salutis. Deus enim vtiq; proprius est omnis salutis nostræ operator, vti initio vidimus, quiq; etiam dum per fidem saluari dicimur, ipse tamen proprie saluat: sed vt cui fide placuit vti, tanquam medio quodam, quo nos sibi dispositos redderet, ac salutis suæ capaces. Vnde & illud quidem necessario consequitur, non aliter saluare posse fidē, nisi eo, quo placuit Deo, vsurpetur modo.

Certis limitibus omnis causarũ virtus à Deo circumscripta est.

Id quod in omni etiam alio causarum genere vsu venire videmus. Sicut enim variam virtutem indidit varijs rebus Deus, idq; & in naturalibus & in spiritualibus: ita singulis simul certum operandi limitem circumscripsit, extra quem nihil poßint, ideoq; nisi pro suo singula adhibeantur proprio operandi modo, inaniter omnia adhibeantur. Docet id ipsa rerum experientia, & communis omnium causarum in operationibus suis cursus. Cibo potuq; nutriri ac conseruari placuit Deo homines vitam in naturalibus; sed non nisi commestione sumptis, atq; in stomachum demißis: igne vero foueri ac conseruari; sed non commesto illo, verum moderatè ac longiùs ab extra adhibito: medicinis deniq; varijs restaurari ac subleuari; sed alijs atq; alijs modis, his quidem per sumptionem interiorem, alijs vero per exteriorem solam admotionem vsurpatis, & alijs quidem vni alijs alij parti applicatis.

Eademq; ratio est etiam in spiritualibus Christi institutis, puta Sacramentis, quibus æquè ipsi placuit peculiari ratione nostram promouere salutem,

sed alio

sed alio atq; alio in singulis vsu. Alius enim Baptismi vsus est certus, alius Eucharistiæ, alius Pœnitentiæ, & ita de reliquis loquendo. In his omnibus si ordinem mutes eum, quem Deus ijs operandi præscripsit, inania vtiq; tibi reddideris omnia; puta, si cibum solum admoueas ad extra, ignem vero suscipias intra: si medicinas intus suscipiendas, corpori solum super imponas, eas vero quæ extrinsecus applicanda sunt, intrinsecus suscipias. Ita si aquam Baptismi, non ad lotionem spiritualem, sed potionis ad modum vsurpes: Eucharistiæ vero calicem ad baptismi tinctionem, similemué quemuis ad modum insolitum adhibeas. Idemq; iudicium est & de reliquis omnibus Dei institutis.

Eadem igitur & fidei ratio est, hoc est si saluari debeas per ipsam, eo modo ipsa vtaris necesse est, quo efficacem eam esse tibi voluit Christus, vt tandem & tibi verè dicatur: Fides tua te saluum fecit. *Aliter si vtaris, in uanum vtiq; laboraueris. Inanis omnis spes tua salutis, otiosa omnis fides, non minus quam inanis omnis cibus, cuius solius aspectu, non comestione, te nutriendum existimares; inanis omnis medicina, cuius auditu solo, non sumptione sanandum; inanis omnis ignis, cuius non admotione, sed solius recordatione calefaciendū. Nullum quidem ea dubium habent omnia hactenus.* Fides inanis est, si aliter vsurpatur quam institutum est à Deo.

20. *Iam hinc ergo te obsecro intuere quam horribilem mundo inuexerint illusionem infelicissimi isti Ministri tui, in tanta fidei suæ iactatione, quam prædicant. Nihil ijs in ore frequentius, quam fidei vnius* 20. Horribilis hic illusio Ministrorū.

dei vnius nomen. Nihil æquè vsitatum, quam vni fidei tribuere omnia, longe etiam ampliùs quam ipsi debeatur, totam nempè salutem eam, quæ illi cum alijs virtutibus Christianis omnibus, ac cum Charitate inprimis communis esse debet. Spumant deniq; toti, præ nimia fidei vnius commendatione ac prædicatione. Et ecce dum ad rem venitur, ac quæ propriæ fidei partes sint in salute nostra operanda, ijs explicandum est, eas quidem eliminant prorsus, elumbem ita atq; inanem inutilemq; reddentes, totam tibi tantam salutis efficaciam: contra vero alienum totum substituunt vsum, & pergunt nihilominus te iam saluum beatumq; prædicare totum, per fidem tuam, cum ne quidem adhuc initium feceris legitimæ fidei virtutis exercendæ. Haud secus ac si quis esurienti tibi, verum quidem cibum omnem subtraheret, præstigijs vero interim quibusdam ita tibi illuderet, vt omnino te existimares suauissimè tamen conuiuari, dum nudis te imaginationibus pasceret.

Propria Fidei operatio ad salutem qualis.

Nec dum satis ea tu fortasse percipis, quæ dico, ac forsitan etiam nimium quid imponi Ministris suspicaris. At ex ijs quæ tam multa disseruimus hactenus, si ritè scias expendere singula, tibi clarissimũ id factum est totum. Et qd est eorũ omniũ, quæ diximus de quo iã meritò tu ambigere possis? Legitimã fidei operationẽ ad salutẽ in eis esse diximus, vt ipsa nobis sit initium quoddam spiritualis animæ sanitatis, ab erroribus perpurgans animum, ac vera rerum diuinarum cognitione imbuens; vt primum nobis

mum nobis faciat aditum ad Deum, mentem nostram per obedientiam verbi Dei assensu, in Deum conuertens; vt totam præterea viam salutis pandat luce sua, quæ facienda sint, quæué fugienda ad salutem consequendam condocens; vt sementiua quadam virtute sua, ad perfectum vsq; Charitatis nos perducat, exercitium, summo rerum credendarum, quas exhibet momento, ad meliora nos continuo exstimulans, quo ita fiat fides per Charitatem operans, quæ sola in Christo valeat; vt simul denique ita nobis Christum conciliet, permoueatq;, ipsum summæ veritatis eius ac diuinitatis confessione glorificans, quo tandem iustificantem nobis ipse gratiam suam, & consequenter salutem æternam largiatur. Hanc inquam fidei operationem, hanc propriam efficaciam esse ad salutem; ita saluos nos facere male habentes corpore, dum id etiam Christo complaceat; ita saluos facere in anima (quod perpetuo sibi placere nos iam docuit Christus) demonstrauimus. Eo igitur modo si vtamur fide, eiusq; obsequamur ductui, salutem perpetuam & nos consecuturos esse; eo modo qui prædicet saluificantem fidem, legitimã docere viam salutis. Quid vero in iis omnibus ambiguum tibi? Nam hactenus quidem & certissima tibi ea nos, & nisi nos fallat opinio, clarissima etiam reddidimus omnia. At ecce Ministri id tui pernegant totum, eo quidem in sensu certè, in quo vel ea nos asseruimus, vel ipsa id Catholica veritas requirit. Id quod & ipsum quoque nos, antea iam tibi probatum dedimus satis.

N. 4. 5. 6. 9. Propria Fidei operatio à Ministris tota vitiata.

Quam

Illusio ludicra.

Quam igitur fœda illusio isthæc, quam ea ratione induxere in re tanta isti, quam horribilis deceptio? Ex minimis ea æstimato. Si quis fortè elegantioris se cultus magistrum professus, ita te instituerit, in ijs quæ ad vestitum pertinent, vt calceos quidem capiti aptandos persuaderet, pileum vero pedibus, toracem femoribus, femoralia humeris, tibialia brachijs manicas tibijs inserenda, sicq; in publicum prodire iuberet, tanquam insigniter ornatum, an non per eum te insigniter illusum iudicares? Omnino tu quidem ita, & merito iudicares. Nempè quia proprium amictus cuiusuis vsum in alienum prorsus illusor ille tibi commutasset, sicq; deridendum te mundo toti obiecisset. Et tamen id totum ludicrum hactenus solum. Quale quidem & illud foret vt si quis fabrilem professus, serra quidem te cuneos quatere doceret, lima vero asseres findere, dolabro secare ligna, securi limare ferruginem, & ita de omni alio præpostero rerum vsu loquendo.

Similia.

Illusio damnosa.

Leuis talium ludorum iactura, simplex scilicet vulgi irrisio. At vero si simili quis te lusu luderet in re quapiam cum primis lucrosa, certaq; tibi promissione destinata, puta in thesauro aliquo effodiendo, similiué quouis adeundo lucro, quo propter solam tamen huiuscemodi illusionem tibi carendum foret, an non longè etiam minus ferendam tibi factam fraudem censeres?

Illusio perniciosissima Ministrorũ.

Quod si idem in re & maximè lucrosa, vna ex parte, & maximè periculosa ex altera, tibi contingeret, ita vt simul & lucro certo proposito tibi excidendum

cidendum, & contra in certum capitis discrimen inde veniendum foret; an non ita iam longe & turpißimè & perniciosißimè te existimares deceptum? Puta si tyroni tibi, atq; omnis militiæ ignaro, cui extrema tamen quæpiam necessitas incubuisset decertandi, certißimo capitis periculo, si succumberes, maximo vero proposito præmio, si hostem superares: illusor ille militarem professus artem, omnium armorum præposterum vsum ostenderet, & galeam quidem lumbis, dorso vero clypeum, thoracem femoribus, & ensem deniq; pedibus aptandũ doceret. Simile.

Et ecce simillima isthæc Ministrorum deceptio est, sed ita vt magnitudine sua, infinitum propè excedat omnem illum, quem diximus, lusum. Non enim simplex ea, aut ludicra solum illusio est, sed in qua simul & de lucro agatur omnium maximo amittendo, vt potè sempiternæ fœlicitatis; & discrimine contra extremo omnium adeundo, vt potè suppliciorum inferni æternorum: & in proprio ea illo instrumento est, quo vnico vel conquiri lucrum illud salutis potuisset, vel euitari damnationis discrimen, puta in fidei veræ ac viuæ vsu proprio ac vero. Quanta ergo isthæc hic deceptio Ministrorum tuorũ? Tanto quidem ea pestilentior certe, quanto cœlestis salus, quæ ita amittitur, omnibus terrenis fortunis præstat; quanto æternum gehennæ incendium, quod ita incurritur, omnem vitæ huius præsentis calamitatem excedit, quanto deniq; etiam fraus ea tota latentior, ac difficillima cognitu vulgo, ita vt non poßint non induci in errorem infiniti.

21. Fugiendi igitur Ministri.

21. *Iam igitur hæc cum ita habeant Euangelice lector, quid tu obsecro cum talibus Ministris amplius tibi faciendum censes? ijs ne vti perges tanquam veræ salutis Magistris, qui ita nequiter, etiam primarium salutis adipiscendæ instrumentum, in alienum tibi vsum deflexêre? At simile quid nisi haberi velles stultissimus, in nulla, ne minima quidem arte admitteres.*

Nunquam enim tu certè eum vestiendi magistrum audires, qui chirotecas quidem pedibus, calceos vero manibus, induendos suaderet. Nunquã eum militiæ doctorem acceptares, qui hostem quidem eminus feriendum cristis galearum, caput vero ornãdum clypeo, ac genua munienda galeis doceret. Nunquam eum salutis medicum tibi aduocares, qui emplastra quidem manducanda infirmis suis proponeret, vnctiones vero varias bibendas propinaret: at contra pillulas, syrupos, electuaria, externè in vngendis membris applicare soleret. Eademq; ratio est in omni præpostero artium aliarum omnium vsu. In sola ne ergo fœlicitate æterna quærenda, tales tibi ductores asciscꝭs, adeòq; iam etiam agnitos, necdum refugies, in qua re sola omnium & grauissimè & exitiosissimè erratur? Nunquam tu quidem si sapis.

Ergo desere tandem, desere tanti magistros erroris, ad vnam vero germanam salutis magistram Ecclesiam Catholicam conuertere, eiq; tota te obedientia coniunge: ita fiet vt fidem vnice veram ac saluificam, & legitime discas; & ritè ad opus adhibeas,

bibeas, & per eandem tandem vere ac re ipsa saluus fias. Sin ita quoq; pergis blandis erronum istorum pollicitationibus, obsequi; & omnino fide sola apprehendere contendis salutem: scito miser, te ventos captare inanes, & somnia vana prehendere, quæ nusquam sunt, & sola deniq; fallaci imaginatione pasci, eo modo quo somnians etiam conuinatur. Expergiscere vero aliquando (sed heu sero nimis) & inuenies te nudum quidem totum, atq; inanem ab omni fælicitate, vt quæ longe alia fidei exercitatione fuerat captanda, quam tu eam prehensaris: contra vero in immenso quodam pelago calamitatum ac condemnationis demersum. O seram tum nimium veritatis agnitionem, ac resipiscentiam tuam. Sed ad Ministros ipsos compellandos pergamus.

Ventos captare docent Ministri & somnia.

PARÆNESIS AD MINISTROS.

Merito resipiscant Ministri, in tantis fidei corruptelis, non risu solum & compassione, sed extrema etiam execratione digni: qui ipsum fructum ligni vitæ, mundo sic abstulêre dupliciter; cæci ipsi, cæcorum duces se profitentes.

22. *Vos vero interim, ô infælicissimi salutis humanæ proditores, Ministri, quid ad omnia hæc? vera ne sunt quæ dicimus an iniuria fortè tantæ vos imposturæ accusamus? Iniuria quidem certo dice-* 22.

Ministri magni fidei prædicatores volunt haberi.

tis, quia fidei longè alia vobis consueta est proclamatio. Nam nec esse quidem fidem veram nisi opera adiuncta habeat, & credendum Deo in omnibus, imo soli eius verbo vos vrgere perpetuo, & ianuam salutis fidem, & conuersionem ad Deum primam, & lumen animarum nostrarum agnoscere aliaq; his vicina, iis quidem omnibus simillima, quæ nos quoq; tam multis disputauimus hactenus. Ita quidem vos & ipsosmet vos decipientes, & eos qui vos audiunt. Verum omnes hic verborum ambages paululum seponite, & rem ipsam qualis sit in se ipsa considerate.

Quærimus quis proprius fidei vestræ solius saluantis sit vsus? quod opus? quod officium quo saluatura vos sit. Eodem modo quo in re vestiaria quæreremus, quis proprius chirotecæ vsus? vt vos vestiat, pedes ne vt induat an manus? quo in re fabrili, quod proprium dolabri opus? ligna ne vt findat, an fissa vt leuiget? quo in re militari, quis proprius galeæ finis? lumbos ne vt protegat, an caput? Ita inquam fidei solius saluantis apud vos exercitium? suoné vt lumine assensuq; quem Deo præstat in omnibus, initium sit eo ipso salutis in nobis; dirigatq; porro nos ac perurgeat semente sua, vt pergamus obsequi Deo, donec ad plenam Charitatis operationem in nobis perueniat, sicq; consummata operibus saluet; quod & nos as-
N. 9.10. 11. serimus, & ipsa habet veritas Christiana, vti fusè docuimus superius? An contra, eorum quidem omnium nihil ingredi possit in ipsam iustitiæ Christianæ

stianæ propriam rationem, (quia nimirum conciderent ita vobis primaria totius fidei vestræ firmamenta, de imputata solum iustitia; de mere gratuita absq; omni operum conditione permissa salute; de sola fide iustificante absq; vlla admixtione operum; de omni operum nostrorum contaminatione, tanquam panni menstruatæ coram Deo hisq; similia) sed in sola promissorum Diuinorum propter Christum mere gratuitorum apprehensione, tota iustificatio consistat? hoc inquam hic quærimus & hic quæ vobis sit sententia propria atq; ab omni Papisticæ iustificationis admixtione excolata; vt ipsi quoque vos nobiscum expendatis, volumus: Et dico vos nec aliter docere, nec omnino posse aliter docere quam diximus. In sola nimirum illa relatiua fidei quasi manus Eleemosynam acceptantis apprehensione, totum proprium vobis fidei iustificantis consistere, vel opus, vel vsum. Id quod ipsum nos N. 16. *supra demonstrauimus esse, & omnem propriam fidei virtutem eneruare penitus, & in alienum prorsus vsum à legitimo suo fidem deflectere: Haud secus ac qui chirotheca pedes induere doceat, dolabro ligna findere, galea lumbos communire.*

Ministri ridiculi Bacchanales.

At vero his positis, agnoscitisné infœlicissimam condicionem vestram, in infœlici isto Ministerio vestro? Primum, vt ne à bacchantium his diebus, consideratione longius absimus, qui Curios simulatis, mera ita Bacchanalia in rebus salutis & viuitis ipsi, & alios viuere docetis, laruati apparentes, toti (quod Bacchanaliorum proprium est) &

Deo, & angelis eius, & pijs omnibus, qui paulò accuratius ista considerant, & ipsis etiam dæmonibus contemplantibus inuersum habitum animarum vestrarum. Proprium laruatorum bacchantium est, prodigiosam aliquam amiciendi se formam exquirere; sicq; omni inuerso vestitu in publico comparere. Vos ipsum etiam primum spiritualis vestitus omnis amiculum, quod in fide est, totum inuertistis; atq; in alienam vobis formam vestrisq; omnibus commutastis.

Ministri fumum prehensantes.

Et in eo quidem risu digni hactenus, in illo vero etiam compaßione: Ecce enim auras captatis inanes manibus, & ventos colligitis, & fumum prehensatis, itidemq; etiam vestros credentes omnes docetis, vt faciant; in eo vos solos beatos, diuites, saluos æstimantes, cum interim phreneticis simillimi, & inanißimi remaneatis toti, & ita miserrimi, egentißimi damnati. Nempè oblatam vobis salutem sempiternam absq; omni operum conditione fide vestra tanquam mendicanti manu captatis perpetuo, & captare omnes vestros docetis: cum talis oblatio & nulla sit, & nusquam sit, sed conditionata sola, vti ante vidimus, omnis. Itaq; cæco mendicanti, eodemq; phrenetico estis, vna cum omni grege vestro, simillimi; qui tota die ad mendicandum exporrecta manu, cum nemo sit qui eleemosynam porrigat, ipse tamen aërem inanem captans, continuo suam sibi implet perulam, in eoq; se sibi imaginetur Crœsi diuitias recondere: et ecce miser, vespere aduentante, totus tandem deprehenditur inanis,

Cæcus mendicans phreneticus eleemosynam captans vbi nulla datur.

æquè

æquè ac cum primo mane se ad mendicandum exposuisset. Ita infœlices vos, vita vestra tota prehensatis salutem manu fidei vestræ, sed talem illam qualis nec est, nec fuit vnquam in omni rerum natura; quæ deniq; in sola imaginatione vestra locum habeat: ideoq; vbi tandem ad vitæ vesperam ventum sit, nudos vos heu totos, atq; omnis salutis expertes, in perpetuam demittat omnium bonorum egestatem ac damnationem. Nam si Paulus, de omni etiam vera fide loquens, illud asseueranter affirmet, etiamsi eam omnem haberet, & quidem adeo in se potentem, vt montes transferret; nihil tamen se fore, nisi Charitatis ei adesset simul operatio: quanto magis vos, & nudi & miserabiles, & nihili deniq; in fide ista vestra, ne fide quidē, sed sola imaginaria ac somniorum vestrorum prehensione. 1. Cor. 11. A. 2.

23. *Infœlicissima planè conditio vestra, etiam si solis vobis ita pereundum foret, etiam inquam, si soli ea ratione pro vobis singuli excideretis salute sempiterna, prout omnes credentes vestri excidunt. Iam vero cum ex ipsa professione Ministerij vestri, infinitos vna vobiscum singuli in illud ducatis exitium; quibus vos soli potissima perditionis causa estis, ista ipsa tanta fidei veræ, ac saluificæ deprauatione vestra: quantam inde putatis molem malorum in vnum infælix caput vestrum incumbere? quam vero impij ideo omnes conatus vestri? quam iam vos non risu, vt in ludicris, non compassione vt in miserabilibus, sed etiam detestatione atq; execratione, vt mere maliciosis nocentissimisq; in rebus, digni? Quis* 23. Ministri impij lignū vitæ mundo viciātes.

enim satis explicet, quanta ea sit pernicies, quam in mundum vel vnica ista, impostura vestra, vnica inquam fidei tali corruptela induxistis?

Lignum vitæ.

Ipsum quidem ita lignum vitæ, quod ad fœlicitatem æternam obtinendam vnicum iam voluit esse nobis remedium Deus, totum mundo quantum in vobis est, eripuistis. Plantauerat ab initio Deus in paradiso lignum vitæ, quo quicunq; legitima manducatione fuisset vsus, communem hanc corporum vitam, ab omni mortis periculo immunem reddere posset. Quam ea res optata mundo? quã vobis ipsis ô Ministri, si fortè eius etiam num daretur copia, desiderabilis? Sed inuidia diaboli factum est, ac fraudulenta eius machinatione, vt tanto bono exueremur, maximo nostro malo. Attamen singulari Dei misericordia aliud pro illo longè etiam nobilius efficaciusq; nobis substitutum est, quo & animabus nostris & corporibus tandem æternum viuere, & quidem fœlicissimè daretur: modo & ipso vti legitimè sciremus. Lignum isthoc Christus ipse est, fructus eius legitimè vsurpandus, merita passionis eius sunt, fide viua & per Charitatem operante, & quo nos superius modo descripsimus, nobis applicãda

Corruptela duplex.

Vos vero ecce etiam ipsum, ista tam impia fidei veræ corruptione totum mortalibus abstulistis. Quam igitur diabolica occupatio vestra? quam intolerabile ministerium? abstulistis inquam, & quidem duplici ratione. Primum quia talem docetis fidei apprehensionem, quæ reuera vti vidimus, nulla est, nisi imaginaria; qua inquam quiduis potiùs

appre-

apprehendat, quam ligni vitæ huius legitimum hunc fructum. Eo enim porrigit manum suam, vbi nemo illum reposuit. Similes eo in genere estis ijs præstigiatoribus, qui ibi quoq; vbi nihil est; mira tamen quandoq; phantasmata oculis hominum obijciunt: sed ad ea apprehendenda si extendant illi si manum, nil tandem esse deprehendunt præter phantasma merum. Secundo, quia tum quoq;, dum in fidei hac doctrina, verum quid de fidei officijs prædicatis (vt si eam lucem veram asseratis, ad omnia opera nostra humana dirigenda, si insitum verbum prædicetis, quod possit saluare animas nostras, si placitam Deo, hisq; similia alia) proprium tamen quem habet saluandi modum, totum inuertitis substituitisq; alienum. Nam eo quo maximè modo saluare à Christo, & in hodierno Euangelio, & passim vti vidimus, asseritur: eo vos id maximè negatis, alium contra fictum, vestroq; proprio in cerebro natum subinducentes. Similes eo in genere vel imperitis, vel nequam medicis ijs, qui etiam præstantissima vitæ medicamenta, vsu quem præscribunt suis inepto ac præpostero, tota inutilia reddunt infirmis. Talis ecce negociatio vestra ô infælices, talis conditio, tale infœlix Ministerium istud verbi.

Quid igitur vos tandem ad ista? Necdum forte ea videtis? necdum agnoscitis? At ita quidem cæci estis decies, præ eo cuius est in Euangelio mentio, miseriores. Is enim vt vt miserè cæcus esset; agnouit tamen malum suum; indeq; & remedium eius quæsiuit & inuenit: vos vero, & maximè e- Ministri decies miseriores cæco in Euangelio.

stis cæci, & interim tamen phreneticorum in morem, maximè dicitis, quia videtis, quin cæcorum etiam vos duces profitemini; eoq; ipso incurabile vobis prorsus redditis malum vestrũ. Simillimũ nimirũ illis inferni titionibus, quibus aliquando interro-
Ioan.9.41. *gantibus*: Nunquid & nos cæci sumus: *Respondit Christus*: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, quia videtis, peccatum vestrum manet.

Pergite ergo pergite miserabiles blandiri vobis de singulari perspicacitate oculorum vestrorum: pergite vos solos proclamare sapientes, Vos duces
Rom.2.20. cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, magistros infantium, eruditores insipientium, venditare. *At scitote interim vos esse cæcos*
Luc.6.39. *ac duces cæcorum*. Nunquid vero potest cæcus cæcum ducere quin ambo in foueam cadant? *Scitote igitur recta vos ita, vna cum omni seducto grege vestro, in præcipitium illud horrendum tendere foueæ infernalis: vbi ex internis istis excæcatæ mentis vestræ tenebris, corruatis in tenebras exteriores. Heu vero ibi quantæ tenebræ erunt vestræ? quam ab omni luce consolationis, in omnem æternitatem longè segregatæ?*

PARÆNESIS AD CATHOLICUM LECTOREM.

Quoni-

Quoniam habet in fide sua Catholicus & initium iam, & germen salutis; merito ei cooperatur, vt saluus fiat. Sin pergat mendicare a mundo voluptates illicitas, fiet infælicissimus.

24. *ET hæc quidem hactenus cum istis: nunc tui quoq; te tandem officij commoneamus Catholice lector, quemq; ex huiuscemodi disputatione nostra fructum colligere debeas ostendamus. Vidisti quid Dominus cæco isti Euangelico dicat,* Fides *inquiēs* tua te saluum fecit; *vidisti quo id sensu dicat, quæ inquam propriæ fidei partes sint, in salute nobis diuinitus concilianda, quæ non sint; quid sola possit eo in genere fides, quid non possit; siue vbi vel quatenus aliarum etiam virtutum Christianarum, ac quomodo hic sibi necessarium subsidium asciscat. Deniq; etiam impias pariter ac pestilentes Ministrorum imposturas, eo in genere vidisti. Iam cauendæ ne tibi sint in posterum etiam diligentius tantæ istorum fraudes, mirum si admonitione habeas opus. Illud merito inculcandum magis vt quā tibi ad salutem assequendam paratam hic demonstratamq; cernis viam, eandem quam studiosissime persequare. Eam ergo hic iam meditationem ingrediare attentius, atq; illud primum mecum accuratius consideres volo.* 24.

Quæro enim à te, saluus ne esse velis, ea salute quam Christus Saluator attulit mundo, quamq; cæco huic in Euangelio se conferre testatus est? Fi- Salui fieri optamus omnes.

des *inqui-*

des *inquiens* tua te saluum fecit, *an secus? Quæro inquam, neq; extra rem talis tibi videri debet quæstio. Christus ipse Saluator in Euangelio eam tibi, in cæci huius persona, dissoluendam proponit.* Quid vis *inquiens* vt faciam tibi. *Quæ tua igitur hic sententia? quod consilium est? Hæsitabis ne vero tu respondere hic mihi, omnino te id optare vt saluus fias? Minime quidem puto: adeò & magna est salus ea, vbi ad perfectum suum in cælis peruenerit gradum; & naturale omni homini, vt quam optimè sibi consultum velit: Ita vero è contra etiam horribilis est ea perditio, quæ omnes illos manet, qui salute ista excidunt, in omnem æternitatem.*

Matth.25. B.21. *Procul est ab illa salute tandem omnis & luctus, & clamor, & dolor, & morbus, & mortis species, & quicquid deniq; molestiam vllam parere posit vel minimam. E contra vero tam plena omnis beatitudinis optata satietas, vt ingredi dicantur, qui eo admittuntur, in gaudium Domini sui, haud secus ac qui immensum quoddam pelagus ingrediuntur deliciarum. Contra vero etiam in apposita saluti illi damnatione, procul omnis non modo consolatio est, sed & spes consolationis, nec ignis eorum, qui eo concidere vnquam extinguitur, nec vermis emoritur, nec tenebræ illæ exteriores dictæ, imo extremæ, illuminantur; sed fletus est, & stridor dentium*

Matt.9.G. Matth.25. *perpetuus, & sempiternus ibi deniq; horror, nullus vero ordo inhabitat. Voles tu igitur certè fieri saluus salute tanta, quæ & tantis te expediat malis, & tam eximijs æternisq; contra beet atq; amplificet bonis.*

Iam

Iam ergo perge mecũ meditari iſta accuratius. Dico hic ſimul te viam expeditã habere propoſitam, atq; ipſius Chriſti tibi ore deſignatam, qua illam aſſequare: quin eo ipſo, quo Catholicus es, quo vera inquam ac ſalutifera fide Catholica imbutus, iam & in eadem te via poſitum eſſe, diuina gratia, & eiuſdem illius ſalutis iam initium ſingulare ſortitũ; ſanato nimirum intellectu tuo, atq; ab omni hæreſeon errorumuè peſtilentiſſimorum, in rebus diuinis ægritudine perpurgato; & facem præterea accenſam quæ præluceat tibi, ad omnia deuia euitanda; Deniq; fœtum quendam iam in te conceptum ſalutis, qui potens ſit creſcere paulatim in virum quaſi perfectum, ſiue in ſtatum te ſalutis maturum promouere. Eo ipſo enim genitus iam es verbo veritatis Deo, vt ſis initium aliquod creaturæ eius, *vt Iacobus loquitur, ſiue vt ſcriptura alibi,* Particeps *iam* Chriſti effectus *es*, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſq; ad finem retineas firmum.

Expedita m ſalutis viam in fide ſua habet Catholicus.

Iac.1.C18. Heb.3.C14

Deniq; eo ipſo verum etiam in te eſt, quod de verbo fidei ex Moyſe interpretatur Paulus: Mandatum *inquit* Moyſes, hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, quis noſtrum poteſt ad cœlum aſcendere vt deferat illud ad nos &c. Neque trans mare poſitum, vt dicas: quis poterit transfretare mare & illud ad nos vſque deferre &c. Sed iuxta eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo;

Deu.30.14. Rom.10.B

tuo, vt facias illud. *Ita ille: Addit vero Paulus,* hoc est verbum fidei quod prædicamus. *Nempè quia Catholicus iam es, non procul id à te dißitum, sed in corde iam tuo, eo ipso reconditum est ac conceptum insertumq́; vnde facillimè pergere iam poßis, ad plenam adipiscendam salutem.*

Verum nondum propterea tu totus saluus, ne animia quidem; fouere te conceptum eum necessè est, donec excrescat in fœtum maturum; obsequi inquam dictamini fidei illius, & ea quidem fugere quæ fugienda illa docet, ea vero amplecti atq; exequi, quæ facienda, in vsq; perseuerare aßiduo: sic demum verũ & de te erit dicere: Fides tua te saluũ fecit, *non minus quam in hoc Euangelio, vere dictum cæco isti, iam videre incipienti,* respice fides

Rom.10.9. tua te saluũ fecit. *Nam vt eodem illo loco pergit Paulus:* Si confitearis in ore tuo Dominum nostrum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. *Si confitearis inquam in ore*

Tim.1.16. *tuo, simulq́; tamen, quod alibi addit,* factis non abneges oris tui confessionem. *Id enim si forte fiat, in eorum te referendum docet numerum, qui* sunt Deo abominati, & incredibiles, & reprobi ad omne opus bonum. *Hæc inquam vera, hæc vnica tibi ad salutem illam, de qua loquimur, plene assequendam apta est via.*

25. 25. *Iam tu igitur hic quid porro tibi faciendum censes oro? quæro enim à te atq; vt tecum ipse resolute tibi respondeas volo, quid de tanta tibi proposita*

salute

salute sis facturus amplius? sistere forte placet ad viam eam, in quam positus es, ac quiduis agere potiùs, quam incboatam illam persequi salutem? negligere inquam diuinum fidei tuæ ductum, & quæ corde credis placita Deo ac necessaria saluti, ea factis respuere: ac contra peccando negare, an potiùs obsequi fideliter ac viam mandatorum Domini decurrere post Christum? Tertium quidem hic non datur quod eligere poßis.

Quid igitur tu tandem? Nempè sistis tu, & cuiuis indulges potiùs, quam tantæ saluti, carni interim, mundo, sathanæq; deseruiens, æquè ac si verbum tantæ salutis nunquam agnouisses, nunquam corde concepisses. At talis quidem & infœlicißima tua conditio est, & stultißimus omnino animi sensus. Ecce enim eo ipso iam, quod antea te velle asserebas, vt saluus fieres, re ipsa abnegasti; cumq; ad portum salutis, deberes totis viribus intendere, recta tu proruere videris in barathrum perditionis. Et quæ infœlicitas maior? Cum enim salus te illa maneat longè beatißima, & nunquam emoritura; tu interim illa neglecta, initium quidem quod in te est tanti boni, fidem inquam veram atque Catholicam, totum tibi inane reddis & ociosum, (fides enim vtiq; sine operibus, & ociosa est & mortua,) Contra vero solatiola emendicas à creaturis varijs, in concupiscentijs peccatorum tuorum, eaq; inanißima, & quæ tandem æternis tibi sint, supplicijs exoluenda. Et in ijs tamen omnibus ita conquiescis, ita desides, ac si tibi in eo ipso, optimè consultum foret. Po-

Infœlix cõditio ac stulta peccatoris.

Iac.2.D.

ret. Poterat ne autem, tibi quicquam euenisse infœlicius, aut perniciosum magis? Nil vero ne excogitari quidem, si ita pergas. Cumq; id ipsum totum, spontanea tua electione tibi asciscas, quid stultius, aut uecors magis tali consilio tuo?

Mendicus Euangelij. *Cæcum Euangelij huius contemplare, in eo habes viuum exemplum, in quo isthæc omnia clarius intuearis. Sedebat is ad viam corpore, & emendicabat ab omni prætereunte tenuem sibi stipem. Misera ne satis tibi talis conditio videtur? vno tibi anno solo ea contigeret sors, quo non precio studioué eam redimeres? at longe tua miserabilior, qui anima talis es, comparesq; & Deo, & angelis, & omnibus sanctis eius.* **Omnis peccator mendicus.** *Meritissimò enim omni peccatori, etiam cum beatus is sibi videtur, illa Christi dicta intelliguntur.* **Apoc. 3. 17.** Dicis quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Et quid aliud agis, dum nunc quidem in concupiscentia carnis, nunc vero in concupiscentia oculorum, nunc deniq; in superbia vitæ, (quibus in rebus totam mundi sitam, esse B. Ioannes vult substantiam)* **Ioan. 2. 6.** *tuum quæris, contra omne fidei tuæ dictamen, gaudium: quam quod ab omni creatura variè emendicas solaciola; quæ tamen etiam vbi copiosissimè hauseris, tandem inanissimum relinquant animum tuum, & longè quam ante ea hausta sitientiorem?*

Verè ergo tu mendicus, longè etiam Euangelico isto miserabilior, & inanissima emendicatio tua, ex ipso ge-

ipſo genere ſuo, & eadem perniciosiſſima; vt quæ quanto plura fueris per eam conſecutus, tanto tibi maiorem ſit cauſatura in perpetuum calamitatem. Eodem vero etiam nomine ſtultiſſimus, præ Euangelico iſto, tu mendicus. Nam ille quidem, non longiùs hæſit, in ſua illa mendicatione, quam ineuitabili quadam ſua neceſſitate, in ea detineretur: tu vero cum fieri poſſes per fidem iam tibi inſertam, longè in Deo ditiſſimus, venam aquarum viuentium in te iam continens: tamen ſponte tua, tam nefandæ illi mendicitati te addicis, qua nihil poſſit vel excogitari nocentius, & Deum quidem derelinquis fontem aquæ viuæ, & fodis tibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Hier. 2. 13.

26. Quid igitur iam tandem tu? Pergeſne ſponte tua tantum tibi fidei quod habes, bonum inutile facere? Pergeſné ſponte tua cæcutire, & perſpicaciſſimos alioqui fidei tuæ oculos, lutoſo fœdiſſimarum cupiditatum tuarum, cœno oppletos, deſœdatos, occæcatos tibi reddere? Pergeſné ſponte tua, cum adeo diues eſſe poſsis in Chriſto, turpiſſimam à vanitate creaturarũ mendicitatem exercere? Pergeſne ſponte tua porcos alienos, in domo aliena, cum prodigo illo filio paſcere, qui omnibus abundare bonis poteras, in paterna tua domo? Deniq; pergeſné tu ſponte tua perire? ſponte inquam tua, ſalute æterna excidere, ſponte tua incendia tibi ſempiterna aſciſcere? 26. Stultus mẽdicus peccator.

Quin tu potius reſpice cæce, miſer, ac miſerabilis, reſpice inquam, prout id iampridem in cæco iſto E- Reſpiciat igitur vt mẽdicare ceſſet

isto Euangelico desideratum à Christo vides. Respice inquam, atq; vnum fidei authorem, & consummatorem Iesum aspice, qui proposito sibi gaudio, *(vt peculiariter admonet Paulus, & ipsum hoc satis Euangelium hodiernum, initio sui insinuat)*
Heb. 12. 2. sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet, *eum inquam respice; eius promissa immensa attende; eius comminationes seuerissimas expende; eius vestigia contemplare, & exurge, quin exilij, ac cum beato isto Euangelij huius cæco iam illuminato, sequere magnificans Deum. Ita fiet vt in Hierusalem tandem cælestem, beatissimam illam ac vere pacificam, vna cum Christo conscendas, ac plenissimè etiam in te verum fiat, vt dicatur.* Fides tua te saluum fecit.

Sin cessas, atq; ita perpetuo in tua pergis hærere mendicitate, præteribit te quidem transiens Salua-
Luc. 16. *tor Christus; præteribit vero cum eo omnis simul veræ salutis occasio: tu vero cum miserrimo illo quondam epulone, simili tui solatiorũ mundi huius mendico, cum minimè cogitaueris, in tam extremam incides alterius vitæ illius mendicitatem, vt ne in summis quidem gehennæ ardoribus, vel vnicam aquæ guttam sis impetraturus, extremo digito misero instillatam, in perpetuas æternitates. O vere horrendam egestatem, ô miserrimam ex ipso genere suo mendicitatem, sed ijs potissimum intollerandam, qui post tanta præsidia salutis æternæ, quanta vna ipsis fides Catholica, prout vidimus, præstitit neglecta, stultissimo de merito suo, sponte sua in eam collabuntur.*

ANNO-

ANNOTATIO LOCORVM VARIORUM, qui circa ea, quæ diximus, tractari possunt.

Primus locus.

Fidei tractatio, eatenus huc spectat, quatenus saluare nos dicatur. Idq; non nisi disponendo ad salutem vt diximus, intelligi debet.

27. QVoniam illorum Euangelij verborum, Fides tua te saluum fecit, *interpretationem hic propriè quærimus, eademq; occasione de fidei salute iustitiaué agimus (eodem enim ista tandem recidunt, in rebus animæ. Salus enim animæ in iustitia eius est) illud primum obseruandum est, neq; de fide, neq; de iustitia Christiana, in tota latitudine sua huc tractationem spectare: sed quatenus fides salutem nostram operari dicatur. Hic igitur illa primum in genere maximè propria quæstio est, num eo modo iustificet fides, ad meliora nos dirigendo, deducendoq; donec ad perfectionem charitatis, atq; obedientiæ saluti necessariam perueniat, quo Catholici dicimus, nosq; superius fuse docuimus: an simplici illa apprehensione gratiæ Dei, gratis omnino oblatæ quod Ministri volunt.* 27.

Fides disponēdo saluat non apprehendendo.

Id vero quale sit, ex Euangelio hoc præsenti, alijsq; similibus locis, vbi de salute corporibus restituta per fidem agitur, cum primis commodè ostendi

 potest,

poteſt. Nam primum, in talibus ſanitas aliena imputata locum habere non poterat; propria omnino requirebatur. Sed neq; apprehenſioni fidei ſolius ea propriè poterat aſſcribi. Diu enim ante iam apprehenderant fide ſua Chriſtum vt Saluatorem iÿ, qui poſt modum ita ſani facti ſunt. Id quod in cæco iſto perſpicuè vidimus: Nec tamen ſalui facti ante fuêre, quam feciſſent quæcunq; fides iÿs dictaſſet facienda, ſicq; Chriſtum ad plenam ipſis gratiam ſanitatemq; præſtandam inflexiſſent.

Porro cum eadem loquendi phraſi: Fides tua te ſaluũ fecit *æquè tribuere ſoleat ſalutem corpo-*
Lu. 7. 50. *rum in talibus Chriſtus, quã in aliÿs etiam animæ iuſtificationem (quod in Magdalena maximè videre eſt) ſine dubio illud declarat: eandem ſe operationem fidei in vtriſq; intelligere: hoc eſt ſimillimo modo ſalutem vnis ſe donare ac conferre, quo & alteris propter fidei ipſorum diſpoſitionem. Vnde quidem conſequenter & illud merito concludimus, ſi vnis non propter vnam ſimplicem oblatæ ſanitatis apprehenſionem illam contulerit, ſed ob fidei diſpoſitionem, per debitam cooperationem, à nobis explicatam acquiſitam: ne in alteris quidem aliud eſſe accipiendum.*

28. Affirmat paulus Fidẽ non niſi operando ſaluare.

28 *Pertinet vero eodem huc etiam longa illa diſputatio Pauli de fide ad Hebræos; quæ ex profeſſo quæſtionem eam declarat, vndecimo cap. toto, quomodo iuſtus ex fide viuat, quod ibidem in fine decimi cap. propoſuerat. Idem enim iſtud eſt quærere, ac quod nos quærimus, quomodo fides iuſtum ſaluet.*

Docet

Docet vero id Paulus infinitis prope exemplis antiqui testamenti, omnium qui tum vixêre Sanctorum, non aliter intelligendum, quam quo diximus modo; nempè quia fides eos & docuerit quæ facienda forent, ad obtinendam gratiam Dei; & ad eandem faciendam excitarit. Itaq; quicquid præclare factum vspiam est ab iustis illis, id ex fide factum dicit, & quidem ex ea ipsa fide ex qua viuere iustum dixerat, hoc est iustificante, non vero alia quapiam quæ seorsim vel historica dicenda foret, vel miraculorum, vt Ministri volunt.

Sed ex vnius Noë exemplo quod adducit cum primis clarum fieri potest quod diximus. Eum enim fide docet Paulus & corpore saluatum ab aquis diluuij, & anima, sed in vtroq; non alia ratione, quã ea quo nos docuimus modo, hoc est quia ex fide qua Deo diluuium instans interminanti, ac viam euadendi per arcæ ædificationem commonstranti, credens; primum quidem iustum timorem conceperit, inde vero etiam ad obedientiam Dei per omnia processerit, sicq; vtramq; tandem salutem sit adeptus Fide *inquit* Noë responso accepto de ijs quæ adhuc nõ videbantur, *(de diluuio nimirum, centum demũ annis post consecuturo)* metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quã damnauit mundum, & iustitiæ quæ per fidẽ est hæres institutus. *Vides hic expresse, eodem tenore de animæ salute, seu iustitia, per fidem adepta, Paulum loqui, quo & de corporis à diluuij saluatione, vides vtrumq; fidei tribuere. Applica vero* Heb. 11. 7. Gen. 6. 13.

ea ad simplicem gratuitæ misericordiæ à Deo factã apprehensionem, & nihil ad rem esse inuenies. Nam ne fuit quidem talis oblatio vspiam, quæ apprehendi posset. Tota promißio salutis condicionata fuit, si arcam ædificaret, vt ea saluaretur, eo modo quo nos quoq; iubemur, si ad vitam ingredi velimus, mandata seruare: at vero iuxta ea quæ hactenus demonstrauimus, res clarißima est.

Matth. 19. B. 17.

Fides Noë ad eam salutem primum ingressum fecit, fides viam demonstrauit, plenioris salutis adipiscendæ; fides semen fuit ad eandem salutem consectandam, pondere rerum quas proponebat maximo, instigans ad obedientiam Deo in arcæ fabrica præstandam; ita demum facta fides per charitatem, humilis obedientiæ operans, saluauit credentem, non sola inquam in se considerata fides, sed coniunctim cum omni illa obedientia arcæ ædificandæ, quã suaserat. Sic enim demum Noe glorificans Deũ, eundẽ sibi propicium reddidit, vt pereunte mundo reliquo vniuerso; eum tamen maximo miraculo vnicum, cum suis seruaret. Talis inquam propria operatio fidei in salute conferenda, talis saluatio, non alia.

Itaq; persequitur Paulus ibidem, enumerare præclarißima quæq;, vel iustitiæ opera Sanctorum illorum, vel miracula, & omnia dicit fide facta, non certe apprehendente simplicem gratiam, sed dictante Deo obedientiam præstandam per omnia, atq; eandem obedientiam tum dirigente, tum perurgente: vnde vicißim maxima quæq; à Deo beneficia

ficia sint consecuti. Vide cap. cit. Pauli totum, sed illa tamen cum primis attende, quæ & superius iam citauimus : Sancti per fidē deuicerunt regna, operati sunt iustitiā, obturarūt ora leonū &c. *eaq; singula compara, vel ad inanem illam Ministrorum apprehensionē, quam diximus, vel ad Catholicam doctrinam quam vrgemus, & facilè videbis, ne posse quidem aliter ea accipi, quam contendimus.*

Secundus locus.

Fides initium salutis.

Pertinet ad illa Euangelij: Fides tua te saluum fecit.

29. D*Iximus fidem saluare inter alia, quia ipsa initium quoddam salutis, siue incboata iam animæ nostræ salus est. Id quale sit ex dictis facilè intelligere est, nempè totum ad inhærentem iustitiæ formam pertinet. Neq; enim solam dispositionem, fides in nobis salutem operari dicitur, sed & formaliter, ipsa purificat corda nostra : errorum sordes ex ijs eliminans, eodem modo quo lumen illatum, tenebras præcedentes excludit.* 29.

Id vero eodem in sensu à Ministris concedi, nullo modo potest. Non solum primo, quia nullam ij iustitiam inhærentem agnoscunt, sed & secundo, quia vera docere, non iustificantis fidei proprium est, secundum ipsos (vt quæ solam Dei gratiam di Fides Ministris non est iustitia inchoata.

recte intueatur, gratuito oblatam) sed eius, quam vocant historicam, quam distinctam à iustificante volunt. Quin tertiò, si bene attendamus naturalẽ consequentiam, doctrinæ ipsorum de fide, vel communem plebis eorum Euangelicæ sententiam: ne opus quidem habet fides iustificans ipsorum, omni perpurgatione errorum. Nam si unum illud credant, Christum esse Saluatorem suum, ac gratuito ipsis offerre, vel omnia paßionis suæ merita, vel ipsã etiam salutem, certaq́ hæc sibi fide apprehendant, vel applicent; iam in eo conquiescunt communiter ita; vt parum putent referre de reliquo, quid in tot alijs articulis controuersis credatur. Itaq; plurimi iam eorum, omnes eos qui Christiano nomine censentur, quantumuis hæreticos, modo in Christum firmiter credant, etiamsi in multis alijs dißideant, saluari tamen posse fide æquè credunt. Et tamen certum est, in plurimis vel omnes huiusmodi, vel plerosq́; omnes multum errare. Etiam igitur ita errones maximi, & qui minimè omnium perpurgatum habent de cætero intellectum, æquè saluantur fide, ac alij, qui minus in historica fide aberrant. Absq; ea ergo indubitato vera, salutem ij sibi pollicentur. Non necessaria igitur secundum istos purgatio errorum talis.

Attamen illud hic simul obseruandum, eam disputationem minus huic loco propriam esse, quia reuera dum Christus hic dicit: Fides tua te saluum fecit, non de formali saluificatione id accepit, (qua ratione ita fides, vel saluare vel purificare dicitur) sed de

sed de dispositiua. Loquitur enim propriè Christus de sanitate corporis, quam propter fidem ita exercitam cæco isti impertijt. At in corporis sanitate formale initium fides esse non potest, vt pote in ipsa anima inhærens.

Tertius Locus.

Fides sola non saluat.

Pertinet eodem quo proximus locus.

30. Q*Voniam eo modo fides saluat quo diximus disponendo vel nos Deo, vel nobis Deum, certum inde est fidem solam non saluare. Id quod satis fuse iam etiam ante docuimus. Et ratio iam ipsa dictat. Nam quia potissima hic virtus fidei sementiua est, similis conceptui in materno vtero adhuc existenti, tam longe abest fides, in se sola considerata à plena iustitia, quam vel messis in herba à plena frugum maturitate, vel embrio immaturus ac vix dum conceptus, à fœtu iam pleno ac maturo.* 30. N. 7. 8. N. 9.

Huc vero pertinet etiam plenior explicatio loci illius, quem & supra iam exposuimus, quo Dominus dicit cuidam de infirma filia: Tantũ crede & salua erit. *Non enim illud ibi voluit dicere, quod hæretici dicunt, sola fides saluabit filiam tuam, nil aliud: sed sola, si absit fides, inania omnia alia fore. Nempè fides omnis salutis initium, ac fundamentum est, primusq; ad Deum accessus, vti vidimus.* Luc. 8. 51 Tantum crede & salua erit.

Fide igitur stante, consistere & cætera possunt, quæ super ædificata iam fuerint, conducentia ad salutē, vt fundamento stante, consistere domus tota, si rite ædificata sit, potest. At vero vel sola labente fide, omnia cætera collabantur necesse est, quæ ei innixa steterant; vt fundamento labefactato, tota etiam corruit domus.

Vt igitur si videam ædificium aliquod ritè iam constitutum, sed cuius fundamento vitium immineat, merito dico: tantum vt fundamentum hoc ne vitietur stabit tota domus; nec tamen propterea illud volo, solum fundamentum totam domum constituere, & necessarios ad eam vel parietes vel tectū iam non esse: ita similis in salute quæ per fidem fit ratio est.

Luc. 8. 41. *Archisynagogus ille iam illucusq; fidei suæ cooperans, progressus fuerat Christo Domino obuiam eundo, humillimè coram magna multitudine ad pedes se abijciendo, deuote adorando, ac deprecando, vt iam salutem filiæ eius, talibus fidei exercitijs permotus Christus, promiserit. Interim vero in illud discrimen venit ille, audita filiæ morte, vt de fide ipsa amittenda periclitaretur, sicq; inania illi redderentur etiam omnia illa cætera, quæ diximus. Ergo merito eum adhortatur Christus: tantum crede, non inquam quia fides habita sola in se sufficeret ad salutem impetrandam, sed quia fides vel sola amissa totam etiam euersura erat, iam alioqui pijs fidei operibus prope impetratam salutem.*

Deniq; longè aliud est, dum de rerum integritate lo-

tate loquimur, vnum aliquod vel maximè, vel tantum requiri, vt quidpiam quodiam vel integre existit vel prope integrè, in sua plenitudine conseruetur, consumeturué; qualis locutio hac est Christi, de qua agimus, vbi salus iam propter fidei præcedentis dispositiones, in foribus erat: aliud, vnum aliquod tantum requiri, vt res nondum existens ex integro conficiatur; quale quid de sola fide saluante Ministri contendunt. Vide de his etiā plura supius N. 12.

Quartus Locus.

Fides sola esse potest, etiam sine operibus.

31. EX *prædictis æquè consequitur, etiam illam eandem fidem, quæ alioqui iustificatura erat credentes, si per Charitatem fuisset debite operans, esse in nobis posse sine operibus, cum Ministri communiter contendant, veram illam fidem & quæ iustificare nos soleat, sine operibus nunquam esse. Ratio quidem ipsa iam id dictat, posito eo iustificandi modo, quem superius diximus fidei inesse. Nam si nil hic habet fides, nisi quod inchoet animæ salutem in nobis; quod dirigat nos ad omnia ritè amplectenda, quæ præterea necessaria sint; quod ad eandē nos excitet: nisi animus se taliter excitatus applicet ad persequenda iam quæ reliqua ei sunt ad salutem: nil vtiq; fecerit. Et tamen certum est, etiam omnibus illis positis, & facile euenire posse, & in infinitis hominibus euenire, vt alienis vel mundi, vel car-*

31. Fides vera potest esse sine operibus

vel carnis illecebris inescati, transuersim rapiantur, & agant quæ omnino contraria sint fidei dictamini: hoc est vt omnino fidei suæ non obsequantur. Nempè: video meliora, proboq; *dicebat ille pridie* deteriora sequor; *ita hodieq; mali Catholici ac Christiani omnes.*

Ouid.

Nec tamen propterea fides ipsa ipsorum falsa. Vera illa ac plena etiam ita ex parte sui est, in omnibus ijs quæ ad propriam fidei rationem constituendam pertinent: sed quia alienis charitatis ac reliquarum virtutum ornamentis destituta; ideo minus sufficiens ad salutem conferendam. Pulchra similitudine ista Iacobus nobis declarat. Sicut enim *inquit,* corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. *Quod quidem pro suo errore confirmando sibi assumunt Ministri, inferendo fidem igitur mortuam, fidem nõ esse, quia nec homo mortuus, homo iam est. Sed non attendunt longè aliam essè Apostoli comparationem. Non enim homini mortuo comparat fidem mortuam, sed corpori. Id vero non propterea desijt verum illius esse corpus, qui mortuus est, quia anima caret, quin idem illud est, quod ante erat, ideo idem ille sepeliri dicitur, qui mortuus est, idem ille in eodem corpore resurrecturus in nouissimo die. Ita igitur & fides viua esse desinit Deo, dum charitate destituitur, vt corpus sine anima mundo: at non propterea desinit esse vera in se ipsa, quia nec corpus desinit verum esse in seipso.*

Iac. 2. 26.

Fides sine operibus corpus sine anima.

Deniq; quod ars quæuis lucrosa est, in rebus mechani-

mechanicis; id fides salutifera est in spiritualibus. Dirigit illa atq; excitat etiam artificem suum, ad lucra magna facienda, nec tamen propterea ita naturaliter connexa est cum exercitio ipso sui, ac lucro inde consequente, quin facillimè separari poßit. Itaq; videmus sæpè excellentißimos quosq; artifices, maximè bibulos ac rerum suarum negligentes, ac consequenter etiam egenos totos. Qui si animum noua diligentia applicent, ad exercenda ea quæ didicerint, non propterea artem nouam aut aliam à priore assecuti censentur; sed eiusdem ante habitæ exercitium nouum. Ita prorsus fides eadem est, etiam in Christiano Catholico peßimo, in genere suo, sed neglecta penitus: eadem non alia nouum accipiet nitorem, atq; efficaciam salutis, si charitati copuletur, non nouum in se ipsa esse sui. Fides sine operibus. ars lucrosa sine exercitio.

Quintus locus.

Fides, vt opus quoddam saluat, non vt simplex relatio.

32. E*Odem modo ex dictis & illud consequitur, vere vt opus quoddam nostrum saluare fidem, & non vt simplicem relationem. Refugiunt quidem admodum Ministri nostri, omnem eam vel fidei, vel aliarum quarumuis actionum nostrarum commendationem, qua vlla coram Deo dignitas ijs, vel efficacia, vel meriti etiam species attribuatur.* 32. Fides opus Deo gratum est ac dispositio ad salutem.

Sed longè alia veritatis Catholicæ ratio est. Ipsū opus

opus fidei est, quod saluat, eo quo diximus modo ipsum inquam quod nos disponit, ipsum quod tandem vbi ad perfectionem sui debitam peruenit coram Deo(Charitate scilicet informatum) ita acceptatur vt reputetur, nobis ad iustitiam, & mercedē

N. 7. *sempiternam, idq; propterea quia glorificat in nobis Deum, prout supra vidimus, ex Pauli testimonio, fidem etiam Abrahæ quondam ad iustitiam reputatam, & omnibus nobis imputandam, si vestigia illius consectemur.*

Ficta relatio fidei Ministrorum eneruat omnem fidem.

Quod vero ad fictam illam Ministrorum relationem, manusué apprehensionem attinet, quam ea sit inanis, iam & ipsum quoq; ante docuimus, sed inde quoq; intelligi potest, quia ipsum opus fidei legitimum, in quo reuera tota est salutis, quam habet efficacia, insigniter vitiat, imo etiam excludit.

N. 17. 18. *Nempè quia omni alia etiam ex parte hæretica si sit fides, & tota erronea: modo tamen norit apprehendere gratis oblatam eleemosynam salutis, eo ipso iam certo eam habebit. Intelligi id ex ijs quæ non multo ante diximus, iam potest, & ex ipsa similitudine manus Eleemosynā capientis. Ea enim in mere gratuita Eleemosyna, siue leprosa, siue vlcerosa tota, siue liuida, siue sana, siue quomodocunq; aliter affecta sit, nihil refert modo extēta ad accipiēda quæ offeruntur. Idq; propterea solum, quia nulla hic ratio dignitatis ipsius attenditur, modo acceptet quod datur. Ita fides Ministrorum salutem apprehendens, quia in ea nulla habetur secundum ipsos, ratio operis in se, dignum ne id, an indignum sit munere, sed*

re, sed solius misericordiæ dantis, & assensus acceptantis; qualiscunq; illa de reliquo fuerit, nihil intererit, modo apprehendat oblatum. At cum fides iam ne fides quidē sit, si vera nō sit per omnia, sed error, & qui in vno errat factus est omniū reus, *(etiam in mandatis Dei obseruandis, ne dum in fidei articulis credendis) ita iam certe etiam fides, sine fide, hoc est, quæ nulla reuera coram Deo est fides, sed cassa nux, ac nudum fidei nomen, istos ita saluaret. Quod quidem cum ab omni ratione sit alienißimum, & tota certe salutis prædicatio Ministrorum etiam inanißima erit.* Iac 2. 10.

Sextus locus.

Inepta diuisio fidei in historicam, Miraculorum, & iustificantem, inepta confusio cum fiducia.

33. AD *extremum hic etiam ostendi potest, quā sit inepta diuisio fidei Ministrorum in historicam, miraculorum, & iustificantem, tanquam in species diuersas, quam inepta confusio fidei, cum spe siue fiducia. Vtraq; enim ista, non aliam ob causam ab istis excogitata sunt, quam vt ita facilius, solam fidei iustificationem sibi tuerentur, eo modo quo explicauimus, ex nulla operis fidei dignitate, sed mera relatiua apprehensione promissorū Dei promanantē.* 33. Inepta diuisio fidei apud Ministros.

Ruunt vero etiam vtraq; eo ipso, quo statuitur illa fidei quam diximus saluatio. Verè enim proprium opus Opus fidei etiam iustificantis, credere est.

um opus fidei, etiam iustificantis, nil est aliud, qua credere, seu firmiter assentiri Dei *reuelationi in o mnibus. In eo & initium illud salutis est, de qu diximus, & prima conuersio ad Deum, & tota di rectio ad plenam salutem, & tota deniq; uis excita di nos ad eandem salutem persequendam. Quia sci licet in reuelatis à Deo omnia ista continentur. Lon gè ergo aliud à fiducia seu spe, fides iustificans, lice sine spe nunquam fides iustificet, ac longè minùs sin charitate, fitq; ita verum quod dicit Paulus in epi stola hodierna.* Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.

Fides alia à fiducia.

1. Cor. 13.

Porrò illud ipsum credere, etiam illud est, quod historicum vocant Ministri in fide, nempè omnes fidei articulos, toto Dei verbo comprehensos complectens, illud ipsum vero etiam idem est, quod dum insigniter fixum firmumq; est, etiam ad patranda miracula se extendit. Atq; ita inanis est omnis talis fidei distributio, quasi in ipsa fidei ratione diuersa, cum solum ex adiunctis extrinsece ea differant. Puta, quam diu credere illud simplex ac solum manet; similis quidem fides est historica cuidam simplici cognitioni, ac corpori mortuo, vbi vero in opus venerit excreueritq; in charitatem requisitam, iam etiam iustificans est, similis iam corpori eidem reuiuificato, vbi vero in eam firmitatem adoleuerit, vt etiam mira faciat, hic iam etiam miraculosa erit fides. Nusquam tamen ipsa in ijs omnibus, alia atq; alia fides in se, sed aliter atque aliter ex parte anexorum affecta. Ita-

Vna & eadẽ fides est iustificans historica & miraculorũ

cta. Itaque de vna eademq́ fide dicit Paulus, & eâ nos intelligere aptata esse secula, creatum initio mũdum; (ecce simplicem historiæ cognitionem) & sanctos operatos esse iustitiam; (ecce etiam annexam iustificationem) & eosdem obturasse ora leonum, extinxisse impetum ignis, fortes factos in bello &c. ecce in eadem etiam miraculorum operationem. Hebr. 11. 3

LOCI ALII QVI CIRCA HOC Euangeliũ de rebus controuersis commodè tractari possint.

Primus locus.

Reuelat nobis mysteria sua Deus; sed non nisi medio Apostolorum & Pastorum Ecclesiæ.

Assumpsit Iesus duodecim &c. Luc. 18. F. 31.

34. D. *Mathæus eandem hanc historiam describens addit:* Assũpsisse Christũ discipulos secreto. *Exprimunt vero solos duodecim ita assumptos, nominatim omnes propè Euangelistæ, etiam Marcus (10. E. 32.) Iis igitur à turba communi, abductis aperit Dominus secretum Passionis suæ instantis. Quod etiãsi tum satis intellecturi non erãt; (prout sequitur apud Lucam, nibil prorsus eorum, quæ dicebantur ipsos intellexisse) tamen suo tempore, maximo fructu in memoriam sibi erant reuocaturi;*

34. *Matt. 20. B. 17.*

Solis Apostolis aperit Christus hic mysterium Passionis suæ.

turi, indeq́, plenißimè perſpecturi, ac mundo toti ti ſtatum facturi: Chriſtum quacunque paſſus fuit, e praſciuiſſe ante omnia, & ſponte ſubiſſe; cum ni hil ei fuiſſet facilius, quam declinare locum tant periculi, de quo hic clarißimè pradicit: Ecce aſcen dimus Ieroſolymam &c.

Apoſtoli ſoli cõſcij myſteriorum Chriſti. *Eandem porrò ſeruaſſe rationem Chriſtum, in manifeſtandis etiam pracipuis myſterijs ſuis alijs, paßim legimus. Ita apud Matthaum cum extra pa*

Mat. 13. 11. *rabolam nihil turbis loqueretur; ſeorſim omnia Apoſtolis enucleabat, addens facti rationem apertè, dum quarerent diſcipuli*: Quare in parabolis lo queris eis? Quia *inquit*, vobis datum eſt noſſe myſteria regni, illis autem non eſt datũ.

Act. 10. *F.* 40. *Ita de Reſurrectionis articulo pradicans alicubi Petrus*: Hunc, *inquit*, Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum

Mat. 17. *A* illo, poſtquam reſurrexit à mortuis, *Glori-*

Mar. 5. *D.* *am verò Transfigurationis ſua in monte Thabor, & maximum illud miraculum ſuſcitata à mortuis filia Archiſynagogi Iairi, & extremum illum triſtitia vltima agonem in horto Gethſemani; ne omnibus*

Matt. 26. *quidem Apoſtolis ſtatim voluit fieri manifeſta: ſed ſolis ſelectißimis, Petro, ac filijs Zebedai.*

Paſtoribus Eccleſiæ reuelat myſteria Deus, cæteris non niſi per paſtores. *Occaſio hic meditandi eſt, quomodo eum perpetuo morem ſeruauerit Deus in rebus religionis, vt non immediatè ipſe fidelibus ſuis ſingulis reuelarit, reueletué ſua omnia: ſed per medios à ſe miſſos legatos,*

gatos, seu Ministros Ecclesiæ suæ, quamq; id ob causam faciendum sibi censuerit: nempè ad fidei ita in suis exercitium excitandum. Et quidem quod ad Dei attinet morem illum, nil facilius est docere: cum & in lege naturæ paucissimis ipse sit locutus; vt Adæ primum, inde Enoch, postea Noæ, ad extremum Abraham, Isaac, Iacob: cæteris relictis, vt ab istis discerent, si quid discere vellent. Et in lege Moysi, non nisi Moysi apparuit ipse, ac legem tradidit: cui omnem populum & credere, & obedire exinde volebat. Et in lege deniq; Euangelij primum omnium maximè Apostolis, & per eos cæteris omnem Euangelij veritatem manifestauit. Gen. 2. Gen. 5. Gen. 6. Gen. 12. 8.

Sed & in hoc Euangelio idem istud particulariter obseruare licet. Habebat Dominus præter duodecim Apostolos, plurimos alios discipulos, fidelissimos illos, interq; eos, septuaginta illos, de quibus apud Lucam, aliosq; etiam plures. Vnde cum in Actis aliquando conuenisset turba discipulorum circiter centum viginti; plurimos ex ijs insinuat Petrus congregatos fuisse omni tempore cum Christo, iam inde à baptismate Ioannis incipiendo, vsq; ad ipsum Ascensionis Christi diem. Ex quibus etiam electus tum fuit vnus tandem Matthias, qui Iudæ locum suppleret inter Apostolos: Et tamen omnibus cæteris exclusis, Christus hic solos duodecim sibi seorsim ac secreto segregat, quibus hoc mysterium apertè prædicat. Quibus quidem postmodum ea de re credere voluit, omne reliquum hominum genus, prout in hunc diem id credit Ecclesia tota. Luc. 10. A Act. 1. C.

35. 35. *Nempè sic placuit Deo, exercere fidei virt*
Fidei exercitatio Deo accepta. *tem in nobis, quæ quidem vt ex ipso genere suo pr*
stantißimum quoddam Dei obsequium continet
(vtpotè intellectum proprium, quæ præcipua an
mæ nostræ portio est, penitus captiuans, atq; ad hu
milem Deo obedientiam præstandam subijciens) i
tum perfectißimè exhibetur, quando non ipsi solu
Deo immediate, sed & cuiuis homini, Dei vices ge
renti, propter ipsum Deum exhibetur. Id quod rati
ipsa dictat. Longè siquidem ita inferius se, propte
Deum demittit homo: quam si ipsi Deo soli immedi
atè sese submittat.

Atq; ita hic duplex quædam occasio agendi d
Scripturas solas inaniter iactant, Ministri. *tur, contra hæreticos nostri seculi. Primum enim*
dum ad solas scripturas ij prouocant, omnesq; Ec-
clesiæ pastores ac doctores vnico illo Psalmi: Om-
Psal. 115. A. 11. nis homo mendax, *à suis cœtibus ita remouent;*
vt nullam diuinam authoritatem in homine vllo re-
cognoscant, à quo mysteriorum diuinorum reuelati-
onem, siue, quod idem est, indubitatam scriptura-
rum sacrarum, fideiq; totius interpretationem ac-
cipiant, cuiq; absq; tergiuersatione, Dei loco credere
teneantur: omenm ecce Dei ordinariam gubernan-
dæ Ecclesiæ suæ consuetudinem aspernantur, eoq;
ipso se à vera Ecclesia excidisse certo demonstrant.

Fidei potissimo exercitio destituti hæretici. *Secundò, quia consequenter, cum in nullo*
æquè glorientur, quam in vna fide sua, ita vt solos
se eminere in ea existiment: nihil minus tandem
comperiuntur habere, quam veram fidei virtutem.
Quia scilicet illud, in quo potißimum voluit mun-
dum exer-

dum exercere humile obsequium fidei erga mysteria sua Deus; illud penitus perdidêre. Longè alia Catholici cuiusuis est ratio, qui cum firmissimè credat Scripturarum diuinarum authoritati: tamen & eam non nisi ab Ecclesia Christi se accipere debere agnoscit, dicitq; libenter cum D. Augustino: Ego Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me moueret authoritas: *Et eius quoq; propterea interpretationem certam, non nisi ab eadem Ecclesia sibi prædicatam agnoscit. Quorum reuera neutrum eodem in sensu admittit Ministrorum nostrorum Euangelismus nouus.*

Aug. contra Epist. Fundamenti Manich.

Secundus locus.

Scriptura difficilis intellectu; ex ipsa mysteriorum Fidei sublimitate.

Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur &c. Luc. 18. F. 32.

36. M*Irares. Dum nos modo, qui à pueris profiteri passionem Domini didicimus, hæc ipsa Christi legimus; nil dilucidius isto in genere dici potuisse existimamus; nec vllam prorsus in ijs difficultatē agnoscimus. Et certe singula etiam verba in genere suo sunt clarissima. Nihil in ijs non simplex nihil non extra omnem tropum dictum, nihil omnium, si seorsim singula fuissent examinanda, quod non intellexissent Apostoli perspicuè. Sciebant enim, vtiq;*

36. Clarissima ista Christi verba sunt.

quis esset filius iste hominis, de quo hic fit mentio, sciebant quæ gentes, quid flagellari, quid conspui quid occidi &c. Imo nihil est istorum omnium, quod paucissimis huiuscemodi verbis, clarius in suo genere potuisset enunciari, vt patet consideranti; si quispiam nostrum eadem quæ hic Christus, & breuissimè, & liquidissimè, sibi proloquenda susciperet. Et tamen dum de totius sententiæ sensu agitur, nihil intelligunt Apostoli istorum omnium. Et ipsi, *inquit,* nihil horum intellexerunt. *Nihil inquam ex tot istis Christi allatis.*

Vnde ergo Apostolis obscura visa

Vnde igitur in verbis tam perspicuis singulis, tanta ijs obscuritas sententiæ totius? Respondeo, ex summo rei ipsius, de qua agebatur, momento. Nam filium quidem istum hominis simul esse filium Dei viui, pridem didicerant Apostoli, toto scilicet iam triennio & amplius, in vno eo articulo discendo, potissimum occupati. Itaq; dum interrogati aliquando ea de re fuêre: Vos quem esse dicitis filium hominis? *Fidentissimè respondit Petrus: (& omnes alij consensêre)* Tu es Christus, filius Dei viui. *Id vero ipsum erat profiteri Christum, esse & Deum & hominem; & quidem etiam ratione humanitatis regem regum, & omnium rerum Dominum, & quidem fortunatissimum illum, ac gloriosissimum, præ omnibus Monarchis mundi, id quod de Messia siue Christo, omne etiam vulgus Iudæorum prædicare sciebat.*

Matt. 16

Iam vero, ea quæ hoc loco de eodem isto Filio hominis affirmantur, quod videlicet illudendus esset, quod

set, quod flagellandus, quod crucifigendus (id quod hoc loco Matthæus diserte exprimit) sicq; occidendus: tam è contra extremè vilia sunt omnia, tam & ignominia, & miseria omni plena: vt in omnibus rebus humanis, vix sit reperiri quicquam, vel contemptum, vel infortunatum magis. Et tamen simul de eodem Christo credenda hic ijs, etiam ante, quam facta essent, proponuntur. Hæc vero vtraq; ita in vno Christo & maxima omnium & infima coniungere: omnem eorum adhuc captum longè excedebat. Inde igitur difficultas tanta.

37. *Eo vero ex capite propria hic occasio est, de verbi diuini, scripturarumq; sacrarum difficultate, atq; obscuritate disserendi, quatenus ea ex ipsa mysteriorum diuinorū profunditate exoritur: ideoq; etiam pijssimo cuiuis paßim occurrit, etiã vbi nulla alioqui in verbis ipsis natura sua clarißimis, perplexitas inesse videtur. Vnde illud consequens est, periculosißimum esse, vulgus Christianum, promiscuè, atq; absq; omni delectu in profundum disputationum de scripturis sacris, omniq; fide Christiana immittere, iudicemq; omnis controuersiæ ex scripturis constituere. Id quod fidentißimè tamen Ministri nostri seculi, & ausi fuêre, & inter suos credentes introduxêre.*

37. Scriptura difficilis intellectu est, etiam vbi verba sunt perspicua.

At, præterquam quod multis alijs ex capitibus, scripturarum sacrarum perplexitas paßim oriatur, quam propterea impoßibile sit plebem promiscuam dissoluere: (puta ex inusitata vulgo vel Hebraica, vel Græca linguæ proprietate, ex frequentibus

Variæ causæ difficultatis scripturarū.

tibus vel rerum vel verborum, tropis figurisue, ex oratione sæpè imperfecta, sæpè ambigua, sæpè hyperbatica, similibusq; ex caussis alijs) ex isto ipso Euangelij loco aduertimus, etiam vbi clarissima, simplicissimaq; est phrasis sæpè, auditoresq; ipsi alioqui pijssimi (quales duodecim Christi Apostoli fuêre) tamen ne sic quidem mysteria diuina satis esse peruia cuiuis. Ideoq; talium rerum iudicium vulgo committere, nihil aliud est, quam in certissimum id periculum salutis, omniumq; errorum inexplicabilem labyrinthum intrudere.

Vulgus commune capax non est Iudicij de scripturus.

Confirmatur vero idem ex ipsa etiam experientia omnium temporum in Ecclesia; idq; ex omnium ferè fidei nostræ partium consideratione. Cæpit primum Arius mysterium Trinitatis in communem vulgi disputationem trahere, & scripturas vtrinq; cuiuis ex vulgo examinandas committere: subito in immensum excreuit hæresis illius. Consecutus fuit Nestorius, qui de duplici Christi persona quæstionem in vulgus inuexit; Eutyches deinde, qui mysterium humanitatis in dubium vocauit, animam Christo humanam negans, & eius loco solam diuinitatem substituens; deinceps posteri eius, qui etiam corpus Christi examini subiècere, passibile ne fuerit, ac vere mortale & naturale, qualia nostra sunt. Omnes isti maximam ex vulgò secum partem in perditionem abduxêre. Vide quæ de hæreseon istarum ortu progressuuè historia habent Ecclesiastica apud Ill. Baronium Cardinalem. Eadem deniq; ratio nostrorum etiam temporum est, vbi quæstiones

stiones obscurissimæ in commune vulgus sparsæ, de modo præsentiæ Christi in Eucharistia, verené an per figuram tantum, simpliciterné an cum, sub, in pane ibi Christus adsit? de modo, quo iustificemur coram Deo, per nudamné imputationem iustitiæ Christi, an veram animarum nostrarum sanctificationem? de omni præsentia Christi, alijsq; similibus abditissimis rusticæ plebi controuersiis; plurimos mortalium de statu sanæ mentis deiecerunt; atq; in abyssum hæreseon præcipitarunt.

Discant igitur tales ex ipso isto Euangelij huius, atq; Apostolorum exemplo sapere, hoc est, non sibi suaué verbi diuini lectioni auditioniué fidere, quia sic quoq; necdum ita facile pertingent, ad diuinorum mysteriorum sublimitatem penetrandam, ideoq; illud sibi Pauli dictum potissimum existiment: Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, vnicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei.

Humiliter scripturæ sacræ legendæ

Rom.12.3.

Tertius Locus.

Scriptura difficilis intellectu: propter præconceptas hominum opiniones. &c.

Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.
Luc. 18: F. 34.

38. QVæ de summa rerum Fidei nostræ maiestate diximus, humaniq; contra ingenij, ad eam comprehendendam tenuitate, in vulgò præsertim mortalium communi; sine dubio verissima sunt. Id quod vel solus iste articulus, de quo hic agitur Passionis Christi Filij Dei viui, ac summi orbis prophetæ, clarissimum facit. Hinc enim Verbum crucis perpetuo & Iudæis merum scandalum fuit audire, & gentibus stultitia. Hinc tanta etiam hodie viget vel Machometanorum turba, vt Ebionitarum nouorum. Quorum isti, summam passionis abiectionem cum immensa diuinitatis celsitudine coniungere nescientes, omnem simul naturalem Deitatem Christo, per summam indignitatem, quantum in ipsis est, ademêre: illi vero ex sola summæ innocentiæ Christi contemplatione, quem ante iam Deum verum esse inficiati fuerant, etiam vere passum, ac mortuum tandem negauêre, occulta Dei virtute ex Iudæorum manibus clam sublatũ Dominum confingentes, atq; alium quempiam loco ipsius (puta Simonem Cirenensem) substitutum, in quem Iudæi exercuerint sæuitiam illam suam.

1.Cor.1.23.

Scripturarũ difficultas ex præconceptis opinionibus orta.

At vero in verbis istis Lucæ, etiam alia quædam causa nobis inuestiganda insinuatur, vnde ita penitus nihil istorum intellexerint Apostoli, cum tamen & ante hæc tempora semel iam atq; iterum eadem ista, de passione sua, ijs Christus prædixisset, (vt videre est apud Matth: 16. & 17. cap.) Nimirum dum toties iterat Lucas illos nil intellexisse istorum

Matth.16
Matth.17.

rum, (ter enim vnum hoc idemq́; alijs tantum, atq; alijs verbis repetit, Nil *inquiens*, horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur:) *insinuat simul aliquid aliud in ipsismet Apostolis, impedimenti fuisse culpabilis, vnde merito mirari possimus, quod tam clara, & toties iam antea ipsis prædicata, non satis percepissent. Nam miratum quidem id fuisse ipsum etiam Lucam Euangelistam, dum ista scriberet, ipsa ista tãta vnius eiusdemq; rei iteratio, satis videtur innuere: alioquin enim semel dixisse, ipsos nil eorum intellexisse, abunde fuisset satis.*

Illud vero impedimentum, nihil fuisse videtur aliud, quam quidpiam ex communi illa persuasione Iudæorum omnium, fore vt Messias ipsorum, & in æternum viueret (prout apud Ioannem clare profitentur Iudæi. Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum) *& quidem in tempore hoc, siue in mundo isto, regnum suum constitueret, idq; & fortissimum, & omnium maximũ, quod vnquam in orbe terrarum fuisset. Tale quid enim sibi imaginatos fuisse etiam discipulos Domini, tum inde colligitur, quod quidam ex ijs euntes postmodum in Emaus, quasi spe sua destituti, dubitantes iam, idipsum expresse asserunt:* Nos autẽ sperabamus, quia ipse esset redẽpturus Israël; *Tum quod in ipsa adhuc ascensione, nonnulli quærunt à Christo:* Domine si in tempore hoc, restitues regnum Israël; *Sed maximè ex ipsa ista*

Apostolorũ opinio præconcepta de Christi Regno.

Ioan. 12. 34

Lu. 24. 21.

Act. 1. 6.

huius

Matth.20. *huius Euangelij historia, prout ea à Matth. Marcoq́; describitur. Quoniam enim hic Dominus affirmabat, inter cætera iam iamq́; consumanda omnia, quæ prædicta fuissent, per prophetas de regno suo: inde mox post verba ista, veniunt cum matre sua filij Zebedæi, Ioannes & Iacobus, petuntq́; primas sedes in Regno Christi, alter à dexteris eius, alter à sinistris. Vnde Matthæus.* Tunc accessit ad eum mater &c. *Tunc, inquit hoc est, eo ipso tempore, quo ista de consumatione sua per passionem Dominus prædixerat, eandemq́; ob causam, etiam communis quædã inter reliquos omnes perturbatio postea exorta fuit. Nec mirum tam diu fuisse in tali sententia Apostolos. Nam ex eo responso, quod in ipsa tandem ascensione sua Dominus dedit interrogantibus de tempore hoc: satis colligimus, noluisse ante hac, Dominum illis diserte eam quæstionem dissoluere. Sic enim etiam tunc solum respondet.* Non est vestrum nosse tempora vel momenta &c.

Mar.10.15.

Affectio Apostoloru m erga Christũ tenerrima.

Porrò ad huiusmodi opinionem tam carni ac sanguini sapidam, accesserat in Apostolis etiam affectio quædam amoris erga Christum, tanquam summum patronum, Saluatorem, bonum suum, tenerrima atq́; intima, qua ita eum diligebant præsentem, (vtpote in quo vno, præter conuersationem eius suauissimam, etiam omnes spes, fortunasq́; suas, & præsentis vitæ, & æternæ haberent plenè repositas) vt ab eo auelli separariué nullo modo vnquam vel vellent ipsi, vel se posse crederent. Atqui tales affectiones, vbi animum humanum penitus occuparint: non pos-

non possunt admittere credereué, quicquam quod ijs videatur contrarium. Sunt enim similes vitris coloratis, quibus aliquando ad recreationem visus variè vtuntur homines. Nempè ea nihil rerum omnium, quæ per ea videntur; ad oculos admittunt, nisi tinctum quasi eodem colore, quo & ipsa tincta sunt, contraria nulla. Itaq; per vitrum vel rubrum, vel viride, vel flauum, quæcunq; videntur, siue alba alioqui illa, siue nigra, siue cærulea; semper simul illita, eodem illo vitri colore hominibus apparent.

Tale quid igitur hic etiam Apostolis contigit, atq; ideo ista de paßione Domini tam manifesta, concipere animo rite omnino non potuêre: quia contraria prorsus fuêre colori illi, siue præconceptæ illi existimationi ipsorum, quæ ita funditus ijs inhæserat. Ex qua quidem dicta Domini omnia metientes, quiduis potius aliud illum dicere opinabantur; quā quod reuera de crudelißima atq; indignißima paßione sua dicebat.

39. *Tali porrò ex occasione, ille locus hic tractari commodè potest; quomodo hoc nostro seculo, pleriq; errores hæreticorum, non inde solum ortum habeant, quod tam temere communi vulgo omne iudicium religionis commissum fuerit à Ministris; cum id tamen minime sit capax maximorum fidei nostræ mysteriorum: (id quod superiore loco annotauimus) sed maximè etiam inde, quod quisq; proprias affectiones, præconceptasq; opiniones suas, secum in scripturarum lectionem inferat potius, quam vt inde eas sumat. Itaq; cum vnicas easdemq; scripturas legāt, relegant-* 39. Hæreses ex præcōceptis opinionibus in scripturas illatis oriuntur.

In ijsdẽ scripturis diuersi hæretici diuersissimos sensus inueniunt.

relegantq́; omnes, etiam differentissimarum sectarũ hæretici: nusquam tamen ij vnam, eandemq́; in ijs sententiam inueniunt; sed quisq; propriam præconceptam suam, etiamsi alijs omnibus omnino repugnantem. Siue enim Ebionita quis legat Biblia sacra, siue Anabaptista communis, siue Lutherista, siue Zuinglianus, siue alius sectariorum quisq; : cõmuniter tamen omnes ij & singuli nihil ex seipsis ibi legere se putant, nisi quod ante eo attulerint, quo ad proprias scilicet singulorũ hæreses. Nec Anabaptista inquam quicquam ibi inuenit, nisi Anabaptisticum; nec Trinitarius, nisi Trinitarium; nec Lutheranus, nisi Lutheranum &c. Vnde vero hoc totum? nisi quia, vt diximus, ex sua quisque affectione scripturas legit. Fitq́; hic quoque quod in communi speculorum contemplatione vsu venit, non in picturarum certarum inspectione. Nempè quia in speculũ quisque adfert, quod ibi videat, puta siue Petrus veniat ad speculandum se, siue Paulus, siue alius quiuis, se ibi inspicit quisque non alium, quia se eo adduxit, non alium.

Catholicus solus tutè scripturas legit.

Dicet quis forte: Etiam Catholicus legens scripturas, non nisi Catholica inuenit in ijs omnia, nec tamen propterea id in eo carpendum putamus. ℞. *Verum id quoq; : indeq́; ideo etiam magis confirmatur, quod dicimus, de præconcepta cuiusq́; opinione. At in ipsa tali sua opinione, ac scripturarum lectione fœlicissimus est Catholicus, infœlices sectarij; quia Catholicus nihil adfert priuati sui, vel iudicij, vel Spiritus, ad scripturas sacras: sed commu-*

communem solum sensum totius Ecclesiæ Christi, quæq; est modo toto terrarum orbe diffusa, quæque vnquam omnibus retro seculis fuit: contra sectariorum quiuis, non nisi proprium suum humanum gustum affectionemq;, & eam eo ipso, omni errori ac seductioni obnoxiam.

Eadem porro ratio, in plerisq; particularibus articulis Euangelismorum nouorum, longè etiam clarius perspicitur. Puta, (vt ne longius à præsentis temporis Ecclesiastica obseruatione discedamus) ieiunandum reuera esse, etiam corpore in Ecclesia, & quidem frequenter, nusquam vel vix vspiam inuenit in literis sacris Lutheranus, nusquam Caluinista. Quin certam ciborum delicatiorum, puta carnium, & similium abstinentiam, etiam ieiunandi causa susceptam, non nisi à Dæmone inuectam, persuasum habet. Atqui in sacris literis, & assertio ieiunij, perspicua est, & præmij etiam æterni in cælis promissio ipsi facta, & exempla eius plurima, eaq; efficacissima, ac maximo fructu præstita, etiam certo ciborum adhibito delectu. Quomodo igitur ista non animaduertunt? Nimirum ieiunare istis non libuit vnquam, nec libet modo, vti neq; sponte quicquam subire pro salute sua consequenda, paulò ingratius; ideoq; simul ac prodiêre Magistri fallaces, qui docerent ne opus quidem esse tale quicquam præstare, & quidem sub specioso Euangelij ipsius nomine id docerent: simul ambabus manibus eos amplexati fuêre, & amplexantur etiam modo, neq; possibile iam ipsis est, ob talem penitus præ-

Ieiunia nulla in scripturis hæretici inueniunt, quare.

Matt. 6. B.
Matt. 9. B.
Matt. 4. A
Iona. 3.
Dan. 10. A

tus præ-

Hæretici multa in scripturis nō inueniunt, etiam clarissima.

tus præconceptam opinionem, quicquam in scripturis attendere, quod ei sit contrarium.

Eadem ratio de Confeßione peccatorum est, quam articularem vocant, siue quæ per peccatorum enumerationem in specie homini fiat loco Dei, & de absolutione, quam inde homo Dei vicariis, homini impendat.

Eadem ratio cœlibatus perpetui fuit in multis, etiam, qui aliquando sponsionibus, publicis in Ecclesia, ad eum se obstrinxerant, vbi primum audiuêre sub Euangelij nomine, à Magistris istis facultatem sibi fieri, ad optatos amplexus conuolandi.

Eadem ratio de fide sola iustificante, operibusq́; bonis minimè necessarijs ad salutem, tanquā mercedis æternæ concausis, deq; similibus alijs, de quibus hic non est modo singulis, fusius agendi locus.

Quartus locus.

Mira dignatione Christus salutem nostram nostræ fidei operationi attribuit.

Respice fides tua te saluū fecit. Luc.18.G.42.

40. 40. P*Ræter multa, quæ de eo loco, toto iam superiore discursu copiosè egimus, cōsidera etiā sequētia: Primum. Bonum istum cæcum & corpore, & animo, hic à Christo saluatum videri. Et de corporis quidem sanitate constat perspicuè ex textu. De animæ salute merito idem credimus; Tum quia probabile*

Cæcus iste & corpore & animo sanatus fuit.

babile est, quos passim sanauit corpore Christus, eos simul & in anima sanasse; tum quia quod dicit hic textus, saluum te fecit σέσωκέσε. Ex ipsa vi verbi, in ore Christi, videtur salutem vtramq; denotare; Tum quia ex adiunctis idem colligitur. Nã & tam pia, humilis, ac perseuerans oratio, misericordiam suppliciter implorantis, id obtinere merito quodam suo debebat; & eodem spectabat tam publica fidei Messiæ professio. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem; & effectus consecutus, idem videtur demonstrare, dum subito omni mendicitate sua posthabita, exinde iam Christum sequitur, magnificans Deum. Rom. 10.

Virtute sua diuina Christus cæcum istum sanauit.

Considera secundò. Totam eam salutem, diuina sua virtute directè ac propriè, in eo operatum fuisse Christum. Vide supra n. 2. A seculo enim alioqui auditum non fuerat, vt quis aperiret oculos cæci nati. Hic vero vnico solo verbo: Respice, inquiens, id totum, & in momento efficit Christus. Omnes certe omnium medicorum, imo & hominum & Angelorum omnium, vires tale quid, tali modo præstare minimè potuissent. Ioan. 9. 32.

Fidei cæci tribuit Christus quæ ipsemet operatus erat.

Tertio. Et ecce totum id ipsi cæco & operi fidei eius tribuit hoc loco Christus. Fides, inquiens, tua te saluum fecit, q. d. hanc tantam salutem tute tibi ipsi, fide ac professione ista fidei tuæ conciliasti; tu id effecisti tibi fide tua. Fides enim vtiq; opus quoddam ipsius cæci fuit. Operatio inquam fides credentis ipsius est, & quidem vera ac vitalis, qua

firmiter assentitur homo reuelationi cuius à Deo facta. Itaq; fidenter nos singuli in fidei nostræ professione dicimus: Credo in Deum patrem. Credo in Iesum Christũ. Credo in Spiritũ Sanctum

Fides nostra vitalis operatio nostra est.

Licet enim non absq; dono Dei ista præstemus; auxilio tamen Dei iam nobis subministrato, ipsi verè sumus qui id præstemus, qui credimus inquam ista omnia. Atq; inde, cum infidelibus Capharnaitis aliquando Dominus suaderet, vt ipsi operarentur *sibi* cibum, non qui perit sed qui maneat in vitam æternã, operamini, *inquiens*, cibũ &c. *ipsiq; in de quærerent*: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? *mox respondit Dominus*: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. *Ecce & Dei quidem opus, vocat credere, hoc est, prout isti interrogarunt, quod placeat Deo, quoque cibum sibi operetur, siue impetret homo à Deo & nihilominus ipsosmet id operari iubet ipsosmet credere, licet non absq; gratia Dei. Vide in superioribus plura quomodo fides, non vt relatio, sed vt opus quoddam nostrum saluare nos dicatur, n. 16. & 17. & 28. & 32.*

Ioan. 6. 27.

Christus omnem salutem nostrã etiam nobis tribuit.

Hinc vero dignissima nobis meditatio exoritur, Euangelismis Ministrorum directè contraria de mira dignatione Christi Domini, in salute nostra operanda; qua, licet ipse solus verus ac proprius sit Saluator mundi totius: ita tamen amanter disponit omnem salutis nostræ œconomiam, vt cum veritate simul nobis quasi gratulari possit nos ipsos nobis, nostra quauis diligentia, omnem salutem conquisiuisse.

Ideo

Ideo enim, postquam eam solus ipse nobis meruit, ita vt de ea statuere posset, quodcunq; libuisset: non alia conditione ipsam nobis propositam voluit; quam, vt per præuiam gratiam ipsius, pro ea laboraremus, eodem modo quo operarius laborat pro denario diurno, proq; ea curreremus decertaremusq;, haud aliter, ac qui vel in stadio currunt, vel in agone pro brauio sibi proposito decertant. Nec veretur profiteri de seipso, etiam in extremo iudicio coram omni mundo, & angelis, & dæmonibus, & hominibus, cum Regnum ipsum cœlorum adiudicaturus est pijs; non alia se forma sententiæ vsurum, quam ipsosmet electos, suis eleemosynis tantam sibi gloriam peperisse: Venite, *inquiens,* possidete regnum: *Quia pauistis me esurientem, potastis sitientem, vestistis nudum &c. Summa vero ea dignatio Christi est: Quia scilicet sic placuit gloriæ suorum consulere.* Christus honorat suos fideles, ipsorũ operibus tribuens salutem.

Ministri nostri quicquid tale vel dicatur, vel fiat; id totum putant Christi tanquam Saluatoris vnici gloriæ detrahi. At longè aliter Christus, longè aliter veri fideles Christi. Nam Christus quidem, & hic, & alibi passim, & libenter & dilucide nostræ vel fidei, vel charitati, vel pijs operibus tribuit salutem nostram. Fideles vero Christi, ipsimet quidem de se nusquam sibi tale de sua dignitate iudicium assumunt: attamen dum pijs exercitijs suis, talia asscribi in doctrina Catholica intelligunt, eo ipso vel maximè Christi gloriæ consultũ simul agnoscunt: animaduertentes ex vna parte, summam eo in genere fælicitatem suam; ex altera, nil se bonorum om- Ministri.

nium suorum ex sese ipsis habere potuisse, sed totum sibi ex meritis Christi ac gratia ipsius cooperante, profluxisse. Id quod, & in beatis cœlitibus ex Apocalypsi Ioannis clarè perspicitur, dum coronas suas, quas vere iam tanquam victores à Deo acceperant, humiliter iterum coram Deo, procumbentes ante thronum eius, deponunt: & in hoc ipso cæco sanato in Euangelio isto, non obscure videtur.

Apoc.4.D

Pij etiam in hoc mundo omnem salutis suæ gloriam Christo tribuunt

Eius fidei totam salutem, quam ipsi contulerat, Christus ipse & quidem publicè, & coram omni populo, & disertis verbis asscribit: Fides tua, *hoc tibi præstitit, inquiens, Parumne, vero id ipsi honorificum fuisse existimabimus? Certè & coram omni illa turba, quæ præsens talia in Christo vel vidit vel audiuit, gloriosissimum ipsi fuit; & hodieq; toto orbe terrarum, passim per templa omnia, summa cum laude ipsius celebratur ac prædicatur. Sed num propterea quicquam decessit gloriæ debitæ Deo? Nil vero minus. Imo eo ipso à piis magis glorificatus fuit Deus. Ergo & de ipsomet isto tantopere à Christo hic honorificato, testatur Euangelista, quod confestim vbi visum receperat, cæpit vna cum reliquis sequi Christum,* magnificans *in ipso* Deum; *& de tota simul, quæ quod factum fuerat, viderat, plebe:* & omnis, *inquit,* plebs, vt vidit dedit laudem Deo.

Fides dum saluare dicitur, maximè statuitur operum bonorũ preciũ

Atq; hac ratione videre est quomodo locus iste: Fides te saluum fecit, *qui videri poterat Ministris vel maximè fauere, ad solius fidei, pro more ipsorum prædicationem, operumq; bonorum omnium exte-*

um extenuationem: reuera si penitus introspiciatur, totus potius in contrarium seruiat: ad Catholicam nimirum operum exaltationem statuendam, sanciendamq; dum in ipsa fide, tota ista ac tanta salus, reuera operi cuidam nostro à Christo attribuitur. At inquient, solius hic fit fidei mentio, non operum aliorum? ℞. 1. Sed fidei mentio fit, in quantum reuera opus quoddam istius fuit, vti videmus, non vt relatio mera. Porro ad labefactandum inanem illum Euangelismum Ministrorum: Christum ita plene Saluatorem nostrum esse, vt prorsus nihil operis ex parte nostra, saluationis intrare rationem patiatur, vel solum istud, etiam de fide sola sufficit, si ea vt opus quoddam nostrum saluet. Deinde minimè hic sola ac nuda fidei assensio intelligitur, vti satis copiosè in superioribus demonstrauimus. Vide n. 7. & sequentibus, & 30. sed & ex sequenti loco idem etiam plenius intelligitur.

Quintus Locus.

Oratio cæcum hunc Saluum fecit; Nec idea sola. Ita nec sola fides.

Iesu Fili Dauid miserere mei, Luc. 18. G 38.

42. QVam breuis? quam efficax? quam eximia orandi formula? Breuissimè primum summas Christi laudes, prædicat bonus iste Bartimæus, dum eum quem alij, qui simul aderant, tantum Iesum 42 Orationis optimæ forma & conditiones.

Nazarenum nominant, filium Dauid publicè profitetur, hoc est Meßiam Iudæorum. Eo enim nomine communiter iam expectatus ille tot seculis, mundi Saluator appellabatur, vt ex Matthæo clare patet. Matt. 1. 1. Matt. 12. 23. Matt. 21. 9. *Deinde satis simul insinuat, tantum de ipsius omnipotentia se credere, vt nihil aliud ad se sanandum opus esse putet, quam vt Dominus misereatur, hoc est vt misericordem suam voluntatem ad se applicet. Ita enim certo sibi consultum fore. Simul totum se committit misericordiæ ac iudicio ipsius; non modum, non tempus, non alias conditiones præscribit, non anxiè neceßitates suas, vel proponit, vel amplificat. Quia nimirum temporarium quid petebat; qualia non nisi sobrie admodum intellige-bat postulari à Deo debere. Deniq; prudentißima oratio est, humillima, fidei, spei, Charitatis, in Deum plena, cum gratiarum actione seu laude Dei coniuncta, & omnibus demum numeris absoluta; vt patet consideranti attentius, quid omnis perfecta ad Deum oratio requirat. Ergo & impetrauit, quicquid petijt plenißime, iuxta indubitatam illam Dei promißionem:* Omnis qui petit accipit. *Et,* Petite & accipietis. *Et,* Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Matt. 7. 8. Ioan. 16. 24. Psal. 144. D. 19. *Ita enim plane & hic petijt, & accepit. Nam ad omnem eius voluntatem adimplendam se demisit tandem Christus; dum prius interrogauit:* Quid tibi vis faciam? *Et inde mox:* Respice, fides tua te saluũ fecit.

Iam hisce positis quæritur: Vere ne hic de isto dici

dici possit, deq; omni ea, quam eo modo impetrauit à Christo salute, precibus suis eam à Christo impetrasse? Et dico sine dubio vere id dici posse. Vere enim & petijt salutem eam, oratione ista sua: & ritè petijt, & quod petijt obtinuit, & ideo obtinuit, quia ritè petiuit; vt ex ijs quæ modo annotauimus clarissimè deducitur. Aequè igitur ac hic ei dicitur à Christo: Fides tua te saluum fecit: æquè verè & in eodem sensu, Christus ei dixisset, & nos diceremus: Oratio ipsius, eum saluum fecit. Vtriusq; enim eius sententiæ hic legitimus sensus est: vel propter fidem ipsius talem, vel propter orationem talem, Christum in animum induxisse suum, vt tantam illi salutem conferret. Nullum quidem ista dubium iam habere videntur. Oratio cæci huius ipsũ vere saluauit.

At vero ijs positis, luce fit clarius, inanissimam illam esse ministrorum conclusionem: Dicitur hic isti: Fides tua te saluum fecit, Ergo sola fides, absque omni operum admixtione, id fecit. Aeque enim verum fuisset dicere: Oratio eius saluum eum fecit; Et tamen stultissima fuisset illatio: Ergo sola oratio, absq; omni, vel fidei, vel aliorum operum bonorum adiunctione. Quin ex ipsa ista consideratione manifestum fit, & illud, quod ante diximus n. 12: quotiescunq; simili in phrasi exprimitur: Fides tua &c. eo ipso includi in nomine fidei omnia ea, quæ ad fidem viuam rite complendam, pertinebant; siue quod idem est, non aliam intelligi fidem, præter eam quam Ecclesia Catholica vbiq; prædicat, tanquam solam saluificam: nempè Nõ sola propterea oratio saluat. Gal. 5. B. 6.

Fidei nomẽ hic etiam orationem inclusit.

quę, *vt Paulus loquitur*, per charitatẽ operetur.

Hic quidem certe etiam omnem istam orationem huius, quam tam benigne exaudiuit Christus, omnemq́; eam virtutem, tam variam tamq; multiplicem, qua oratio ea vt insinuauimus illustrata fuit, directè sub nomine fidei, idem conclusit Christus, minimeq́; omniũ ab ea dispositione, quam in ipso probauit ad salutem ei conferendam, seiunctam voluit: cum manifestũ sit reuera etiã oratione taliter instituta, fuisse permotum, vt sanitatẽ ei istamconferret.

Sextus locus.

Perseuerantia cæcum hunc saluum fecit, non sola fides.

Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid. Luc. 18. G. 39.

43\. Perseuerantia huius ipsum saluauit.

44\. N*On absimilis proximè superiori, & ista est consideratio, de perseuerantia boni istius cæci.* Dũ *incipit misericordiam quærere, à vero Filio Dauid ac mundi Saluatore Christo, vndiq; impedimenta ei mundus obijcit. Subito enim turbæ præsentes eum tacere iubent, & alij quidem eum increpant, vt hic Lucas affirmat, alij vere, & multi quidem, etiam comminantur, vt Marcus habet.* At illè multo magis clamabat, *vt Lucas & Marcus testantur*; Fili Dauid, miserere mei, *nec clamare cessat, donec tandem Christus ipse appropinquans, eum iubeat adduci*

Marci. 10. G. 48.

at adduci ad se, & plene sanitati restituat.

Solet communi prouerbio dici & vere dici: Finis coronat opus. Affirmat vero etiam de perseuerantia Christiana, Dominus ipse disertè: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matt. 24. B. 13. Marci. 13. B. 13.* *Addamus nos de cæco isto: Quia perseuerauit in humili prece sua, vsq; in finem; ideo saluus factus fuit: Ergo verum erat dicere etiam illud: perseuerantia ipsius eum saluum fecit, prout verum fuisse vidimus dicere: oratio ipsius saluum eum fecit, non minus quam: Fides eius saluum eum fecit. At num propterea rite concluderemus: Ergo sola in se perseuerantia ipsius, seclusa fidei, seclusa orationis ratione, eum saluum fecit? Minimè quidem. Ita neq; verũ, quod fides sola absq; oratione, & perseuerantia, quodq; oratio sola absq; perseueranti fide eum saluum fecit. Quin hinc quoq; bene colligimus, in ipso fidei nomine, quotiescunq; talis phrasis occurrit, cætera ista omia includi, ꝑut diximus ante n. 9. 10. 11.*

Non sola tamen perseuerantia saluat.


Septimus locus.

Liberi arbitrij cooperatio necessaria ad salutẽ

Quid tibi vis faciam? Luc. 18. G 41.

44. NOtat *Stapleton. circa hæc in præsenti n. 1. in suo Catho: quoniam Christus, non ante voluit isti sanitatem istam restituere, quam ipse quoq; suam voluntatem applicaret, seq; eam desiderare profiteretur: inde* 44.

tur: inde rite deduci, etiam in iis quæ benignitate sua mera & gratia, in nobis operaturus est Christus, nostram tamen simul cooperationem requiri, indeq; locum de libero arbitrio satis exactè confirmat. Vide apud ipsum. Plenior porrò erit huius loci tractandi occasio, si, cum D. Gregorio homil. in præsens Euangelium, libeat ad allegoriam tractandam descendere, quæ per cæcum hunc, totum genus humanum intelligi docet, per Adamum quidem à claritate supernæ lucis delapsum, per Christum vero, postquam is ad Iericho appropinquauit, carnis nostræ instabilitatem suscipiens, restauratum. Sic enim etiam directè ad plenam animæ sanitatem omnia ista Euangelii applicanda venirent. Quanquã etiam absq; ea, vt in superioribus docuimus, (n. 40.) hic vere vna cum oculorum lumine, etiam animæ salus isti collata merito intelligatur.



INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI sparsim hoc opere explicantur.

In eo Litera A. Primam Dominicam Aduentus significat, B. Secundam, C. Tertiam, D. quartam. E. Dominicam infra Octauam Nat. F. Dom. Quinquagesima. Numeri vero adiuncti, sectiones significant, in quas singularum Dominicarum commentationes sunt distributa.

Ex libro Exodi.

Exod 21. Si bos cornupeta occiderit virum &c. & bos lapidibus obruatur, & Dominum eius occident. A. 22.

Ex libro Iudith.

Iudith. 8. Fecit sibi secretum cubiculum, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus &c. E. 36.

Iudith. 16. Vt non cognosceret virum omnibus diebus, &c. annis 105. E. 36.

Ex libro Iob.

Iob. 30 Si non benedixerint mihi latera eius. E. 44.

Ex libro Psalmorum

Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meũ D. 8

Psal. 34. Humiliaui in ieiunio animam meam. D. 8.

Psal. 118. 62. Media nocte surgebam. E. 41.

Psal. 118. 155. Longè à peccatoribus salus. D. 7.

Psal. 118. 164. Septies in diem laudem dixi. E. 41.

Psal. 101. Potum meum cum fletu miscebam, cinerem tanquam panem manducabam. D. 8.

Ex libr. Prouerb.

Prou:

Prou: 16. Hominis est, animam præparare. D. 27.

Ex libr. Ecclesiastæ.

Eccle. 3. Omnia tempus habent. A. 8.
Eccle. 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. A. 47.

Ex libr. Sapientiæ.

Sapien: 9. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei &c. Sensum autem tuum, quis sciet, nisi tu dederis? C. 36. 37.

Ex Isaia Proph.

Cap. 5. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum, & peccata vestra &c. D. 7.
Isa. 8. In lapidem offensionis, & in petram scandali. Et cap. 28. D. Mittam in fundamentis Sion lapidem angularem. E. 4. 8.
Isai. 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate. Et erit in lapidē offensionis, & in petrā scādali. E. 33.
Isai. 22. Vocabit Dominus Deus ad planctū &c. D. 10.
Isai. 35. Deus veniet & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum &c. B. 36.
Isai. 40. Ego vox clamantis in deserto. B. 23. 26.
Ibidem. Parate viam Domini. C. 39.
Ibibem. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur &c. D. 34.
Isaias. 47. Supputabunt menses &c. vt ex his annunciarent ventura. A. 3.
Isai. 52. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. D. 35.

Ex Hieremia.

Cap. 10. A signis cœli nolite moueri &c. A. 3.
Hier. 31. Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem Lunę &c. Si desierint leges istę &c tum & semen Israël deficiet. A. 49.

Ex Ezechiele.

Ezech·

Ezech. 13. Væ qui consuunt Puluillos sub omni cubito manus &c. D 23.
Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini &c. D. 23.
Ezech. 44. Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum. C. 43.

Ex Osea.

Oseæ. 13. Perditio tua Israël, ex me tantummodo auxilium tuum. E. 8.

Ex Iona.

Ionæ. 3. A.D. C. Pœnitentia Niniuitarum. D. 3.

Ex Michea.

Mich. 5. Et tu Bethleem. &c. ex te enim exiet. A. 58. D. 25.
Ibidem. Egressus eius à diebus ætern. C. 46.

Ex Zacharia.

Zach. 9. Exulta satis filia Sion &c. Ecce Rex tuus venit &c. A. 54. 55. 56. 57.
Zach. 13. Erit fons patens &c. in ablutionem peccatorum. D. 2. 3. &c.

Ex Malachia.

Mal. 2. Labia Sacerdotis custodient sciētiā &c. C. 43.

Ex Matthæo Euangelista.

Matt. 2. Congregans principes Sacerdotum, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. C. 43.
Matt. 3. Habebat vestē de pilis camelorū &c. B. 4. 15.
Ibidem. Esca autem eius erant locustæ &c. B. 4. 15. 16. 28. 30.
Ibidem. Hic est enim qui dictus est. Vox clamantis &c. D. 6. 10.
Ibidem. Parate viam Domini &c.
Ibidem. Pœnitentiam agite, appropinquauit Regnū cœlorum. B. 24

Ibidem

Ibidem. Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraam &c. D. 18. 25.
Ibidem. Cuius non sum dignus calceamenta portare. C. 40. D. 12. 16.
Ibidem. Ego baptizo vos in aqua &c. ipse baptizabit in Spiritu S. & igne &c. D. 2. 3. 4. 25.
Matt. 4. Scriptum est, quoniam Angelis suis mandauit de te. A. 50.
Matt. 5. Donec transeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege A. 49.
Matt. 7. Fructibus eorum cognoscetis eos. B. 40.
Matt 9. Quare nos & discipuli Pharisæorum ieiunamus frequenter. B. 10. 50.
Ibidem. Confide filia, fides tua te saluam fecit. suse, & ex Luc. 18. F. 42.
Ibidem. Cum eiecta esset turba. F. 34
Matt. 10. In viam gentium ne abieritis. C. 5.
Ibidem. Qui non portat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. A. 60.
Matt. 11. Mittens duos discipulos. B. 38. 45.
Ibidem. Tu es qui venturus es. B. 41.
Ibidem. Euntes renunciate quæ audistis & vidistis. B. 36. 40.
Ibidem. Quid existis videre? arundinem? B. 3. 32.
Ibidem. Pauperes Euangelizantur. B. 42.
Ibidem. Beatus q̃ non fuerit scãdalizatus in me. B. 44.
Ibidem. Quid existis in desertum? B. 17. 14. 27. 44.
Ibidem. Hominem mollibus vestitum? B. 4. 15. 28.
Ibidem. Quid existis videre? Prophetam. B. 1.
Ibidem. A diebus Ioannis Regnum cœlorum vim patitur. D. 11.
Ibidem. Lamentauimus vobis, & non planxistis. B. 6. 23. 24. D. 10.
Ibidem. Venit Ioannes neq; manducans, neq; bibens. B. 4. 16. 30.
Ibidem. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. A. 60.

Matt.

Matt. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni. F. 34.
Matt. 15. Non sum missus nisi ad oues Israël. &c. C. 5.
Ibidem. Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. F 12.
Matt. 16. Reddet vnicuiq; iuxta opera ei9. A. 12. 13.
Matt. 17. Assumpsit Petrum &c. in montem excelsum seorsum. F. 34.
Matt. 18. Quæcunq; solueritis super terram erunt soluta. &c. C. 22.
Matt. 19. Qui seipsos castrarunt propter regnum Dei. E. 40.
Ibidem. Si vis perfectus esse &c. sequere me. A. 60.
Matt. 21. Dicite filiæ Sion &c. A. 52. 55. 67.
Ibidem. Super quē ceciderit, cōminuet eū. E. 4. 11. 26.
Matt. 22. Dicite inuitatis, omnia parata. &c. neglexerunt &c. A. 63. 65.
Matt. 23. Super cathedram Moysi. &c. C. 4. 43.
Ibidem. Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti. A. 65. E. 16. 20.
Matt. 24. Erunt pestilentiæ per loca. &c. A. 41.
Ibidem. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. A. 43.
Ibidem. Qui perseraucrit vsq; in finē, saluus erit. F. 48.
Ibidem. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. A. 49.

Ex Marco.

Marci 1. Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum. C. 4. D. 12. 16.
Ibidem. Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. C. 8. D. 4. 26.
Ibidem. Erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea. &c. B. 4. 15. 28.
Ibidem. Locustas, & mel syluestre edebat. B. 4. 15. 16. 30.
Ibidem. Ego baptizo vos aqua, &c. ille baptizabit Spiritu S. D. 2. 3. 4. 5. 26. &c.

Mar. 2.

Mar. 2. Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, &c. B. 10. 30.
Mar. 5. Noli timere, tantummodo crede. F. 12. 30.
Mar. 7. Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium. &c. F. 12.
Mar. 13. Qui perseuerauerit vsq; in finem &c. F. 43.
Ibidem. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea, &c. A. 49.

Ex Luca:

Luc. 1. Parare Domino plebem perfectam. D. 6. 7.
Ibidem. Timor factus est &c. dicentes quis putas puer iste erit? C. 10.
Ibidem. Ad dandam scientiam salutis plebi eius. B. 1.
Ibidem. Præibis ante faciem Domini, parare vias eius. D. 6. 7. 15.
Ibidem. Erat in deserto, vsq; in diem ostensionis suæ ad Israël. B. 14.
Luc. 2. Quia visitauit & fecit redemptionẽ &c. A. 56.
Ibidem. Annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo. E. 9. 12. 16. 19.
Ibidem. Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. E. 8.
Ibidem. Et benedixit eis Simeon. E. 44.
Ibidem. Positus est hic in ruinam. E. 5. 11. 32. 33.
Ibidem. Positus est hic in signum cui contradicetur; 34. 44.
Ibidem. Et in Resurrectionem multorum. E. 44.
Ibidem. Hæc vidua vsq; ad annos 80. E. 36.
Ibidem. Ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die. E. 39. 40. 41. 42.
Ibidem. Non discedebat de templo. E. 43.
Luc. 3. Factum est verbum Domini ad Ioannem. C. 31. 36. D. 36.
Ibidem venit prædicans baptismũ pœnitẽtiæ, Hic est enim de quo &c. Vox clamantis. &c. D. 6. 10.

Ibidem. Prædicans baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. C. 8. D. 4. 26.
Ibidem. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. &c. D. 34.
Ibid. Ne cæperitis dicere patrem habemus Abraham. D. 18. 25.
Ibid. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus &c. ne forte ipſe eſſet Chriſtus. C. 6.
Ibid. Ego Aqua baptizo vos &c. ille baptizabit Spiritu S. &c. D. 2. 3. 4. &c. & 26.
Luc. 5. Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter. B. 10. 30.
Luc. 6. Virtus de illo exibat &c. F. 2.
Luc. 7. Quid exiſtis in deſertum videre, hominem mollibus veſtibus indutũ, Prophetam. &c.
Ibid. Lamentauimus & non ploraſtis.
Ibid. Venit Ioannes neq; manducans panẽ, neq; vinum bibens. B. 4. } Vide Matt. 11.
Luc. 17. Luc. 18. Fides tua te ſaluum fecit. F. fuſe per totum. F. 40. 41.
Luc. 8. Noli timere, tantũ crede, & ſalua erit. F. 12. 30.
Luc. 10. Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit &c. C. 38.
Luc. 12. Oſtendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. A. 47.
Luc. 16. Regnum cœlorum euangelizatur, & omnis in illud vim facit. D. 11.
Luc. 17. Dicite ſerui inutiles ſumus, C. 40. D. 12.
Luc. 18. Aſſumpſit Ieſus duodecim. F. 39.
Ibid. Et filius hominis tradetur. F. 36. 37.
Ibid. Et ipſi nihil horũ intellexerunt. F. 36. 37. 38. 39.
Ibid. Ieſu fili Dauid miſerere mei. F. 42.
Ibid. Ipſe vero multo magis clamabat, Fili Dauid F. 43
Ibid. Quid tibi vis faciam. F. 44.
Luc. 19. Venient dies in te, & circũdabunt. &c. A. 56.

Ibid. Ea quæ ad pacem, &c. In die tua, eo quod non cognoueris diem Visitationis. A. 56.
Ibidem. Domus mea domus orationis. E. 43.
Luc. 20 Super quem ceciderit, cominuet eum. E. 4. 11. 26.
Luc. 21. Erunt signa in sole, luna, stellis. A. 44.
Ibid. Et in terris pressura gentium. A. 45.
Ibid. His vero incipiẽtibus, leuate capita vestra. A. 48.
Ibid. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Cœlum & terra trãsibunt, verba autem mea non transibunt. A. 49. 50.
Luc. 22. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos. A. 45.
Luc. 24. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. F. 38.

Ex Ioanne:

Ioan. 1. Ego baptizo vos in aqua. C. 8.
Ibid. A. 1. In principio erat verbum. C. 46.
Ibid. In propria venit, & sui eũ non receperunt. A. 63.
Ibid. Ego Vox clamantis. C. 8. 36. D. 10.
Ibid. Dirigite viam Domini. C. 39.
Ibid. Miserunt Sacerdotes & leuitas &c. vt interrogarent: Tu quis es? C. 43.
Ibid. Ante me factus est, qui prior me erat. C. 46.
Ibid. Ecce agnus Dei &c. qui tollit peccata mundi. D. 12. 16. 23. 30. 31.
Ibid. Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. C. 40. D. 12. 16. 18.
Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. D. 3.
Ioan. 4. Quanquam Iesus non baptizaret sed discipuli eius. D 3.
Ioan. 5. Voluistis ad horã exultare in lucẽ eius. C. 7. 44.
Ioan. 6. Operamini cibum, qui permanet &c. Quid faciemus, vt operemur opera Dei. F. 40.
Ioan. 8. Antequam Abraham fieret, ego sum. C. 46.

Ioan. 9. In

Ioan. 9. In Iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. E. 10. 11.
Ioan. 10. Fur non venit, nisi vt furetur. A. 10.
Ioan. 12. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. E. 30.
Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci &c. A. 60.
Ioan. 14. Ego sum via. A. 60.
Ioan. 15. Si opera non fecissem &c. peccatum non haberent. C. 33.

Ex Actis Apostolorum.

Act. 1. Cæpit Iesus facere & docere. A. 60.
Ibid. Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israël. F. 38.
Act. 2. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis. E. 17. 29.
Act. 4. Conuenerunt verè aduersus Sanctũ puerum tuum Iesum Herodes &c. facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri. E. 17. 29.
Act. 10. Dedit eum manifestum fieri non omni populo sed testibus præordinatis. F. 34.
Act. 11. Ergo & gentibus dedit pœnitentiam Deus &c. C. 5.
Act. 15. Fide purificans corda eorum. D. 4.
Act. 19. In quo baptizati estis? At illi dixerunt in Ioannis baptizmate. D. 3. 5.

Ex Epistola Pauli ad Romanos.

Rom. 2. In die cum iudicabit Deus occulta hominũ, secundum Euangelium meum. A. 47.
Rom. 3. Omnis homo mendax. C. 37.
Rom. 4. Confortatus est fide, dans gloriam Deo &c. F. 6. 17.
Rom. 8. Quos præsciuit &c. & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. A. 64.

Rom. 9. Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. E. 4. 8. 10. 33.
Rom. 10. Quomodo audient sine prædicante? A. 50.
Ibidem Quomodo prædicabunt nisi mittantur. C. 32.
Rom. 11. Tu fide stas noli altum sapere. E. 32.
Rom. 13. Hora est de somno surgere; Abijciamus opera tenebrarũ, induamur arma lucis. A. 31. & 69
Ibidem. Nunc propior est nostra salus &c. A. 9.
Rom. 16. Per dulces sermones &c. seducunt corda innocentium. D. 23.

Ex Epist. Pauli ad Corinthios.

1. Cor. 1. Nũquid in nomine Pauli baptizati estis? D. 3.
Ibid. Crucifixum &c. Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. F. 38.
1. Cor. 3. Vnusquisque; propriam mercedem accipiet. A. 12. 18.
1. Cor. 4. Regnum Dei, non est in sermone, sed in virtute. B. 40.
1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. E. 38.
1. Cor. 11. Oportet & hæreses esse. E. 34.
2. Cor. 5. Vt referat vnusquisq; propria corporis. A. 12. 18.

Ex Epist. Pauli ad Galathas.

Gal. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. A. 67.
Gal. 4. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. &c. A. 6.

Ex Epistola ad Ephesios.

Eph. 3. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis &c. E. 35.
Eph. 4. Alios pastores, & doctores &c. ne circumferamur omni vento doctrinæ &c. C. 43.
Eph. 5. Mundans eam lauacro aquæ &c. D. 3.

Ex Epistola ad Colossenses.

Col. 1.

Col. 1. Primogenitus omnis creaturæ. C. 46.

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Phil. 2. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. A, 60.
Phil. 2. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe. F. 17.
Phil. 3. Omnia detrimenta feci &c. arbitror vt ſtercora. D. 17. 18. 21.

Ex Epiſt. ad Theſſalonicenſes.

1. Theſ. 3. Ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. E. 35.

Ex Epiſt. ad Timotheum.

1. Tim. 5. Vere vidua &c. inſtet orationibus, & obſecrationibus &c. F. 36.
1. Tim. 6. Lucem inhabitat inacceſſibilem &c. quē nullus hominum videre poteſt. C. 36. 37.
2. Tim. 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet &c. A. 18.

Ex Epiſt. ad Titum.

Tit. 3. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. D. 2. &c.

Ex Epiſt. ad Hebræos.

Heb. 7. Quod minus eſt à meliore benedicitur. E. 44.
Ibid. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt legis tranſlatio fiat. C. 12. 14. 44.
Hebr. 10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis &c. A. 47.
Hebr. 11. Fide Noë reſponſo accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuę, per quam ſaluauit mundũ, & iuſtitiæ, quæ per fidem, eſt hæres inſtitutꝰ. F. 28.
Ibid. Sancti per fidem deuicerunt regna operati ſunt iuſtitiam &c. F. 19. 28.

Ex Epist Iacobi.

Iacob. 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium creaturæ eius &c. A. 50. O. 5. 24.
Et mox: Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. C. 5. 10.
Iacob. 2. Vides quoniam fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides consumata est &c. F. 10. 11.
Ibid. Sicut corpus sine anima mortuum est; ita & fides sine operibus &c. F. 31.

Ex Epist. Petri.

1. Petr. 1. Verbum Domini manet in æternum. A. 50.
1. Petr. 2. Ecce pono in Sion lapidem &c. Non credentibus lapis offensionis &c. E. 33.
Ibid. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo A. 36.
1. Petr. 4. Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt. A. 47.
2. Petr. 1. Satagite vt per bona opera certam vestrã vocationẽ, & electionẽ faciatis. A. 45. E. 25.

Ex Epist. Ioannis.

1. Ioan. 2. Filioli manete in dilectione &c. vt non confundamur ab eo in aduentu eius. A. 48.
1. Ioan. 4. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. A. 48.

Ex Apocalypsi Ioannis.

Apocal. 6. Et ecce sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis &c. A. 44.
Ibid. Et Reges terræ, & Principes &c. absconderunt se &c. A. 44.
Apoc. 14. Timete Dominũ, & date illi honorẽ, quia venit hora iudicij eius. A. 47.
Ibid. Opera eorum sequuntur illos. A. 13. 18.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HIS COMMENTATIONIBVS *continentur.*

Literæ A.B. C.D.E.F. easdem in hoc indice Dominicas notant, quas in superiore Numer. item consequentes, sectiones.

A

Aronicum Sacerdotium, quamdiu fuerit Dei nomine audiendum. C. 44.
Qua occasione & quã turpiter fuerit collapsum. Ibidem.

Abstinentia certa ciborum &c. in Ioanne Baptista. B. 4.9. 10.15.16.30.
Ab Ecclesia mirificè probata. B. 7.
A Ministris tota damnata, &c. B. 8. 10. 30.
Et Ioanni Baptistæ negata. B. 12. 30.

Abnegatio nostri plena, vt nobis persuaderetur, propterea Christus in Aduentu suo toto tam pauperem, humilem, ærumnosam vitam egit. A. 57. 64.

Aduentus Domini meditatio. Quam is olim optatus? Quantus Rex veniens? Noster cuiusq; singulis veniens totus, pauper, & mansuetus.
Ergo toto pectore excipiendus. A. 67. 68 69.

Aduentus Domini celebratione simul & excitare in nobis curam salutis vult Ecclesia, & informare. A. 51. & sequentibus.

Aduentus Domini, eo ipso, quo tanti Domini est, maximum pondus salutis allatæ indicat. A. 53.

Aduenien Dominus aduentu isto, quis & quantus. A. 53.
Quantum inde gaudium annuncietur mundo. A. 54.

Aduentus Christi cõsideratione & excitat nos Ecclesia. A. 53.
Et informat, modum Aduentus ob oculos ponendo, qui potissimum ad nostri exemplum à Christo in tanta paupertate, humilitate, ærumna susceptus fuit. A. 57. & sequentibus. & 64.

Aduentus. Tempus vnde. A. 4. Est sacrũ. A. 7. Vide tẽpora.

E 4 Anni

Anna Prophetiſſa, prima Apoſtola Chriſti Natiuitatis, contrario omnino Spiritu acta fuit à Luthero & ſociis, primis nouorum Euangeliſmorum Prophetis, in ſtudio perpetuæ caſtitatis, ieiuniis aſſiduis, orationibus, vigiliis nocturnis, templorum frequentatione. E. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. &c.

Antichriſti inuenti, commentum, Lutherum induxit, vt conſumationem ſæculi iam iamq; adfuturam nugaretur, & inde omnia ſigna iudicij imminentis, deprauaret. A. 41. & ſequentibus.

Apoſtolis ſeorſim aperit myſteria ſua Chriſtus, cæteris non niſi per Apoſtolos. F. 34.

Arbitrium liberum negatur à Luth. Calu. Melan. &c. A. 19. Negatum, tollit magnam Iudicij extremi partem. &c. (Vide Iudicium) A. 19, 20. 21, 22.

Arbitrij liberi cooperatio ad ſalutem. C. 37.

Arbitrij libertas, radix eſt omnis pœnæ iuſtæ. A. 20. 21. 38.

Arundini Chriſtus doctrinæ inconſtantiam cōparat. B. 32. Verè arundo omnis hæreſis, maximè noſtri temporis ob triplicem inanitatem, atq; omnimodam ſimilitudinem aliam, in ſex proprietatibus. B. 32.

Aſperitas veſtitus in Ioanne Baptiſta laudata. B. 4. 7. 10. 15. 16. 28. 29.
Miniſtris eſt ſignum Luporum ſpiritualium. B. 10.

B.

Baptiſmus Ioannis, ſi Chriſti baptiſmo æquatur, exinanitur præcipua virtus noui teſtamenti. &c. C. 42.
Longè alius à baptiſmo Chriſti. D. 2. Vt pote ab authore denominatus, nec Sacramentum Euangelij. D. 3. nec ideò efficax gratiæ, aut remiſſionis peccatorum. D. 3. 4. nec datus ſine pœnitentia actuali. D. 4. Et ideò perfici debuit baptiſmo Chriſti, nec in nomine Spiritus S. dabatur. D. 5. Cum Miniſtri eundem cū Chriſti faciant, nec poſſint aliter, At falſiſſimè. D. 13. Contumelioſum id Chriſto. D. 19. 26.

Baptiſta. Vide Ioannes.

Benedictio ab homine facta quid ſit. E. 44.
cùm à ſacerdote fit, meritò magni facienda eſt. Ibid.

Bethlehemitis Natiuitas Domini potius mœrori fuit, quam gaudio. D. 25.

Beza. Opera mala Deum vult directè operari in homine. A. 18. 19.

Chri-

Christum in ruinam destinatum multis docet impiissimè. Vide prædestinatio Caluinistica.
De deserto Ioannis &c. nugatur. B. 12.
Pœnitentiam non vult nisi resipiscentiam dici. D. 14.
Negat omnino ieiunia esse partem cultus Dei. E. 39, Inanissimè. Ibidem.

C

Caluinus. Cadere Deo, stare, resurgere quid. E, 2.
Omnia opera bona peccata esse asserit. A. 15.
Ita magnam Iudicii extremi partem tollens. A. 16. 17.
Omnia opera etiam mala efficaciter operari Deum in homine affirmat. A. 19. Ita alteram Iudicii partem abolens. A. 23. &c.
Quid de prædestinatione damnatorum impiissmè sentiat. Vide prædestinatio Caluinistica.
Quid de victu & vestitu Ioannis sentiat. B. 12.
Expresse docet pœnitentiam sequi gratiam iustificantem, non præcedere. D. 28. Et qui contrarium docent, eos nunquam vim pœnitentiæ agnouisse. Ibid.
Ne quidem vult posse hominem gratiæ præuenienti quasi pedissequa voluntate obsequi. Ita penitus negat Arbitrium. D. 27.
Negat ieiunia esse cultum Dei, tantum medium ad orationem. &c. E. 39. &c. Inaniter.
Castitas perpetua. Vide Cælibatus.
Castitatis perpetuæ studium, possibile est, & quibus mediis, docet Anna Prophetissa. E. 36.
Datur à Deo donum tale omni legitimè quærēti. Ibid.
Confertur & præfertur in Ecclesia Matrimonio, non in quantum sacramentum, sed quoad vsum, idq; meritò. E 37.
Laudabile est, etiam absque præcepto. Docet Annæ prophetissæ exemplum. E 38.
Lutherus cum sociis ista omnia proculcauit falsus propheta. E. 42.
Cælibatus à D. Ioanne Baptista perpetuo cultus. B. 4.
A Luthero & sociis comministris omninò repudiatus. B. 9.
Centuriatores Magdeburgenses de vita Ioannis Baptistæ nugantur. B. 12. Itemq; de Doctrina. C. 2. quasi scilicet ritus mutarit, & Pontifices excommunicauerit. Falsissimè. C. 3.

Sic de Missa ad eum legatione. C. 2. 6.
Christus in ruinam positus Israeli verè. E. 4. 5.
eo modo quo lapis āgularis, vel terminalis. E 8. 10. 27. 29.
cum omnibus in salutem missus esset, etiam maximè reprobis. A. 55. 56. 63. 65. E. 7. 8. 9. 16 30.
Id quod non nisi blaspheme negatur. E. 16. 18. 19. 20. 25.
Christus Saluator salutem attulit aduentu suo omnino maximam, & vnde ea æstimanda. A. 53. 54.
Quantus ipse Rex. A. 55.
Christus in Aduentu suo toto, & natiuitate, & vita, & morte, pauperrimus, humillimus, vir laborum & ærumnarum, tum propter redemptionem nostram operandam, tum maximè propter exemplum. A. 57 58. 59. 60. 61.
Christus minimo nos saluare & redimere potuisset, voluit maximo, vt simul excitaret, & informaret. &c. A. 61. 64.
Christus quomodo ad scripturas remittat ignorantes. B. 36.
Christus prior tempore, quam Ioannes Baptista, quam Abraam, quam vlla creatura. Ab æterno Deus. C. 45.
Christus Deus, E. 33. Petra scandali multis. Ibid.
Christus omnibus Hæreticis similiter ac Iudæis ruinæ fuit. E. 32. Maximè in articulo diuinitatis. E. 33.
Christus in signum contradictionis positus cui contradictū & in infantia, & in vita, & in morte, & in omnibus Apostolis suis. E. 34. 35.
Inde pii prædicatores, quia Christum circumferunt, signum scilicet hoc tanta patiuntur. E. 34. Nemo inde debet scandalizari. E. 35.
Ciborum delectus. Vide Abstinentia.
Cilicia (vide vestitus asperitas) B. 28. 29.
Concilium Ministrorum de Ioanne Baptista prædicatore Euangelico admittendo B. 18. 19.
Confessio peccatorum, quæ Ioanni Baptistæ fiebat, qualis, & quo fine facta. D. 11. 29.
Consumationis sæculi signa à Ministris corrupta. A. 41. vide Signa.
Contradictionis signum Christus. (vide Signum) E. 34.
Cooperatio nostra ad salutem assequendam. C. 39. D. 34.
Crucis signum, scopus est cui contradicitur. E. 34. 44.

D.

Dauid Chytræus Minister de vestitu Ioannis Baptistæ nugatur, Camelotinam vndulatam ei vestem tribuens. B. 12.

Deu

Deus est Christus. E. 33. Is vero articulus, & Iudæis, & plurimis hæreticorum magnæ ruinæ fuit, & petra scandali. Ibidem.
Deus permittit peccata, & punit meritò secundum Catholicos, secus secundum Ministros. A. 22.
Delectatio peccati an sola faciat reos pœnæ, an secus. A. 21. 24
Desertum Ioannis Baptistæ, vera heremus fuit. B. 4. 7. 10. 15. 16. 28. 29.
Dispositio ad iustitiam fidei. Vide Fides. Item præparatio.
Diuina tractare absq; missione Dei, graue scelus. C. 21. 25. 31.
Doctores Ecclesiæ. Vide pastor: Item Propheta.
Dormire in rebus salutis, noxium. A. 32.

E.

Ecclesia Catholica sola habet legitimè missos pastores. C. 22. habuitq; semper dum opus fuit, etiam extraordinarios ad similitudinem Ioannis Baptistæ Pœnitentiæ innouatores. C. 22. & 34.
In Ecclesiæ communione sit necesse est, cui fides & opera bona prodesse debeant. B. 38.
Ecclesia meritò singula etiam scripturæ verba in summo honore habet. B 41.
Ecclesia durabit, vsq; in finem sæculi. A. 55. & sequentib.
Ecclesia similis matrifamilias excitanti domesticos ad opus. A. 31.
Ecclesia temporum distinctionem meritò seruat. Vide Temporum obseruatio.
Ecclesiæ suæ reuelat Deus mysteria sua, sed non nisi per pastores eius. F. 34.
Eremus, Eremita. Vide Heremita.
Euangelium verum pauperibus maxime congruit, quia pauperes spiritu & requirit & facit. Contrarius prorsus genius est Euangelismorum nouorum. B. 42.
Euangelicorum bona opera omnia respectu Christi, similia sterquilinio contecto; at piorum Catholicorum similia annulo & gemmæ. A. 17.
Euangelium legitime prædicari non potest, sine legitima missione, etiam si scripturæ citentur. C. 32. 36. 57. &c.
Exemplum ad imitandum vt nobis daret Christus, propterea tantos labores suscepit, cùm longè alioqui pauciores suffecissent. A. 57. 60. 61. 64.
Extraordinaria pastorum Ecclesiæ missio. Vide Missio.

Eadem

Eadem extraordinariis signis opus habet, vt acceptetur, quasi literis credentiæ. C. 9.

F

Fides implicita Israeli olim satis, vt & Apostolis. E. 5. 6. 34.
Explicita postmodum necessaria fuit. Ibidem.
Itemque charitate operans. Ibidem.
Fidei virtus eximia. F. 17.
Fidei frequenter salus tribuitur. F. 1.
Ea salutem adfert disponendo. F. 2. 27. 28.
Ea propinquos nos reddit saluti. F. 3.
Fidei ex variis causis præ aliis virtutibus salus tribuitur. F. 7.
Nec vnquam soli fidei salus tribuitur. F. 12. 30.
Sed tum maximè, cum de primo accedentibus agitur ad salutem: Nam fidelibus iam longè alia prædicare solet Christus. F 8.
Fidei virtus merè Relatiua Ministris. F. 16.
Similis manui mendici Eleemosynam excipiêtis. Ibi.
Tota ita verè exinanita. F. 17. 32.
cum horribili mundi illusione. F. 20. 21. 22. 23.
Fidei diuisio inepta in Historicam, miraculosam, & iustificantem. F. 29. 33.
Fidei etiam iustificantis opus est credere. F. 33.
Fidei nobilissimo germini salutis, meritò cooperandum. &c. stultissimum est negligere. F. 24.
Fidei veræ inueniendæ duo media à Christo insinuata, & quomodo ea tenenda. B. 34.
Fidei etiam minimam imminutionem vel in vno articulo Deus & Ecclesia non patiuntur inultam. C. 24.
Fidei exercitatio Deo accepta. Quare. F. 34.
Fidei nomine etiam opera bona fidei includuntur. F. 42.
Et ipsa etiam fides vitalis est nostra operatio. F. 40.
Fidem maximè iactantes hæretici, eius exercitium tamen potissimum exinaniêre. F. 34.
Fides ipsa est initium salutis. F. 4. 29.
Est prima ad Deum conuersio. F. 4.
Est totius salutis directio. F. 4.
Est embrio, & germen salutis, sementiuam vim saluandi continens. F. 5.
Deum glorificat ac propitium reddit. F. 6.
Fides vt opus quoddam saluat, non vt relatio. F. 33. 39.
Fides te saluum fecit, quid propriè significet. F. 9.
Fides alia à fiducia. F 33.

Fidem Ioannes Baptista qualem habuerit, in qua se saluandum sperarit, an Catholicã, an Ministrorũ. B. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Fidem solam iustificare dicunt Ministri ex doctrina Ioannis Baptistæ. D. 16. 17. 30. Id verò directè est contra doctrinam Baptistæ. D. 18. ideoque cum solam consolationem ex Ioannis prædicatione sibi sumant, solæ comminationes eis debentur. D. 30. Solius fidei commentum adigit ministros omnia Ioannis corrumpere penitus. D. 33.
Fides integra sit, necesse est, si valere debeat, nec sufficit generalia iam credere. E. 36.
Fides tua te saluum fecit, dum dicit Christus, maximè confirmat precium operum bonorum. F. 40. 41. 42.

G.

Gaudium ex aduentu & natiuitate Domini annunciatum, quantum sit, & vnde æstimandum. A. 53.
Nil præ illo gaudium humanum habet. A. 54.
Gentes admissas ad Ecclesiam, per Ioannem Baptistam fingunt Ministri. C. 2. Falsissime, cum id ne Christus quidem fecerit, nec per se, nec per Apostolo, dum ipse viueret. C. 5.
Primum id per Petrum diu post factum. Ibidem.
Gratia noui testamenti possibilia facit mandata Dei, & peccatorum mortalium fugam. D. 34.

H.

Hæresis omnis arundo est, maximè nostri temporis. B. 32. Vide Arundo.
Non tam ex verbis æstimanda est, quàm ex operum fructu. B. 40.
Hæresis omnis Christum habet sibi in ruinam positum, & quomodo. E. 32.
Hæreses ex præconceptis opinionibus & affectionibus in scripturas illatis oriuntur. F. 59.
Hæretici diuersi ex iisdem tamen scripturis, diuersos suos sensus eliciunt, & vnde id. ibidem.
Heremita verus, in vera heremo habitans Ioannes Baptista. Vide Ioannes Baptista.
Herèmi cultus ab Ecclesia probatus. B. 7.
A Ministris superstitionis damnatus. B. 10. vt signum Antichristi. Ibidem.

Et Ioan-

Et Ioanni Baptistæ negatus, B. 12. 27.
Homo omnis ex se labilis. C. 36.
Etiam dum scripturas legit, opus habet auxilio Dei ne labatur. C. 36. 37.
Homo ipse cooperetur necesse est, si saluus esse velit. C. 39.

I.

Ieiunia Ecclesiæ ex tenuissimo victu Ioannis Baptistæ probantur. B. 15. 30. Ministris sunt doctrina dæmoniorũ. B. 10. & in discipulis Ioannis, Baalis Sacerdotum deuotio secundum Lutherum B. 10. & 30.
Ieiunia sunt pars cultus diuini. E. 34. 40.
liciteq; absque mandato expresso suscipiuntur, & cum laude, Annę Prophetissæ exemplo. E. 39.
Corpora nostra hostiam offerunt Deo. E. 40.
Ieiunia quod nulla in scripturis inueniant Ministri, vnde proueniat. F. 39.
Imputatiua iustitia. Vide iustitia.
Imitatio Christi omnino necessaria ad salutem. A. 64.
Propter eam tam multa passus est, & laborauit Christus, cum longè minorib. redimere nos potuisset. A. 61.
Ioannes Baptista verus Euangelicus prædicator. B. 1.
Ei propterea simillimi videri volunt Ministri in tribus. B. 2. C. 10.
Totus in vita sua & fide agendorum, Papista fuit. B. 7. 4. 5. 7.
Verus Heremita. B. 4. 7. 10. 13. 14. 27.
In vestitu totus singularis. B. 4. 7. 10. 15. 16. 28. 29.
In victu asperrimus. B. 4. 7. 10. 15. 16. 30.
Tota vita cœlebs. B. 4.
In tota vita sua omnino singularis fuit, & non communi victu, vestitu, habitatione vsus. B. 15, 16. &c.
Ioannes Baptista nullam fecit secessionem ab Ecclesia antiqua, vel templi ceremoniis. C. 3. 4.
Nil mutauit in ritibus Ecclesiæ. C. 3.
Non admisit gentes ad Baptismum. C. 5.
Quæ omnia Ministri ipsi affingunt. C. 2.
Existimatur esse Messias, & vnde, & ideò ad eum mittitur legatio. &c. C 6. 7.
Nullam innouationem induxit in Ecclesiam, præter feruorem nouũ pœnitentiæ & baptismũ. C. 8.
Eius missio à Deo facta & ordinaria fuit, & extraordinaria. C. 8. 9.

Vtra-

Vtraque mundo notissima.
Legatus est Dei. C. 26. Et quidem maximus, ex omni ordine Sanctorū habens, quæ prima. Ibid.
Ad nos quoque hodie est legatus, & clamans Dei nomine. &c. C. 27.
Ioannem passim fingunt Ministri, quasi solam fidem prædicantem. D. 1.
Volunt omnino solam eam prædicasse. D. 16.
Et opera etiā optima non nisi tersoria calceorū vocare coram Deo Lutherus D. 17. Ineptissime. D. 18.
Ioannis Baptismus. Vide Baptismus.
Ioannes ab omnibus Euangelistis dicitur parare debuisse domini vias. D. 6. Non aliter quam initio per pœnitentiam. Ibid. & 7. &c.
Ioannis pœnitentia quam prædicabat. Vide Pœnitentia.
Iudicium religionis Sacerdotibus committitur, non laicis. C. 43. 44. Vide Sacerdotes.
Iudicium extremum, totum circa opera Bona, malaué versabitur iuxta Christum, Apostolos, Prophetas. A. 9. 33.
Non minus decernet præmia bonis operibus, quam malis supplicia. A. 13.
Per Ministrorum doctrinam extreme deformatur, imo tollitur. A 14.
1. Quia nec bonis operibus secundum illos, vllus est ibi locus. Propter & opera omnia bona negata, & iustitiam imputatiuam affectam. A. 14. 15. 16. 17. 18.
2. Quia nec malis operibus secundum eosdē vlla pœna iuste infligi potest. Propter opera etiam omnia mala Deo attributa, & arbitrium liberum negatum. A. 19 20. 21. 22. 23. 24
Ministrorum circa Iudicium error turpissimus propter tria, scilicet quia substantiam eius tollunt, quia circa elementa fidei errant, quia primis suis firmamentis ista includunt.
Itidem perniciosissimus propter 3. A. 27. propter statū causæ totum inuersum.
2. Propter firmamenta omnia vera causæ sublata.
3. Propter substitutam fidei adulterinæ definitionē.
Denique periculosissimus, dum omnia salua interim prædicant suis. A 28.
Iudicium vniuersale præter particulare necessarium ob quatuor causas. A 33.
Iudicium omne inane est de re, de qua certum sit, nusquā exstare potuisse. A 14

Iudi-

Iudicii extremi metus omnes etiam pios concernit in peccatis eorum. A 47.
Quod fuse probatur. Ibid. contra Lutheri errorem, qui pressuram gentium Luc: 21. ad eum metum refert, tanquam incongruum. Ibidem.
In quo consistat vera consolatio, iudicii extremi terror opponenda à piis. A 48.
Iudicii extremi signa à Ministris deprauata. A 41. &c.
Vide Signa consumationis sæculi.
Iustitia imputatiua, tollit potissimam Iudicii extremi partem. A. 18. 36. 37.
Iustitiæ dispositio. Vide Fides. Simul in quo sit, & quomodo iustificet saluetuė.

L.

Lamentum super nos canit Ioannes & Christus, &c. vt pœnitentiam agamus. B 24.
Legatus Dei maximus Ioannes Baptista, Vide Ioannes.
Liberum arbitrium. Vide Arbitrium.
Lutherus. Omnia opera bona peccata esse asserit. A 15.
Ita magnam iudicij extremi partem tollens. A 16. 17.
Negat liberum arbitrium. A. 19. Ita alteram Iudicij partem tollens. A 16. 17.
Negat liberum arbitrium. A 19. Ita alteram iudicij partem abolens. A 20. &c.
Non vult admittere in Iudicio extremo vllam confusionem sui. A 40. 44. Imo ibi quoque vult Doctor Martinus. vocari stultissimus. Ibidem.
Quamdiu Catholicus, imitator fuit Ioannis, contraque Minister Euangelicus fieri non potuit, nisi omni imitationi Ioannis Baptistæ nunciū remitteret. B. 9.
Insigniter corrumpit ieiunia discipulorum Ioannis. Matt: 9. Baalis ea sacerdotū deuotionem dictitans. B 10. 30.
Mirè insanit circa Signa iudicij extremi appropinquantis. A. 41. & sequentibus, dum loco pestilentiæ morbū Gallicum signum esse consumationis sæculi nugatur, A. 42. & singula fere & omniū peccatorum genera, etiam quæ ipse sua doctrina inuexit. A 43. Et signa in sole, luna, stellis de communibus cometis: &c. accipit. A. 44. Et pressuram gentium ad iustum Iudicis metum applicat. A 45.
Deprauat & textum, & interpretationem eius in illa Luc: 21.

Et in

Et in terris pressura gentium. A 46,
Seipsum Isaiam vocat, itemq; iactat se etiam Diuos Augustinum & Ambrosium excellere. C. 35.
Omnia bona etiam iustorum opera, non nisi in hoc mundo valere docet, nil coram Deo. D. 17. Imo esse mera stercora coram eo. Ibid. Idq; Paulum vult dicere, prout Ioannem, ea non nisi turpia esse tersoria calceorũ. Ibid. Falsissimo. D 18.
Omnia opera fidei, spei, charitatis, ex parte nostra passiua tantum esse docet, ita penitus negans Liberum Arbitrium. D 27.
Biblia peruertit, vt templorum legitimũ vsum tolleret. E. 43.
Cum suis comministris primis, totus contrario spiritu actus fuit ab Anna Prophetissa prima Natiuitatis Christi Apostola, in castitatis, ieiuniorum, orationum, vigiliarum, templorum, cultu. E. 42. Itemque E. 36. & sequentibus.

M.

Magistratus officium est inquirere: Tu quis es? si quis se pro Propheta Dei vendicet. C 47.
Sed per Sacerdotes. Ibidem. & C. 43.
Mandata Dei possibilia per gratiam noui testamenti. D. 34.
Melanchton. Vide Philippus.
Mendicus est omnis peccator. D. 25.
Merita Christi operibus bonis Catholicorum innexa, sunt vt gemma in annulo; operibus Ministrorum, vt gemma in sterquilinio. A 17.
Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Christus sustulit sacerdotium secundum ordinem Aaron. C 44.
MINISTRI Euangelismorum nouorum, Articulum de iudicio extremo extremè deformarunt. A. Vide Iudicium.
Ea in re turpissimè, perniciosissimè, periculosissimè, errantes. A 26. 27. 28.
Sibi propterea in iudicio & confusionem extremam, & horrendam damnationem accumulantes. A 29. 30.
Docent omnia opera bona peccata esse. A. 15.
Nullam nisi imputatiuam iustitiam esse. A. 15.
Omnia opera etiam mala in malis efficaciter operari Deum (potissimum Caluinistæ) A 19.
Nullum esse homini in moralibus liberũ arbitriũ. A. 19.
Tollunt temporum differentiam in Ecclesia. A 2.
Reformantes ea in re Ecclesiam vt prædones solent ditiorum marsupia. A 10.

 Bla-

Blaſphemam docent prædeſtinationem Iſraelis in ruinam per Chriſtum. &c. Vide prædeſtinatio Caluiniſtica.
Volunt videri Ioannis Baptiſtæ ſimillimi. Vide Ioan: Bap.
Et tamen nullam prorſus habent imitationem vitæ Ioannis nec parere eam poſſunt in ſuis. B 8. Nec vllus poteſt fieri Miniſter, niſi longiſsimè diſcedat ab imitatione Ioannis Baptiſtæ. B 7.
Miniſtri ex omni parte Ioanni ſunt diſsimillimi in fide ac vita, in inſtituto ac miſsione, in omni parte doctrinæ. D. 32.
Infælic ſsimi, qui nequeant damnare Catholicos, niſi impiè ſimul in Ioannem Baptiſtam variè impingant. B. 20. 21. 22.
Corrupêre Ioannis Baptiſtæ omnia, heremum, veſtitum, victum, &c. B 11. 12.
Damnant totam Baptiſtæ vitam ſuperſtitionis, B 10. 11. 18,
Sic heremi cultum, ciborum delectũ, Veneris fugam perpetuam, veſtium ruditatẽ, religionis, &c. aſpernantur. B. 10.
Concilium Miniſtrorum de Ioanne Baptiſta. B 18.
Volunt maximi haberi fidei præcones. F. 1. 13 22.
Quin ſolam eam volunt in ſalute facere omnia. F 13.
Et tamen tantum Relatiuè facere totum, quod facit volunt, vt manus mendici eleemoſynam apprehendens. F 16.
Nequeunt enim concedere, ſi ſibi conſtare velint, fidem diſponere ijs modis, quibus Catholici verè docent. & F 14.
Sicq; omnem energiam fidei penitus euerterunt, captantes quæ nuſquam ſunt, &c. F 17.
Illuſionem ita mundo non ludicram ſolum, aut ſimpliciter damnoſam, ſed pernicioſiſsimam inuexêre. E 20. 21. 22. 23.
Infelicisſimi & omni cœco miſerabiliores. F 23.
Ridiculi Bacchanales, Fumum præhenſantes, cœci mendicantes, phrenetici, &c. F 22.
Miniſtrorum de ſignis conſumationis ſæculi errores pudendi. A 41. & ſequentibus.
Nati ex ficto Antichriſto. Ibidem 41.
Articulũ aduentus & Incarnationis Chriſti inſigniter deprauarunt, dum & ſolis prædeſtinatis veniſſe aſſerunt Chriſtum (Caluiniſtæ) & non requirere ad ſalutem ſeriam ſui imitationem. A 62, Turpiſsima mundi illuſione. 65.
Miniſtri in ſua miſsione & vocatione videntur ſimiles eſſe Ioannis officio, &c. in quatuor. C 2.
Cum longiſsimè abſint in omnibus. Ibidem.
Fingunt Ioannem ritus mutaſſe Eccleſiæ, gentes admiſiſſe, ſeceſsionem feciſſe. C 2. Falſiſsimo. C 3. &c.
Legationem ad eum miſſam à Iudæis tanquam ad hoſtem, &c. C. 2, Falſiſsimo, C 6.

Ipsi nulla ratione à Deo missi sunt, nec rodinaria, nec extraordinaria. C 15, & sequentibus.
Frustraq; ad scripturas hic se referunt. C. 19. & 31. 33.
Ministri baptismum Ioannis & Christi eundem faciunt, nec possunt aliter. At falsissimo. D 13.
Poenitentiam solam emendationem vitæ faciunt. D 14.
Eamq; sequi iustificationem, non præcedere. D 15.
Ineptè. Vide poenitentia.
Solam fidem prædicasse volunt Ioannem. D 16 17.
In baptismi doctrina contumeliosi in Christum. D 19.
In sola fide Ioannis iniuriosissimi in Ioannem. D 20.
In poenitentia perniciosissimi deprauatores. D 21.
Securos scilicet faciunt salutis suos quasi re perfecta, cũ nõdum inceperint. D 21. &c.
Currum ante equos ligant. &c. Ibid.
Omnem spem salutis eo ipso præcidêre suis. D 22.
Ministris omnis in omnibus poenitentia est æqualis. D 29
Fingunt sibi Ioannem totum clementem & consolantẽ, Mosen contra minitantem, solamque consolationem Ioannis sibi sumunt; cum solæ cominationes illius ad eos pertineant. D 30.
Omnis peccatorum remissio in sola poenæ remissione iis est posita culpa manente. Ineptissimè. D. 31.
Ministrorum comparatio cum Anna Prophetissa tota dissimilis, & spiritus omnino contrarius in omni cultu castitatis perpetuæ, itemq; ieiuniorum, orationum publicarum, vigiliarum, Templorum. E 42. Item 36. & sequentibus.
Miracula quomodo fidem probent? B 36.
Necessaria sunt extraordinariæ Dei missioni. C 9.
MISSIO Pastorũ Ecclesiæ duplex, ordinaria, & extra ordinem. C 9.
Hæc extraordinaria probatione opus habet. C 18.
In quo ordinaria olim sub lege sita fuerit, in quo sub Euangelio sita sit. C 9. 15.
In Ioanne Baptista vtraque fuit notissima. C 8. 9.
In Ministris nostris neutra est prorsus. Non ordinaria. C. 15. 16. 17.
Non extra ordinem ne quidem in Archiministris ipsorum. C 18.
Frustraque hic ad scripturas confugiunt. C 19. 31. 33.
Omnino necessaria est Missio Prophetæ, si quid debeat in diuinis tentare. C 31.
Etiam ad ritè prædicandum. Ibidem.
Missio pastorum omnis manifesta sit necesse est Ecclesiæ, qualis & Ioannis fuit, & Christi, & Moysi, &c. C 33.

Talis semper in Ecclesia Catholica etiam in ijs qui extra ordinem passim fuêre missi. C 54.
Missio necessaria est etiam ad prædicationem Euangelii. C 52.
Missione qui caret propheta (vt Ministri) & mendax est, & extremè iniurius in Deum, & perniciosissimus animarum proditor. C 19. 25. 51.
Monastica vita in Ioanne Baptista approbata. B 25.
Vide Ioannes Baptista.
Eius odio, omnia deprauant Ioannis, Ministri. Ibidem.
Mundus potenter nos allicit ad sui amorem, tum illecebris sensuum, tum exemplo omnium ferè hominum. A 59.
Ideo magno & visibili exemplo Christi Dei & hominis opus erat, vt in eius contemptum duceremur. Ibid. 59. D 60. 61.

N.

Natiuitas Domini quomodo recolenda cum fructu. D 21.
Natiuitas Domini Bethlehemitis, potius mœrori & damno fuit, quam gaudio. D 25.
Natiuitatis Dominicæ gaudium (Vide Aduentus) A 54.
Maximum id est ex magnitudine salutis allatæ, idque ex tribus æstimandum. A 53. D 24.
Natus est Christus in summa paupertate, incommoditate, humilitate, ad exemplum nostri potissimum, quia id ita necessitas nostra exigebat. A 58. 59. 60. 61. & 64.
Natus Saluator Christus damnat impœnitentes. D. 25.

O.

Obseruatio temporum in Ecclesia. Vide Tempora.
Omni homini etiam maximè reprobo, oblata est Christi salus; sua culpa eam quisque negligit. A 55. 56. 63. 65.
Opera bona si vel in se negentur, vel soli iustitiæ imputatiuæ ascribantur, vel non necessaria ad salutem doceantur, vel non nisi ad hanc vitam pertinere, vel denique æqualem omnia habitura in cælis mercedem debeant: tollitur Iudicij extremi potissima pars. A. 11. 14. ad 18. Ibi dem 37.
Opera mala si vel Deo attribuantur, vt causæ primæ, vel seruo arbitrio; tollitur altera extremi Iudicij pars. A 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. Vide Iudicium.
Opera omnia etiam iustorū peccata esse credunt Lutherus, Caluinus, Philippus, Vulgus. Ratio Euangelismorū. A 15.

Opera

Opera omnia etiam mala efficaciter Deum operari, docent Caluinus, Beza, Zuinglius, &c. A 19.
Opera tenebrarum abijcienda. A 32.
Opera bona Catholicorum quibus merita Christi communicata, similia sunt annulo & gemmæ. Ministrorum & Euangelicorum similia sterquilinio tecto. A 17.
Opera bona sine fide integra, itemq; extra Ecclesiæ communionem valere non possunt. B 38.
Opera etiam in hæreticis cōsideranda, non verba sola. B 40.
Opera nostra disponunt nos ad salutem. C 39.
Ideoq; Deo placita. Ibidem.
Opera bona vult mera esse tersoria calceorum secundum D. Ioannem, Lutherus, secundum D. Paulum stercora, si Deo comparentur. D 17. Falsissimè. D 18. & Ineptissimè, &c. D 21.
Operibus nostris bonis Christus benignè salutem nostram omnem attribuit. F 40. 41.
Oratio ritè facta, verè saluat, nec tamen sola. Ita Fides. F 42.
Orationes continuæ, itemque statis horis canonicis, in Ecclesiis Dei consuetæ, iunctæque etiam cum vigiliis, &c. laudabiles. E 43.
Si in templis fiant, communiter præstant domesticis ex variis causis. E 43.
Orationis optimæ formæ & conditiones. F 42.
Ordinaria missio Pastorum Ecclesiæ. Vide Missio.

P.

Pastor legitimus in Ecclesia. Vide Propheta. Item Missio.
Pastoribus Ecclesiæ solis immediatè reuelat Deus mysteria sua, cæteris non nisi per Pastores. F 34.
Paupertas Christi, vt & humilitas, & tanta passio nobis necessaria fuit, non tam ad redemptionem, quam ad exemplum. A 59. 60. 61. 64.
Pauperes primi Euangelizantur, quia aptissimi Euangelio sunt; è contra Euangelismis Ministrorum aptissimi diuites, elati spiritu. B 42.
Peccata respectu Christi impedimenta sunt gratiæ, quo minus ad nos ingrediatur. D 7.
Per veram pœnitentiam auferuntur, & quomodo. D 8. Vide Pœnitentia.
Peccatorum remissio Ministris in sola pœnæ remissione est, manente etiam culpæ turpitudine. D 31. Inepte. Ibidem.

Peccatoris Christiani infælix, ac stulta conditio, similis mendicanti, sed inanissimè. F 24. 26.

Permittit Deus peccata & punit secundum Catholicos iure merito, secundum Ministros minimè. A 22.

Perseuerantia vere saluare dicitur, nec tamen sola. F 43.

Philippus Melanchton fingit Ioannem Baptistam secessionem fecisse ab Ecclesia, & doctrinam mutasse. C. 3. 6.

Pœna dignum nihil est in hominibus, quod non sit ex arbitrii voluntate. A 20. 21.

Pœnitentia agenda meritò ad Ioannis Baptistæ & Christi prædicationem & lamentum. B 23. 24. C 26. 27. 28.

Pœnitentiæ habitus, cilicium & saccus. B 29.

Ad pœnitentiam Ioannis pertinebat omnis austeritas habitationis, victus, vestitus, triplici fine suscepta. B 5.

Pœnitentia quam Ioannes prædicabat parabat viam Domino. D. 6. Et præcedere debebat gratiam Christi inhabitantem. D 28.

Quid propriè sit, ex viarum directione est æstimandum. D. 7. Similiter enim impedimenta gratiæ eliminat ex nobis. D. 9.

Ea sola sunt peccata, Ibidem. proprium itaque pœnitentiæ est Præterita peccata persequi. D. 8. 9. 10.

Ideoque ea propriè nec Fides est, nec Timor Dei, nec Spes, nec Charitas. D 9.

Contra Ministri nullam prædicant, pœnitentiam, nisi vitæ emendationem. D 14. quæ sequatur iustitiam non viam præparet. D 25.

quæque nec viæ spiritualis impedimenta contingat, nec vllum rigorem requirat. D 14.

omniaque volunt Ioannem in sola hic fide ponere. Falsissimè. D 17. 18. &c.

In his omnibus perniciosi deprauatores. D 21. 22. 23.

Pœnitentiæ fructus dignos requirit Deus, id est, maiorem vel minorem sui castigationem pro ratione peccatorum. D. 29. At Ministris omnis pœnitentia æqualis est. Ibid.

Possibilia Dei mandata. Vide Mandata.

Prædestinatio Caluinistica Christum directè in ruinam à Deo positum multis, docet. E 13.

Nec pro omnibus Saluatorem esse natum. E 14. 31

Id quod plenum est blasphemiis. E 16. 18 19. 20. 23.

Prædestinatio Caluinistica in damnationem est directè, & inde etiam in media damnationis, peccata. E 13. 15. 22. 28. 29.

Prædicatio salutis omni carni nota esse debuit in Ecclesia semper. D 35.

Præparatio ex parte nostra necessaria est, vt salutem consequa

qua

quamur, & qualis. D 6. & 9. 27. C 39.
Eam Christus, Apostoli, Prophetæ, in nobis requirunt. D 27.
Promissiones Dei conditionatæ. F 17.
Inanis propterea omnis fides, sine conditione præstita. F. 17. 21. 22.
Propheta Dei nemo est, nisi Dei vox sit per ipsum loquentis. C 36. Id verò totum ex legitima Missione Dei pendet. C. 37. Et eatenus acceptandus igitur Propheta, quatenus intra Missionem suam se continet. C 38.
Prophetarum seu Pastorum Missio in Ecclesia omnino necessaria est. Alioqui ratum nil erit coram Deo quod faciant, &c. C. 31.
Duplex Missio eorum. Vide Missio.
Prophetæ & Pastores sine Missione legitima, diuina tractantes, & mendaces sunt, & extreme in Deum iniurij & perniciosissimi animarum proditores. C 21.
Nefas in eo maximum. C 31. 25.

R.

Reatus pœnæ in peccatis propriè non ex substantia facti nascitur, non ex delectatione operi admixta, nec ex lege posita; sed ex sola arbitrii libertate. A 20. 21. 24.
Redimere nos longè minore labore poterat Christus, infinitæ dignitatis: sed propter exemplum nostri tantos voluit subire labores. A. 61.
Religionis veræ inueniendæ media duo à Christo insinuata, & quomodo. B. 36.
Religionis negotia Sacerdotibus committenda, non laicis. C. 43. 44. Vide Sacerdotes.
Eadem tractare absque Dei commissione, graue scelus est. C. 21. 25. 31.
Remissio peccatorum, solam pœnam tollit secundum Ministros manente omni turpitudine culpæ. C. 31. Ineptissimè. Ibidem.
Reprobatio. Vide prædestinatio Caluinistica.
Reprobis etiam à Christo oblata est salus: ipsi negligunt. A. 55. 56 63. 65.
Resurgere, stare, cadere Deo quid? C. 2.
Ruinæ Christ' est omnib' hæreticis, prout & fuit Iudęis E. 32. Potissimum vero Diuinitas Christi, ruinæ & Iudæis & plurimis hæreticorum fuit. E. 35.
Ruina spiritualis quid sit. E. 2.
Ruinæ Israëli antiquo verè fuit Christus. E. 4. 5.

Itemque multis ex Israële nouo. E. 7.
Quomodo iuerit antiquus Israël &c. E. 6.
Non nisi occasionaliter in Christo. E. 8. 10. 28. 50.
Cum Christus omnibus in salutē venerit. Vide Christus.
Quā hic impij Caluinistę. Vide prędestinatio Caluinistica

S.

Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Christus, Aaronicum sacerdotium sustulit. C. 44.
Sacerdotium Aaronicum quamdiu audiendum. C. 44.
Quando, & qua occasione defecerit. Ibidem.
Sacerdotib⁹ cōmittenda Religionis iudicia, nō Laicis. C. 45.
Quia Deus ea iis commisit. Ibidem.
Nec refert an ipsimet Sacerdotes veritati non obsequantur opere ipso. C. 44.
Vnde igitur factum sit, quod Sacerdotes Aaronici tam turpiter in Christi iudicio fuerint lapsi. C. 44.
Sacerdotij forma translata, tota simul Lex Dei seu forma religionis transfertur. C. 14.
Sacramentum Baptismi. Vide Baptismus.
Non potest Sacramentum nouæ Legis nisi à Christo ipso institui. D. 26. Vnde iniurij in Christi Sacerdotium sūt, qui Baptismum nostrum ad Ioannem referunt. Ibid.
Sacra quomodo tempora fiant (Vide Tempora) A. 7.
Saccis vestiti olim pœnitentes. B. 29.
Saluator. Vide Christus.
Salus animæ in quo sit, & quomodo principiū eius fides. F. 4.
Saluos facit fides, & quomodo, scilicet disponendo, cum efficientia salutis tota sit in Christo. F. 2. Vide Fides.
Salutis per Christum allatæ magnitudo, partim ex persona Saluatoris, partim ex tot eius laboribus, partim ex gaudio inde annunciato æstimanda est. A. 53.
Salutem suam Christus etiam reprobis obtulit, ipsi negligunt. A. 55. 56. 63. 65.
Salutem nostram minimo poterat emere Christus infinitæ dignitatis. A. 61. Cur ergo tantum laborauit? Ad exemplum nostri maximè. Ibid. & 64.
Scandalum discipulorum Ioannis in Christo, simile scandalo simplicium in religione Catholica. B. 54.
Schisma. Vide Secessio.
Scriptura sacra difficilis intellectu est, sæpè etiam vbi verba perspicua. F. 37.
Variæ causæ difficultatis scripturarum. Ibid.

De Scri-

De Scripturarum sensu Iudicium ferre, nequit vulgus. F. 39.
Scripturarum difficultas sæpè ex præconceptis humanis opinionibus & affectionibus oritur. F. 38
Scriptura sacra vna & eadem, vnde tam contrarios in hæreticis pariat sensus. F. 39.
Scripturas Sacras solus Catholicus tute legit. Ibid.
Scripturæ sacræ dum leguntur, nisi auxilium adsit peculiare Dei; non satis intelliguntur. C. 36. 37.
Scripturæ sacræ ipsæ per se nemini Missionem legitimam conciliant. C. 17. Frustraque ad eas appellatur, dum quærimus vt quis suam Missionem ostendat. Ibid. & C. 31. 33.
Scriptura sacra, etiam non scripta præceptaué, Deo placent multa. Vide Superstitio.
Scriptura sacra quomodo vti debeăt laici Christo duce. B. 36.
Scripturæ Sacræ verba etiam singula in summo honore habenda. B. 41.
Meritoque Ecclesia nil sibi patitur in ea mutari. Ibid.
Scripturas solas inaniter iactant Ministri. F. 34.
Secessionem ab Ecclesia fecisse Ioannem Baptistam fingunt Ministri. C. 2. At nil tale verum. C. 3. 4. 5.
Nil innouauit in circumcisionis lege. C. 5.
Nam nec Christus quidem Secessionem fecit ipse. C. 5. 29.
Nec ad gentes declinauit. Ibid.
Secessionem seu schisma in Ecclesia facere, est immane scelus. C. 24. 29.
Præsertim si cum fidei corruptione coniungatur. C. 30.
Signum cui contradicatur Christus. E. 34.
Inde tanta contradictio contra omnes feruentiores Christi prædicatores. Ibid.
Nec tamen inde merito offendi debemus. Ibid.
Maximè talis est diuinitas Christi. E 33.
Itemque crucis signum. E. 34. &, 44.
Signa consummationis seculi instantis, quæ. A. 41.
Ea pleraque omnia extremè corruptá à Luthero & suis. A. 41. & sequentibus. Idque totum ob fictum Antichristum, quem se deprehendisse mentiebantur. A. 41.
Signum pestilentiæ & morborum. A. 42. Signum de iniquitate peccatorum redundante. A. 43.
Signa in sole, luna, stellis. A. 44.
Signum de pressura gentium. A. 45.
Simeon senex, qui Christum in vlnas suas accepit, Sacerdos fuit. E. 44.
Somnus in rebus salutis noxius. A. 32.
Stare Deo, cadere, resurgere quid. E. 2. & 5.

Quanti

Quanti momenti ista, quamque sollicitos nos in ijs esse oporteat. E. 24. 25.
Superstitio non est omnis cultus à Deo non præceptus, quia etiam talia grata Deo multa. B. 26.
Et quæ ista. Ibid.

T.

Templorum vsvs legitimus maximè in orationibus publicis est, & sacrificijs. E. 43.
Præstatque oratio in tēplo facta, orationi domesticę. Ibid.
Lutherus eam omnino inuertit. Etiam Biblia propterea, in locis aliquot. Ibid.
Tempus Visitationis nostræ. A. 56.
Temporum variorum obseruatio in Ecclesia. A. 1.
Ministrorum ea de re sententia & prætextus. A. 2.
Alia Mathematica, alia Iudaica,, alia Christiana ab ipso Christo etiam vsurpata. A. 3.
Laudabilis est { propter ordinem. 1. Ibid. / propter ædificationem. 2. / propter Rudium instructionem, & frigidorum inflammationem. A. 5.
Exempla ea de re Ecclesiæ. Ibid.
Non aduersatur ei, quod semper sit vigilandum. A. 6.
Non aduersatur Paulo. Ibid.
Quomodo Sancta, vel fiant tempora, vel dicantur. A. 7.
Fit mala ex circumstantijs aduersis. A. 8.
Verè certo Tempore propior nobis Deus. A. 9.
Dum à Ministris sublata est differentia Temporum, prędonum more est Ecclesia reformata. A. 10.
Timere debent Iudicium extremum etiam pij in hoc seculo, quia delinquunt &c. A. 47.
In quo fit contra consolatio solida aduersus eum metum. A. 48. Contra Lutherum &c.
Vide etiam Iudicium.

V.

Verbum Dei non præteribit, citiusque cœli & terra collapsura sunt. A. 49. 50.
Quale id sit verbum Dei. Ibid.
Nec igitur etiam Ecclesiæ generatio vnquam desinet. Ibid.
Verbum Dei manifestè & publicè in Ecclesia prædicari semper debuit. D. 35.

Verbum Dei legitimè prædicari non potest, sine legitima Missione, etiamsi scripturæ citentur &c. C.32.36.37.
Veritas quomodo inuenienda Christo ipso duce in tantis labyrinthis errorum. B. 36.
Vestitus Ioannis Baptistæ asperrimus. Vide Ioan. Baptista.
Vestium asperitas in saccis & cilicijs ab Ecclesia laudata. B. 7. 28.
A Ministris superstitionis damnata. B. 10. 28.
Etiam Ioanni Baptistæ negata. B. 12. 28.
Via spiritualis Christi ad nos, quomodo dirigatur & paretur per Pœnitentiam. D. 9. Vide Pœnitentia.
Vigilandum omni hora. A. 6. & 31. 32.
Vigilia spiritualis omnino exercenda &c. A. 28. 69.
Vigiliæ nocturnæ in diuinis officijs laudabiles, exemplo Annæ Prophetissæ. E. 41.
A Luthero omnes Vigiliæ etiam Natiuitatis & Paschæ sublatæ. E. 42.
Vocatio pastorum Ecclesiæ. Vide Missio.
Voluptas peccati. Vide delectatio.
Vox clamantis Dei Ioannes. C. 8.27.36.
Totus is vox pœnitentiæ. D. 10.

Z.

Zuinglius omnia etiam mala Deum in malis efficaciter asserit operari, A. 19.
Ita Iudicium extremum magna ex parte pernegans. A. 23.
Idem Pœnitentiam non nisi vitæ emendationem in Biblijs suis vertit. D. 15.



INDEX TRACTATVVM,

Quos pro hoc initio, periculi faciendi causa damus.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

HAbet Discursus tres. Primum breuiorem occasione initij Epistolæ diei: *Hora est iam nos de somno surgere.* Romano: 13. de temporum Ecclesiasticorum distributione. Eo demonstratur iure optimo seruari in Ecclesia Temporum variam distinctionem, inaniterq; eam à Ministris oppugnari.

Alterum longiorem ex occasione Euangelij secundum vsum Romanum, de propria Iudicij extremi ratione. Luc. 21. Eo demonstratur Ministros nostri seculi articulū de extremo iudicio Christi, extremè deformauisse, adeoq;, quantum in ipsis est, eneruasse penitus. Idq; in illa Luc. 21. E. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.*

Tertium ex occasione Euangelij secundum vsum antiquum septentrionalium Ecclesiarum, de Aduentu Christi toto mansueto & humili Matth: 21. Eo demonstratur, Eccle-

Ecclesiam Aduentus Christi consideratione, insigniter suos & excitare ad salutem & instruere. Ministros vero dum articulum eũ in longe alium finem à proprio deflexêre, & ipsum insigniter corrupisse, & mundo mirifice illudere. Idq; in illa Matth. 21. A: *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam & filium subiugalis.*

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

HAbet Discursum vnicum in Euangeliũ de vita ac moribus Ioannis Matth: 11. Eo demonstratur Ministros nostri seculi, licet Ioannis præcursoris Domini, & nomen obtendant suis Euangelismis maximè & exemplum: reuera tamen ab eiusdem & fide & moribus longissimè omnium recessisse. Idque in illa Mat: 11. A: *Quid existis in desertum videre? arũdinem? &c. hominem mollibus vestitum? &c. Prophetam? &c.*

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

HAbet Discursum vnicum in Euangelium de Iuædorum legatione ad Ioannem, quis ipse sit. *Ioan.* 1. Eo demõstratur Ministros etiã vbi simillimi haberi volunt Ioanni Bapeistæ,

ptiſtæ, in Miniſterio ac vocatione ſua; re-ùera eſſe diſsimillimos, imo contrarios to-tos. Idque in illa Ioan. 1. C: *Miſerunt Iudæi Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interroga-rent eum: Tu quis es?*

DOMINICA QVARTA AD-VENTVS.

HAbet diſcurſum vnicum in Euangelium de prædicatione Ioannis Luc. 3. Eo demon-ſtratur Miniſtros dum maxime videri vo-lunt ipſiſſimam doctrinam Ioannis vrgere ac ſuis proponere; eandem maximè depra-uaſſe atq; inuertiſſe. Idque in illa Luc. 3. A. *Venit(*Ionnes*)in omnem regionem Iordanis præ-dicans baptiſmum Pœnitentiæ.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

HAbet diſcurſum vnicum in Euangelium de prophetia Simeonis Luc. 2. Eo demon-ſtratur Chriſtum in ruinam poſitum fuiſſe reprobo Iſraeli, non ineuitabili Dei deſti-natione; ſed propria nequitia ipſius: Eſſe-que impios Caluiniſtarum Miniſtros, qui Dei immutabili decreto talia adſcribunt. Idque in illa Luc. 2. E. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael.*

DOMI-

INDEX.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

HAbet diſcurſum vnicum in Euangelium, de cæco per fidem à Chriſto curato Luc. 18. Eo docetur quæ ſit propria fidei in Chriſtum vis atque operatio: quamque eam penitus exinanierint, deprauarintque Euangeliſmis ſuis Miniſtri. Idque in illa Luc. 18. G. *Reſpice fides tua te ſaluum fecit.*

Nota autem, libuiſſe hanc Dominicæ iſtius commentationem, de fidei propria operatione ſuperioribus, licet quaſi extra ordinem, annectere: propter ſingularem quandam quæſtionis huius de fidei virtute, præ aliis controuerſiis pleriſq́, omnibus celebritatem.

